PHILOSOPHIA JUXTA INCONCUSSA TUTISSIMAQUE DIVI THOMÆ...

Antoine Goudin, Lorenzo Sacco

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 B
28

14-7-b-2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILOSOPHIA
JUXTA INCONCUSSA TUTISSIMAQUE
DIVI THOMÆ
DOGMATA
LOGICAM, PHYSICAM, MORALEM, ET METAPHYSICAM.

Quatuor Tomis complectens.

AUTHORE

P. F. ANTONIO GOUDIN

Lemovicenſi Ord. Præd. Sacr. Theol. Doct. Philoſophiæ Profeſſore in ſchola D. Th. ab Illuſtr. D. Dominico de Marinis, ex eodem Ordine, Archiepiſc. Avenonienſi, in ejuſdem Urbis Academia erecta,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

TOMUS SECUNDUS.

Primam Phyſicæ Partem *De Ente Mobili*, in communi complectens.



TARVISII, M. DCCVI.

Apud Joannem Molinum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SECUNDA PARS

PHILOSOPHIAE,

PHYSICA,

PROEMIUM.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

VASTISSIMUM motus, & naturæ imperium ſub illius ſcientiæ ditione eſt, quæ ideò græcè, ſeu latinè naturalis dicitur, eo quod de univerſa rerum natura diſputet. Sumitur autem hìc Natura *paulò ſtrictiùs pro principio motus, & quietis ſenſibilis, ut infrà dicetur: & ideo ens naturale apud Phyſicos, idem eſt ac ens mutationi ſenſibili ſubiectum. De illo igitur ente nobis in hac parte diſſerendum eſt, quod ſub ſua amplitudine totum univerſum concludit. Nihil enim in mundo eſt, quod aliquomodo ad motum non pertineat, vel ut ſubiectum in quo motus fit, vel ut effectus per motum productus, vel ut cauſa motum in rebus producens. In primis enim omnia corpora, ex quibus mundus iſte conſtat, ut Elementa, Mixta, Cœli, Aſtra, manifeſto motui ſubiecta ſunt. Quæ vero in hoc mundo ſublunari naſcuntur, vel intereunt, per motum ſenſibilem produci conſtat; veluti enim in officina ferraria clavis, horologium, enſis, bombarda, vel aliud ejuſmodi opus, inter reci-*

Digitized by Google

proços folium flatus, prunarum ardores, malleorum ictus, limarum ſtrepitus fabricatur, & politur: ita quoque cuncta hæc ſublunaria per cœlorum ſyderumque revolutiones, ventorum, flatus, imbrium, nivium, grandinumque procellas, hyemis frigora, veris tepiditatem, æſtatis ardores, & alias ejuſmodi mutationes formantur. Deus autem, & Angeli, etſi mutationis ſenſibilis expertes ſint, attamen ſunt, primi fontes, primæque cauſæ omnis motus, qui in mundo corporali cernitur. Undè de his omnibus tractare ſuſcipimus, dum in hac Philoſophiæ parte entis mobilis eſſentiam, cauſas, proprietates, & varias ſpecies inveſtigamus. Ut autem ſcientiarum præclariſſima, & quæ per antonomaſiam Philoſophia *nuncupari ſolet clarè & ordinatè tradatur, in ipſo limine ſtatim ejus objectum, naturam, & diviſionem paucis aperiemus.*

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO PRÆAMBULA.

De Objecto, Qualitate, & Diviſione Phyſicæ.

ARTICULUS UNICUS.

QUæ aliqui fuſiùs diſputant circa Phyſicę objectum, brevitèr hic perſtringemus, eò quòd ferè quæſtio ſit ſolùm de nomine. Quidam dicunt, corpus naturale eſſe objectum Phyſicæ, aliqui verò vocant ipſum corpus mobile: alii ens mobile, ſeu ens naturale. Cæterùm hæc omnia vocabula idem ſignificant: attamen.

Dicendum primò: Objectum Phyſicæ meliùs exprimi per *ens mobile*.

Probatur facilè concluſio: tùm quia ita exprimitur à celebrioribus Philoſophis Ariſtotele, D. Tho-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

D. Thoma, & aliis: tùm quia, ut arguit D. Thomas, nondùm conſtat, utrùm id omne quod movetur, ſit corpus: hoc enim probatur ab Ariſtotele in hac parte. Nè igitur, quod probandum eſt, ſupponatur, aptiùs dicemus *ens mobile* ſeu ens mutationi ſenſibili obnoxium, eſſe obiectum hujus ſcientiæ.

Dico ſecundò, Phyſica eſt verè, & propriè ſcientia. Hæc concluſio, licèt negata fuerit ab antiquis Philoſophis Heraclito, Catillo, Socrate, & aliis: attamen nunc in confeſſo eſt apud omnes. Undè.

Probatur, nam de ente mobili plura ſcientificè & demonſtrativè traduntur in Phyſica; ut quòd quatuor habeat cauſas, materialem, formalem, finalem, & efficientem; quòd ſit obnoxium alterationi, augmentationi, diminutioni, &c. ergò phyſica eſt vera ſcientia. Quamvis autem plura opinativè ſolùm cognoſcamus circa res naturales, non impedit, quin Phyſica ſit ſcientia: nulla enim ſcientia eſt, de cujus obiecto plura ſolùm opinativè non innoteſcant.

Dices Scientiam debere eſſe de rebus perpetuis, & neceſſariis: atqui ea, quæ ſubjiciuntur motui, non ſunt perpetua, & neceſſaria; ſed potiùs fluxa & inſtabilia: ergò de illis non datur ſcientia.

Reſpondeo facilè, ſolutione jam data in Logica, diſtinguendo minorem. Quod ſubjicitur mutationi non eſt neceſſarium, & perpetuum, quantùm ad eſſe exiſtentiæ, concedo: quantùm ad veritatem eſſentiæ, ſeu connexionem prædicatorum eſſentialium, & habitudinem proprietatum ad eſſentiam, nego; ſiquidem tàm neceſſarium eſt ea, quæ componuntur ex contrariis, eſſe corruptibilia, gravia naturalitèr vergere deor-

deorsùm; levia rapi ſursùm, ignem eſſe calidum, &c. idque tàm certò demonſtrari poteſt in Phyſica, quàm certò probetur in Metaphyſica, ens eſſe unum, verum, bonum, Angelos eſſe expertes materiæ, &c.

Dico tertiò. Phyſica eſt ſcientia tota ſpeculativa. Ita tenent omnes.

Probatur tùm ex ejus obiecto, ſeu materia, quæ non eſt aliquid à nobilis factibile, ſed ſolùm cognoſcibile; v. g. motus cœli, influxus aſtrorum, ſitus elementorum, &c. à nobis cognoſci quidem poſſunt, non tamen fieri; tum ex ejus fine. Nam Phyſica de rebus de quibus diſputat, non intendit niſi cognitionem, & contemplationem, ergò eſt ſolùm ſpeculativa.

Dices: Moralis, & Medicina ſubalternantur Phyſicæ, & tamen ſunt practicæ; ergò Phyſica eſt quoque practica.

Reſpondeo negando conſequentiam. Nam Medicina, & Moralis addunt ſupra Phyſicam aliquam differentiam practicabilem; ſi quidem Phyſica in communi agit de motu ac proindè de ſanitate & ægritudine, & de paſſionibus ac potentiis animæ, quatenùs ſunt quidam motus: At verò Medicina reſpicit ſanitatem & ægritudinem, non præcisè quatenùs ſunt motus corporis humani, ſed ut induci, & expelli poſſunt per artem & induſtriam humanam, ſub qua ratione ſunt quid practicabile. Similitèr Moralis reſpicit paſſiones & motus animi, non præcisè ut motus ſunt, ſed ut ſunt per rationem regulabiles, & capaces boni & mali, ſub qua ratione ſunt quid practicum.

Quantùm ſpectat ad Phyſicæ partitionem, eamdem ſecuturi ſumus, quam tenuit Phyſicorum omnium Princeps Ariſtoteles. Totum enim

nim hoc opus in quatuor partes dividimus: quarum prima erit de ente mobili in communi: ſiquidem doctrinæ ordo exigit, ut à communioribus, & univerſalioribus, utpotè magis notis incipiamus: Secunda pars erit de ente mobili motu locali, ſeu de Cœlo, & Mundo: Tertia verò de ente mobili motu generationis, & corruptionis: Quarta demùm de ente mobili motu vitali, ſcilicèt de anima. His quatuor partibus comprehenditur quidquid circa ens mobile diſputari conſuevit.

Digitized by Google

PRIMA PARS PHYSICÆ

De Ente mobili in communi.

ENs mobile in communi definitur id, quod habet in ſe principium motus, & quietis; ſeu quod mutationi ſenſibili ſubjicitur. De illo egit Ariſtoteles per illos octo libros qui inſcribuntur *de phyſico auditu*; in quorum primo ſtatim ſcrutatur generalia principia, ex quibus vel generatur, vel componitur ens mobile. In ſecundo agit de cauſis à quibus pendet ens mobile; In tertiò verò, & quinque ſequentibus agit de proprietate entis mobilis, ſcilicèt de motu in communi, & iis quæ concernunt motum, ut de tempore, de loco; de continuo, de conditionibus requiſitis ad motum. Secuti nos eundem ordinem, hanc primam Phyſicæ partem dividimus in tres diſputationes; quarum prima erit de principiis entis mobilis; Secunda de cauſis ejus: Tertia verò de motu, & iis quæ concernunt motum. Sub his tribus diſputationibus comprehenduntur omnia quæ agitari ſolent circa ens mobile in communi.

DISPUTATIO PRIMA.

De Principiis Entis mobilis.

PRincipia entis mobilis conſiderari poſſunt vel in communi, vel in particulari; vel quatenùs conveniunt in compoſitione entis mobilis. Undè præſens diſputatio dividitur in quatuor quæſtiones: quarum prima eſt de Principiis in communi; Secunda de Materia: Tertia de Forma: Quarta de Compoſito naturali ex materia & forma.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

QUÆSTIO PRIMA.

De Principiis in communi.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit principium Entis naturalis.

COnſtat lumine naturali, quòd quidquid producitur, ex aliquo principio producitur. Quod adeò verum eſt, ut quia in Divinis ponitur productio, per quam Filius æternus procedit à Patre, ideò quoque ponitur ratio principii. Cùm igitur ens mobile producatur, neceſſe eſt, ut habeat aliquod principium, ex quo producatur. Duplex autem principium diſtingui ſolet; intrinſecum ſcilicet, & extrinſecum: Intrinſecum eſt, quod eſt intra rem ipſam, v. gr. litteræ componentes ſyllabam, & lapides ex quibus fit domus, ſunt principia intrinſeca, quia ſunt intra res ipſas, quas principiant; Principium verò extrinſecum eſt, quod quamvis principiet rem aliquam, attamen eſt extrà ipſam; ut Typographus licèt ſit principium & Author vocabulorum in libro exiſtentium, & Artifex, licèt ſit principium domus; attamen nec Typographus eſt intra ipſa vocabula, nec Artifex intra ipſam domum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

mum: undè dicuntur principia extrinſeca. In præſenti ſolùm agimus de principiis intrinſecis rerum naturalium, & quærimus, quomodo definiantur talia principia.

Dico: Principia entis naturalis rectè definiuntur, quæ nec ex aliis, nec ex alterutris, ſed ex ipſis omnia naturalia fiunt. Ita definit Ariſtoteles, & cum eo communitèr Philoſophi.

Declaratur hæc definitio: In primis dicitur principia non debere fieri ex aliis: ſiquidem aliàs non eſſent prima principia, ſed potiùs principiata. Additur, quòd non debeant fieri ex alterutris, quia principia propriè non fiunt, ſed potiùs ſunt factionis naturalis primordia; & ideò ſicut non fiunt, ita quoque nec ex alterutris fiunt. Additur, quòd omnia naturalia fieri debeant ex ipſis, quia hic inquirimus principia communia omnium entium naturalium, non verò ejuſdem entis particularis.

Objicies. Principia naturalia fiunt ex alterutris; ergò definitio prædicta non eſt bona. Probatur antecedens: ut enim dicetur infrà, forma, & materia ſunt principia entis naturalis; ſed forma fit ex materia; ergò principia entis naturalis fiunt ex alterutris.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, nego ſuppoſitum, quòd ſcilicèt propriè loquendo forma fiat, ſicut enim dicetur infrà, fieri ſequitur ad eſſe. Undè ſicut forma propriè loquendo non habet eſſe, ſed ſolùm eſt id quo aliquid conſtituitur, ita propriè loquendo forma non fit, ſed ſolùm eſt id, quo aliquid fit. Undè quando generatur equus, non dicimus animam equi generari, ſed totum equum ex anima, & corpore conſtitutum.

Quæres, quomodo hæc tria inter ſe diffe-

Digitized by Google

runt Principium, Cauſa, & Elementum.

Reſpondeo cum D. Thom. 1. Phyſ. lect. 1. Principium attendi ſecundum proceſſum unius rei ab alia; undè Principium dicitur id, à quo procedit aliquid, quomodocunque procedat ſeu tanquàm à cauſa, ſeu tanquam à termino, ſeu tanquàm à communicante eſſe ſine dependentia & cauſalitate; undè Pater Æternus dicitur principium Filii, non tamen cauſa ejus, vel Elementum; quia dat eſſe Filio ſine ulla cauſalitate, & dependentia: ſimiliter punctum dicitur principium lineæ: locus à quo quis proficiſcitur, dicitur principium viæ; dies in qua quis naſcitur, dicitur principium vitæ, quamvis hæc omnia nullam importent cauſalitatem. Cauſa verò eſt id, à quo res dependent ſecundùm eſſe ſuum, vel fieri; ſeu id, à quo aliquid habet eſſe, non quomodocunque, ſed per realem influxum, & dependentiam. Sic pater creatus eſt cauſa filii, quia dat ipſi eſſe per realem influxum, & cum dependentia; Elementum demùm eſt id undè res cauſatur, non quomodocunque, ſed per modum partis intrinſecè componentis: & ideò definitur elementum ab Ariſtotele, ex quo res componitur primò, & ineſt in ea. Sic litteræ ſunt elementa ſyllabarum, & corpora ſimplicia ſunt elementa mixtorum; undè principium eſt communius quàm cauſa, & cauſa quàm elementum, ſiquidem omne elementum eſt cauſa, & omnis cauſa eſt principium, ſed non è contrà.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Quomodo Principia rerum naturalium ſint inter ſe contraria.

EXplicata definitione principiorum, nunc qualia ſint, expendendum eſt. Fatentur autem omnes Philoſophi, *quaſi*, inquit Ariſtoteles, *ab ipſa veritate coacti*, prima principia rerum naturalium eſſe aliquomodò inter ſe contraria. Et ideò Veteres dum aſſignabant principia, ſemper aliquam contrarietatem inter ea reponebant. Alii enim dicebant principia rerum eſſe amorem & litem: Alii vacuum, & plenum; Alii frigus, & calorem; Alii congregationem, & diſgregationem; Alii latitationem, & apparentiam: Alii rarum, & denſum: Alii parvum, & magnum: Alii diverſas atomorum diſpoſitiones ſecundùm figuram, ſituationem, motum, & quietem; quæ omnia important aliquam contrarietatem, & oppoſitionem. Undè ſolùm quæritur, quomodo ejuſmodi prima principia, quæcunque ſint, inter ſe ſint contraria. Pro reſolutione.

Dico primò: Prima principia dicuntur largo modo contraria ſeu oppoſita, inquantùm generatio rerum, ſicuti & omnis motus eſt inter terminos oppoſitos.

Declaratur concluſio; ſolùm enim explicatione indiget. Principia ergo dicuntur ſolùm largo modo contraria, quia contrarietas propriè dicta non eſt, niſi inter qualitates; cùm ergò prima principia non ſint qualitates, ut infrà patebit, non poſſunt eſſe contraria niſi largo modo, qua-

quatenùs contrarietas ſumitur pro oppoſitione & incompatibilitate.

Dico ſecundò: Non omnia principia entis naturalis ſunt contraria, ſed dari debet unum tertium, quod ſit ſubiectum commune utriuſque contrarii.

Probatur concluſio primò ex conſenſu omnium Philoſophorum, qui dum ponebant aliqua ex principiis eſſe contraria, ſemper ſtatuebant aliquod ſubiectum commune ſubſtratum iſtis contrariis. Qui enim dicebant frigus & calorem, vel rarum & denſum, vel parvum & magnum, vel congregationem & diſgregationem eſſe principia rerum naturalium, prætereà ſtatuebant aliquod corpus commune ſubiectum iſtis contrariis, v. gr. ignem, vel aerem, vel aquam. Qui verò dicebant motum & quietem atomorum, diverſaſque earum ſituationes eſſe principia rerum, prætereà ponebant iſta corpuſcula eſſe ſubiectum commune diverſarum diſpoſitionum, & ſituationum; ergò pratèr duo principia contraria generationis rerum, debet ſtatui tertium, quod ſit ſubiectum utriuſque contrarii.

Probatur ſecundò ratione. Tùm quia contraria ſunt, quæ ab eodem ſubiecto ſeſe expellunt; ergò prætèr duo principia contraria, debet admitti tertium, à quo ſeſe expellant, quòdque ab uno contrario tranſeat ad aliud contrarium: Tùm quia principia entis naturalis ſunt, quæ concurrunt ad ejus generationem: ſed præter principium à quo fit generatio, & principium ad quod terminatur generatio, requiritur ſubiectum commune tranſiens à termino à quo ad terminum ad quem; ergò præter duo principia contraria datur tertium commune ſubiectum utri-

utrique contrario. Id etiam declarari poteſt exemplo rerum artificialium; ſic enim videmus, dum fit aliquod artefactum v. g. imago Cæſaris, dari ſubjectum aliquod commune tranſiens ab uno oppoſito ad aliud oppoſitum; nam imago fit, inquantùm materia, ſcilicèt lignum, vel metallum tranſit ab infigurato ad figuratum: ergò etiam in productione rerum naturalium ſtatuendum eſt tertium principium, quod tranſeat ab uno contrario ad aliud contrarium, ſcilicèt à non eſſe rei ad eſſe ejus, ſeu, ut ſtatim dicetur, à privatione ad formam.

ARTICULUS TERTIUS.

Quot, & quæ ſint Principia Entis naturalis.

QUæ ſuprà diximus circà definitionem, & contrarietatem principiorum, ferè in confeſſo ſunt apud omnes tùm Antiquos, tùm Recentiores: ſed in aſſignandis illis principiis ex quibus fiunt res naturales, ingens fuit ſententiarum diverſitas, præcipuè apud antiquos Philoſophos. In hoc ergò articulo referemus, & ſigillatim refutabimus falſas aliorum opiniones duobus primis paragraphis, & in tertio ſtatuemus veram circa ejuſmodi principia ſententiam.

§. I.

§. I.

Referuntur, & refutantur Veterum opiniones circa principia.

Prima ſententia fuit Pytagoræorum, qui rerum omnium principia dicebant eſſe numeros. Sed hæc ſententia, ſi ad litteram explicent, eſt evidenter falſa: nam numeri ſupponunt res numerabiles, numerus enim reſultat ex diviſione rerum, ergò non ſunt earum principia.

Secunda ſententia unicum principium ſtatuebat, ex quo fierent omnia. Et in primis Parmenides, & Meliſſus dicebant illud principium eſſe Ens, ideſt, ut explicat D. Th. 1 phyſ. l.10. quamdam ſubſtantiam eſſentialiter uniformem, diverſam verò ſecundùm ſenſibilem apparentiam Undè conſequenter admittere tenebantur ignem, & aquam, & omnia alia corpora eſſe ſubſtantialitèr idem, ſolumque differre ſecundùm qualitates ſenſibiles, colorem, frigus, calorèm levitatem, gravitatem, &c. Thales verò dicebat, illud principium eſſe aquam, quæ ſententia videtur derivaſſe ab Ægyptiis, qui cùm terræ ſuæ feracitatem, & omnia commoda debeant Nilo, ut gratitudinem rependerent beneficiis aquis, dicebant eas eſſe rerum omnium principium, ſecundùm quam ſententiam locutus eſt Poeta, dum ait.

Oceanuſque pater rerum, Nymphæque ſorores.

Diogenes verò dicebat, illud principium eſſe aerem; Heraclitus ignem; alii aliud. Huic autem unico principio adjungebant duos ſtatus contrarios; ut raritatem, vel denſitatem; frigus, vel

vel calorem: magnitudinem, vel parvitatem, aut aliquid ejuſmodi.

Tertia ſententia ponebat plura principia entium naturalium: Et primis Empedocles ponebat quatuor elementa eſſe omnium principia, quæ per litem, & amicitiam vel copulata, vel diſiuncta multiplicem rerum varietatem conſtituerent, Anaxagoras verò dicebat infinitas particulas diverſæ rationis v. g. ignis terræ, carnis, ſanguinis, ligni, &c. eſſe permixtas in qualibet re: dum autem particulæ ignis extra prodibant, res fiebat ignis: dum verò retruſis, & latitantibus illis particulis, particulæ aquæ prodibant, fiebat aqua, & ſic de aliis. Undè dicebat omnia eſſe in omnibus, ſed unum tantùm apparere, cætera verò latere. Democritus autem, Leucippus, Epicurus, & alii dicebant infinita corpuſcula quædam quæ vocabant atomos, ideſt magnitudines indiviſibiles, eſſe rerum omnium principia: & harum atomorum quaſdam dicebant eſſe rotundas, quaſdam triangulares, quaſdam oblongas, quaſdam quadratas, aut alterius figuræ, prout placebat, & rerum explicatio exigebat. Ex his igitur atomis omnia fieri dicebant, inquantùm certo quodam modo vel congregabantur, vel diſgregabantur, vel movebantur, vel quieſcebant. Undè apud ipſos, aqua, ignis, animantia, arbores, omnia nihil aliud erant, niſi commixtio quædam atomorum quadratarum, rotundarum, oblongarum, quieſcientium, vel ſeſe moventium. Hanc ſententiam jam ſepultam quidam conantur reſuſcitare, eò quòd ſcilicèt ſit atomos iſtas ad libitum in omnem faciem vertere ut de omnibus ad ſenſum, & imaginationem ratio reddatur. Ut autem breviter hæc omnia Veterum inventa

Digitized by Google

ta refutentur, & Ariſtotelica principia explicantur.

Dico primò Nullum ex elementis poteſt eſſe primum principium rerum naturalium.

Probatur facilè concluſio: Nam ipſa elementa habent principia, ex quibus fiant: ergò non ſunt prima principia rerum naturalium, ſed potiùs quædam principiata. Probatur antecedens. Nàm omne, quod gignitur, habet principia, ex quibus generetur, ſed videmus ad ſenſum omnia elementa de novò generari, & corrumpi: ſic enim accenditur ignis ex ſtupa, & rursùs extinguitur, formatur aqua ex aere, & rursùs in acrem diſſipatur, ergò elementa habent principia ex quibus generentur.

Dico 2. Prima rerum principia non ſunt quædam particulæ rerum omnium in qualibet re confuſim permixtæ, itaut quando particulæ aquæ emineant, fiat aqua; quando ſepultis iterùm in maſſa particularis aquæ; appareant particulæ alterius rei, ut ſanguinis, vel carnis, fiat ſanguis, aut caro.

Probatur concluſio: Nam aliàs ſequeretur in igne eſſe particulas aquæ, & in contrario eſſe aliud contrarium: Conſequens eſt falſum, ergò &c. Major patet. Probatur minor: Tùm quia omnis particula ignis eſt ignis, & in igne nulla videtur eſſe particula aquæ, undè rectè ait Ariſtoteles, *Anaxagoras hac in parte de rebus ſenſibilibus diſputare contra ſenſibilem experientiam*: Tùm quia cùm particulæ aquæ ſint contrariæ particulis ignis, non poſſunt invicem conciliari, ſaltèm naturalitèr, & abſque deſtructione, vel violentia; Tùm demùm, quia ſequeretur in rei veritate ignem non magis eſſe ignem, quàm aquam, ſed ſolùm ſecundùm ap-

paren-

parentiam, inquantùm particulæ ignis exteriùs apparent, particulæ verò aquæ intùs latent.

Dico 3. Corpuſcula ſeu atomos, non eſſe principia rerum. **Hæc concluſio non ſolùm eſt contrà veteres Epicureos, ſed etiam contra quoſdam recentiores, qui opinionem atomorum jam ſepultam ſuſcitare ſtudent: undè paulò accuratiùs erit** ſtabilienda.

Probatur ergo ratione fundamentali: Nam principia rerum oportet eſſe principia veræ generationis, & diverſitatis ſubſtantialis: ſed atomi non ſunt principia veræ generationis, & diverſitatis ſubſtantialis; ergò non ſunt principia rerum naturalium. Major patet. Nam res naturales non ſolùm ſecundùm diſpoſitionem accidentalem, ſed etiam ſubſtantialitèr diverſificantur, & ex una ſubſtantia producitur per generationem alia eſſentialitèr diverſa, ut ex ligno ignis, ex ſemine planta, ex pane caro, &c. quam etiam productionem ac generationem ſubſtantialem, infrà probabimus quæſt. 2. artic. 1. Minor verò probatur: Nam juxtà hujus ſententiæ Authores, atomi ſemper manent ſubſtantialitèr eædem, & ſolùm diverſificantur quantùm ad motum, & quietem localem, ſituationem, & figuram: ſed diverſitas, quæ eſt ſolùm ſecundum motum localem, ſituationem, & figuram non eſt diverſitas ſubſtantialis, ergò atomi non inducunt in rebus diverſitatem ſubſtantialem. Probatur minor: Nam motus, quies, figura, & ſituatio ſunt ſolùm quid accidentale, idem ſubſtantialitèr homo eſt & dum ambulat, & dum quieſcit; & dum eſt furſum, & dum eſt deorsùm; eadem eſt cera & dum eſt quadrata, & dum eſt rotunda, ergò diverſitas ſecundùm figuram, motum, & quietem non eſt diverſitas ſubſtantialis,

lis, ac proindè ſi res naturales ſolùm diſtinguantur ſecundùm motum, quietem, ſituationem, aut figuram attomorum, nulla eſt in illis diverſitas ſubſtantialis: v. g ſi ignis differt ſolùm à ligno, quia atomi componentes lignum quieſcunt, dum verò excitantur & moventur, fiunt ignis, lignum non differt ab igne ſubſtantialitèr, ſed ſolùm accidentalitèr.

Confirmatur prætereà concluſio rationibus conglobatis. Primò enim hæc opinio gratis ponit illas atomos, & ſine ulla ratione diſtinguit in illis tot figuras, fingendo quaſdam eſſe rotundas, quaſdam acutas, quaſdam quadratas, quaſdam aduncas, quaſdam oblongas, quaſdam in modum gladioli conformatas, quaſdam hamatas, quaſdam lanceatas, &c. Quæ omnia ſine ullo fundamento finguntur. Rogo enim quibus conſpicillis aut quo microſcopio exploraverint illas figuras in iſtis corpuſculis? experientiæ enim, quas adducunt, non convincunt, ſed alio modo ſine iſtis atomis ſalvari poſſunt.

Secundò, falſum eſt aliquod corpuſculum eſſe atomum, ideſt indiviſibile, ergò non dantur iſtæ atomi. Probatur antecedens. Nàm omne corpus, quantumvis minimum, eſt quantùm: ſed omne quantum eſt diviſibile: ergò omne corpus eſt diviſibile Major patet. Nam quantitas eſt proprietas corporis. Minor probatur: tùm quia diviſibilitas eſt proprietas quantitatis: tùm quia, quod habet partes integrantes, eſt diviſibile; ſed omne quantum habet partes integrantes (ſiquidem quantitas eſt eſſentialiter extenſio partium) ergò omne quantum eſt diviſibile.

Tertiò, dato quòd iſta corpuſcula ſint indiviſibilia, non erunt figurata: ergò falsò fin-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

finguntur tot figuræ in illis. Probatur antecedens. Nàm figura eſt, quæ conſurgit ex varia partium quantitativarum diſpoſitione, ut figura rotunda fit in cera ex eo, quòd partes ceræ diſponantur cum æquali diſtantia à centro, & ſic de aliis: ſed quod eſt indiviſibile ſeu atomus, nullas habet partes; ergò impoſſibile eſt in atomo eſſe aliquam figuram.

Quartò dato quòd atomi haberent figuram, omnes deberent eſſe ejuſdem figuræ; ergò malè diſtinguuntur in illis tot figuræ: Probatur antecedens: Nam ſi haberent varias figuras, v. gr. ſi una eſſet quadrata, & alia oblonga, ſequeretur unam atomum eſſe longiorem, vel latiorem altera; ſicque poſſe ſubdividi in duas partes æquales alteri in longitudine, & proindè atomos illas non eſſe indiviſibiles. Probatur ſequela: Nam atomus oblonga vel eſt longior & gracilior altera quadrata, vel non; ſi non eſt gracilior, neque longior quadrata; ergò non eſt oblonga: nàm figura oblonga neceſſariò vel eſt longior, vel gracilior quadrata; ſi verò iſta atomus oblonga eſt longior, & gracilior; ergò ex atomis una eſt longior altera.

Quintò, etiamſi darentur atomi ſeu minima corpuſcula, deberent componi ex potentia & actu corporeo, ideſt ex materia & forma, ergò non eſſent prima principia. Probatur antecedens: Nam nullum corpus, quantumvis minimum, poteſt eſſe actus purus; ergò debet componi ex potentia & actu corporeo, ideſt, ex materia & forma.

Sextò quæro; utrùm omnes iſtæ atomi ſint ſubſtantialitèr ejuſdem ſpeciei, vel non; ſi ſint ejuſdem ſpeciei; ergò debent habere eundem motum naturalem: nam corpora ejuſdem ſpeciei mo-

moventur eodem motu naturali, v. gr. omnes particulæ ignis moventur ſursùm, ergò falsò dicunt Authores hujus ſententiæ, quaſdam atomos moveri naturalitèr ſursùm, quaſdam deorsùm, quaſdam in tranſverſum; Si verò ſint diverſæ ſpeciei, cum conveniant in ratione corporis, debet aſſignari in illis aliquod principium eſſentiale, ſecundum quod una atomus differt ab alia.

Septimò, ex iſtis atomis non poteſt reddi ratio effectuum naturalium, cur v. g. tantus in natura ordo cernatur: quomodò ex modico grano poſſit fieri arbor; cor ſimile generat ſibi ſimile; undè tanta varietas potentiarum, virtutum, inclinationum, & actionum in rebus; undè tanta, tamque mirabilis ſolertia in animalibus ad procuranda ſibi commoda; & fugienda incommoda; quomodo fiat in illis memoria, imaginatio, æſtimativa, ſenſus communis; quomodo ſpecies viſibiles rerum emittantur ad oculos, & ad ſpeculas; quomodo ferrum attrahatur à magnete, quomodo modica ſcintilla magnum pulveris tormentariis aggerem tàm ſubitò inflammet. Dicere enim, quòd atomi iſtius ſcientillæ, cum ſint in perpetuo motu, dum tangunt atomos pulveris, ſuam illis inquietudinem communicando, tantum in eis, tamque repentinam ſeditionem excitent, in qua conſiſtit ignis, incredibile prorsùs videtur; veluti ſi quis diceret, muſcam volitantem circà aggerem frumenti, poſſe totam granorum maſſam commovere, & vulgato repentè in omnia grana ſuo motu, totum acervum diſſipare. Similitèr dicere, quod iſtæ ſtupidæ atomi in cerebello apis congregatæ poſſint ei communicare adeò mirabilem induſtriam; quòd ſpecies viſibiles ſint quædam atomi dera-

deraſæ ex ſuperficie corporum, quæ tàm ſubitò, cum tanto ordine, tàm rectè ferantur ad oculum, ut nulla diſtantia retardentur, nullo ventorum flatu abripiantur, nulla aeris agitatione turbentur, nullis feneſtrarum clauſtris impediantur, quòd magnes attrahat ferrum per quaſdam atomos aduncas, & hamulatas, quas à ſe ad ferrum dimittit, & poſteà retrahit ſimul cum ferro, ſicut piſcator piſcem. Hæc omnia, inquam & ſimilia, quæ proſequi non vacat, non modò abſurda, ſed & delirio fabelliſque ſimilima videntur.

Octavò demum hæc Atomiſtarum ſententia non ſatis congruit ad explicanda fidei dogmata; cum enim tollat omnem diſtinctionem realem accidentium à ſubſtantia e quomodò explicabit ſubſtantiam panis verti in Corpus Chriſti, manentibus tamen iiſdem accidentibus quæ erant in pane; Et cum neget dari ullam formam ſubſtantialem, quomodò ſalvabit animam hominis eſſe formam ſubſtantialem ejus corporis, cum quo componat unicam ſubſtantiam. Et ſi concedit hominem conſtitui ex anima tanquàm forma, & corpore tanquàm materia; quare etiam idem non poterit dici de aliis rebus, eas ſcilicèt conſtare ex materia & forma: & ex ſolis atomis. Et ſi juxta fidei Doctrinam conſtet gratiam ſanctificantem, virtutes ſupernaturales, dona Spiritus Sancti eſſe qualitates ſpirituales ab anima diſtinctas, eamque informantes; quare negabis etiam res corporeas informari poſſe per qualitates corporeas ab ipſis diſtinctas.

Adde tandem quod, dum hæc ſententia ſuas atomos rerum omnium naturalium cauſas facit, periculum eſt, ne tandem eo ducat homines imaginationi deditos, ut cum Saducæis exiſtiment

om-

omnia eſſe corpora. Undè antiqui Atomiſtæ Leucippus, Democritus, Epicurus, & Lucretius, eo tandèm dementiæ devenerunt, ut dicerent non dari entia ſpiritualia, ſed omnia etiam Deos ipſos ſi qui eſſent, componi ex atomis, mundum non eſſe conditum à Deo, nec diſpoſitum per aliquam ſupremam intelligentiam, nec regi ab aliqua providentia, nec aliquid in eo agere propter finem, ſed omnia fieri ex fortuito concurſu atomorum per inane ſpatium volitantium. Et ideò hæc Atomiſtarum ſecta omnium ſapientum cenſura proſcripta fuit tanquàm non modò rudis & inepta, ſed etiam de Religionibus malè merita Neque putaverim Recentiores, purgatis tamen his impietatibus, ei adhærere, quòd veram illam ſeriò putent, ſed potiùs animi gratia, ut ingenii acumen in malæ cauſæ defenſione oſtentent: ſicut Philoſophus Phavorinus legitur ſuſcepiſſe patrocinium febris quartanæ, & Glaucus injuſtitiæ, immò quidam ſtultitiæ.

§. II.

Impugnatur ſententia Renati Deſcartes circà principia rerum naturalium.

Etſi, ut ait Ariſtoteles, contrà omnem proferentem ſermones non oporteat eſſe ſolicitum, & hujus viri principia ſatis impugnata ſint paragrapho præcedenti, cum ſecundùm rei veritatem non differant à principiis Atomiſtarum ponentium particulas quantitatis (quam vocant materiam, & ſubſtantiam rerum) per motum, figuram, & ſitum ſuum conſtituere varietatem entium naturalium; quod idem perpetuo

Digitized by Google

inculcat prælatus Author, quia tamen ejus opiniones, non quidem ſolidis rationibus ſed ſolùm facilibus, & imaginationi blandientibus explicationibus declaratæ, magnam approbationem repererunt, præcipuè apud eos, qui imaginatione magis quàm ratione philoſophantes interiora, intelligibilia rerum principia penetrare non amant, aut nequeunt; ideò paulò accuratiùs illas ſummatim, & quantùm ad præcipua capita (ſigillatim enim brevitas non ſinit) referendas, ac refutandas hic ſuſcipimus.

Igitur Author ille, alioquin ſolers, ingenioſus, & in mathematicis egregiè verſatus, in præfatione ſui libri de principiis Philoſophiæ, Veteres omnes tanquàm in veſtiganda ſapientia infelices, ac propè cæcos ſuperbiſculè inculpans, & quidquid hactenus ab illis de rebus naturalibus traditum eſt, ut inſignem errorem, in quo quantò magis profeceris, tantò longiùs à veritatis tramite declinaveris rejiciens, genuina Philoſophiæ principia ſe reperiſſe, ipſamque veritatem cæteris ſe oſtenſurum, ac demonſtraturum tanta ſecuritate aſtruit, ut videatur illam de puteo Democriti recenter extractam in publicum primus prodixiſſe. Securitatem illam cum ſuis fundamentalibus principiis hæreditaſſe videtur ab Epicureis, qui veritatem quaſi digito ſe indicare confidentiſſimè gloriabantur, ipſumque ſectæ caput Epicurum *patrem veri* nuncupabant.

Hæc præfatus poſtquàm omnia omninò in dubium pluſquàm Pyrrhonium ſtatim in limine primæ partis revocavit, eorum examen numero 7. ab hoc principio auſpicatur; *Ego dubito ac cogito, Ergo ego ſum, quod enim non eſt, nec dubitare, nec cogitare poteſt.* Ex quo mox infert, rem quæ cogitat, ideſt, mentem noſtram, non

eſſe

eſſe corpus: Quod quidem licèt ſit veriſſimum, fragili tamen argumento convincit; *Et quod*, inquit num. 8. *licèt mens cogitet, ac certa ſit ſe eſſe, nondum tamen cogitat, ac certa eſt ſit ne in mundo aliquod corpus*, ideſt aliquid extenſum; *ergo mens cogitans non eſt extenſa, & corporea*. Sed retorqueri facile poſſet hoc argumentum; nam etiam mens dum cogitat, & certa eſt ſe eſſe, nondùm tamen certa eſt, & cogitat, an ſit ens ab alio productum vel improductum, an ſit ipſa actualis cogitatio, vel aliquid à ſua cognitione diſtinctum; & tamen alterutrum eorum eſt. Quidni ergò poſſet eſſe corporea, quamvis ſuprà ſuam cogitationem reflectendo nondùm corporeitatem adverteret; præcipuè cum ex præfato argumento mens quidem convincatur de ſua exiſtentia, nondùm tamen ſuam quidditatem plenè, ac diſtinctè cognoſcat: undè quia exiſtere eſt quid commune rebus tùm corporeis, tùm ſpiritualibus, poſſet abſolutè eſſe corporea, quamvis de corporeitate nondùm plenam, & diſtinctam notionem haberet, ſicuti eſt creatura, & ut communitèr tenetur, à ſua cogitatione realitèr diſtincta, quamvis dum ita arguit, nondùm de his cogitet. Enervat adhuc magis argumentum ſuum ipſe Renatus, dum nomine cogitationis dicit ſe comprehendere omnem omninò cogitationem tùm ſenſitivam, tùm intellectivam, ut patet num. 9. Unde hoc argumentum proinde probat etiam cognitionem ſenſitivam eſſe quid incorporeum, & tamen viri ſapientiſſimi ſenſationem ab intellectione diſtinguunt, quòd iſta ſit quidem operatio ſpiritualis & incorporea, nobis cum Angelis communis; illa verò ſit corporea, & pecudibus communis; ut autem fert commune axioma: *Qui nimis probat, nihil probat*, Un-

de alia via & ratione probanda eſt animæ rationalis ſpiritualitas, & non infirmis his ratiociniis, quæ ſua fragilitate ſoliditati veritatis derogant magis, quàm favent.

Conſtituta ejuſmodi animæ, mentiſque notitia; progreditur ad alia inveſtiganda ex ipſis idèis, quæ cùm naturalitèr animæ inſint, illi ſupra ſe reflectenti ſtatim occurrunt, quarum prima præcipuaque eſt idea entis omnimodè perfecti ſeu Dei, quem ideò dari probat. Primò quia exiſtentia neceſſariò includitur in ejus idea, ſiquidem non repræſentaret eum omnimodè perfectum ſi ipſum ſine exiſtentia, quæ eſt perfectionum præcipua, repræſentaret, ſicut ergò habere tres angulos neceſſariò competit triangulo, quia in ejus idea relucet, ita exiſtentia neceſſariò competit Deo, quia in ejus idea repræſentantur, proindèque neceſſariò exiſtit. Secundo, quia tam perfecta idea debet effluxiſſe ab aliquo prototypo ſe nobiliori, nullius autem nobilior prototypus aſſignari poteſt niſi ſolus Deus, à quo impreſſa fuerit menti noſtræ iſta divinitatis notio & idea. Ex quo ulteriùs infert ipſam animam eſſe cauſatam à Deo, aliàs enim Deus omnimodè perfectus non eſſet, ſi animam cùm cæteris aliis rebus non produxiſſet. Cùm autem Deus nec falli poſſit nec fallere velit, ſed ſit ipſa veritas, infert, eum ne ſit errorum noſtrorum Author, talem feciſſe mentem noſtram, ut nunquàm falli poſſit in his, quæ clarè ac diſtinctè concipit, ex quo concludit num. 30. omne, quod clarè, ac diſtinctè à nobis concipitur, eſſe etiam verum, ideſt, ita ſe habere, ſicut concipitur.

Planè quamquàm non ſit hujus loci hæc omnia diſcutere, Metaphyſicalis hæc doctrina infinitis ambiguitatibus, & impugnationibus obnoxia

noxia eſt, tantùm abeſt; ut ſit evidens & demonſtrativa, qualem ipſe putat. Nam, ut cætera mittam, qua quæſo ratione clare & evidentèr demonſtrat, ideas rerum naturalitèr eſſe à Deo immediatè nobis inditas, & non à ſenſibus acceptas, ſicuti docent Ariſtoteles, Div. Thomas, & primates Theologi, ac Philoſophi? & tamen hæc ſuppoſitio videtur eſſe totius hujus ratiocinii columen; Nam ſi rerum notiones, & ideas Deus per ſe menti noſtræ non impreſſit, ſed beneficio ſenſuum à rebus anima collegit, nihil prohibet mentem noſtram, ut potè defectibus obnoxiam, & in confinio ſubſtantiarum intellectualium poſitam, proindèque à fonte veritatis elongatiſſimam, in venandis ejuſmodi notitiis ſæpiſſimè peccare; ſicuti probat ſummorum virorum in varios errores lapſus, neque propterea refundetur hic error in Deum, ſicuti nec alia cauſarum ſecundarum in ſuis operationibus ſæpe deficientium peccata. Deinde, quælibet ſecta ſua principia putat eſſe clara ac diſtincta, & certè tàm clare ac diſtinctè probant Peripatetici dari materiam, ex qua omnia fiant, & formam per quam omnia in ſuo eſſe conſtituantur, ac ipſe laudatus Author probet animam eſſe incorpoream, extenſionem eſſe ipſum eſſentiale conſtitutivum ſubſtantiæ corporeæ, particulas materiæ quantum eſt de ſe moveri ſolo motu recto, &c. Utri ergò adhærebit animus, cum quilibet ſua principia ut clara ac diſtincta divendat? Planè vel dicendum non omnia, quæ nobis clara diſtinctaque videntur, eſſe propterea vera, vel, ut quidam ex Antiquis docuere, omnia quæ apparent, eſſe vera. Sed miſſis his omnibus, & aliis quæ ipſe tota prima parte

proſequitur, ut ad ea, quæ ſunt hujus loci accedamus.

Aggreditur in ſecunda parte principia rerum materialium explicanda. Et poſt multa de motu, de rarefactione, de ſpatio, & loco, de illimitatione mundi omninò falſa, ut num. 8. quod etiam divinitùs dari non poſſit vacuum, & num. 21. quod mundus ſit illimitatus, & ſpatia illa quæ ſupra cœlos imaginamur vacua, ſint tamen veris corporibus in immenſum diffuſis plena, & numer. 22. quòd impoſſibile ſit dari plures mundos; tandem ingenuè profitens ſe nihil agnoſcere in ſubſtantia materiali præter extenſionem diviſibilem, figurabilem, & loco mobilem, concludit particulas quantitatis, ſeu extenſionis per ſuas diviſiones, figuras, ac diverſos motus eſſe principia rerum naturalium; ſeque nihil ut verum recipere, niſi quod ex iis principiis clarè deducatur, ſcilicèt ut quiſque omnia ſtudiis ſuis geſtit accommodare, dicebat hominem Mathematicæ deditum, non alium orbem agnoſcere, niſi quem particulæ, ac figura quantitatis conſtituerent, ſicuti, ut notat Tullius, quidam Muſicus, ne ab arte ſua reccederet, animam finxit eſſe quamdam harmoniam: & forte ſi aliquis miles novam excogitet Philoſophiam, mundum bellicum ex pugnis conſtituet, & juriſta ex litigiis, legibus, ac judiciis, Mercator ex nundinis, ac reciproco commercio; Nauta ex aquis cum antiquo Thalete, &c. Nec deerunt rationes apparentes, quibus quiſque ſua inventa ſtabiliat, & naturæ effectus explicet.

Motùm verò localem particularem dicit hic author initio mundi eſſe à Deo impreſſum, & uniformiter conſervari in materia cum tribus legibus; quarum prima eſt *Quidquid localitèr move-*

movetur nunquàm ceſſat à motu, donec ab alio coerceatur. Et quidquid quieſcit, ſemper quieſcit donec alterius colliſione à ſua ſtabilitate dimoveatur. Secunda verò. *Motus omnis de ſe eſt rectus, nec fit obliquus, niſi occurſu & colliſione alicujus corporis obliquetur.* Tertia demùm. *Corpus motum quieſcenti allidens ſi fuerit fortius in ſuo motu, quam iſtud in ſua ſtabilitate, ipſum movet, tantumdèm de ſuo motu deperdendo, quantùm iſti alteri contulerit; ſi verò corpus quieſcens ſit fortius in ſua ſtabilitate, ac quiete, quàm corpus motum in ſuo motu iſtud illi allidendo, ut pila parieti, nihil deperdit de motu, ſed ſolam mutat viam, ac determinationem ſui motus, reſiliendo verſus partem à qua fuit projectum.* Itaut apud iſtum authorem motus ſit quædam ſarcina rebus à natura impoſita, qua ſe minimum quidem poſſint exonerare, niſi aliis imponendo. Has verò mirificas leges quæ ſunt ejus doctrinæ præcipua columina, ut ſanctiores, & venerabiliores efficiat ex mathematicis ad theologica repentè convolans, demonſtrat ex ipſa Dei immutabilitate à num.36. ad 42. quia ſcilicet inconſtantia Deo attribueretur, ſi diceremus eum novos motus inducere in mundo, & ob ſuam immutabilitatem debet res in eodem ſtatu conſervare; ideſt, id quod eſt in motu ſemper in motu, id quod eſt in quiete ſemper in quiete, quam eamdem rationem duabus aliis regulis accommodat. Sed planè, præterquam quòd hæc regulæ repugnant manifeſtis experientiis, quibus videmus adepto termino gravia, leviaque motum ſuum ſpontè finire, pluraque mobilia ceſſare à motu, licèt illum alia non transferant, ſidera naturalitèr girare ac ferri motu circulari, & corpus motum allidens quieſcenti non ſemper reſilire cum eodem impetu,

immò ſæpè cum nullo, ut patet in maſſa picis alliſa parieti, quæ nec reſilit, nec movet parietem, ſed ipſi adhæreſcit & agglutinatur. Ratio Theologica, quam ad has regulas ſtabiliendas adhibet Renatus, prorsùs inepta eſt. Quaſi verò Deus abſque ſuæ immutabilitatis præjudicio, quos ſemel rebus indidit motus, augere, variare, minuere nequiret: aut præfinire cuilibet rei certos ſui motus terminos; quibus adeptis quieſcat, aut ex corporibus aliis quidem rectum, aliis circularem motum tribuere, ut iſta motuum varietate venuſtior ſit orbis. Rejectis igitur fictitiis his motuum legibus, ut principia quoque iſtius Authoris confutentur, quod præcipuè ad hanc partem pertinet.

Dico particulæ quantitatis ſecundùm diviſionem, figuram, & localem motum variatæ non poſſunt eſſe rerum naturalium principia. Concluſio probari poſſet ferè iiſdem argumentis, quæ præcedenti paragrapho proſecuti ſumus, ſed prætereà.

Probatur primò. Nam iſta principia ſolùm voce tenùs differunt à doctrina Epicureorum de principiis naturæ; cæterùm reipſa conveniunt: ſed doctrina Epicureorum de principiis naturæ fuit unanimiter à Doctoribus Catholicis rejecta, ergò pari jure, & ipſa Renati principia ſunt rejicienda. Minor patet; Quamvis enim ex Patribus, & Doctoribus Eccleſiæ, quidam Platoni, quidam Ariſtoleli adhæreant, unanimitèr tamen Epicuri doctrinam, etiam de corpuſculis & rerum naturalium principiis inculpant ut rudem, & falſam: immò Auguſtinus Epicurum vocat delirum Philoſophorum, vel potiùs amatorem vanitatis, non ſapientiæ; ſimilia illius, & corpuſculorum doctrinæ elogia crebrò apud

San-

Sanctos doctores occurrunt. Major verò probatur. Nam capitalia Epicureæ ſectæ de principiis dogmata erant: omnia componi ex corpuſculis motu, ſitu, figura diverſis, corpuſcula illa tum recto ferri, occurſu aliorum obliquari, hinc fieri turbines, ac vortices, &c Sed hæc ſunt ipſiſſima Renati principia, qui etiam ut pleniùs epicurizet, num. 28. jubet à ſua Philoſophia exulare cauſarum finalium inquiſitionem; ergò principia Renati ſunt eadem ac Epicureorum. Et hoc conſiderandum eſt, ne quis fortè putet hunc Authorem iſta principia excogitaſſe, & non potiùs ex Epicureorum ruinis ſuam doctrinam ædificaſſe, quam tamen mathematicis rationibus illuſtraſſe, ac ingenioſè expendiſſe non eſt diffidendum.

Reſpondet ad hoc argumentum Renatus numer. 202. quartæ partis; Democritum (quod idem dicendum de Epicuro) poſuiſſe pro principiis rerum, magnitudines indiviſibiles, (*atomos* vocabat) & ponderoſas, cum tamen ipſe illas aſtruat, & in infinitum diviſibiles, & ſine ullo prorsùs pondere ac gravitatione.

Sed hæc reſponſio vel nullum, vel leve diſcrimen aſſignat; tùm quia hæc duo levioris momenti ſunt; nec obſtant quominùs in præcipuis capitibus de conſtitutione rerum materialium cum Epicureis concordet ille Author: tùm quia Democritus, & Epicurus non videntur hanc indiviſibilitatem uſurpaſſe in ſenſu rigoroſo & mathematico, quo modo eam ſumit Renatus, dum corpuſcula ſeu materiæ particulas negat eſſe indiviſibiles, ſed Phyſicè & lato modo ita ut corpuſcula dicerentur ab illis indiviſibilia, quia erant ultima conſtitutionis majorum,

corporum elementa, ex coacervatione aliorum corpuſculorum non compoſita. Pondus verò dabant corpuſculis ſolùm, ut ſalvarent localem motum: undè apud illos pondus nihil aliud erat, quàm vis ſe rectè movendi, quàm vim in corpuſculis admittit Renatus 2. p. n. 45.

Probatur 2. concluſio. Principia rerum naturalium debent eſſe aliquid ſubſtantiale, aliàs enim non poſſent conſtituere ſubſtantias naturales, ut patet: Atqui quantitas cum ſua figura, ſuoque motu, non eſt aliquid ſubſtantiale; ergò non poteſt eſſe principium rerum naturalium. Major patet, probatur minor, quam Renatus negat dicens 2. p. num. 9. quantitatem, ſeu extenſionem eſſe conſtitutivum ſubſtantiæ materialis: tùm ex myſterio Euchariſtiæ, quod enim ſeparatur à ſubſtantia materiali, non eſt ejus ſubſtantiale conſtitutivum: ſed in Euchariſtia quantitas panis ſeparatur realitèr ab ejus ſubſtantia; ſiquidem poſt conſecrationem non eſt ampliùs ſubſtantia panis, ſed tranſit in corpus Chriſti, & tamen, ut docet Eccleſia, remanet adhuc quantitas panis cum cæteris accidentibus; ergò quantitas non eſt conſtitutivum ſubſtantiæ, ſed ſolùm accidens ab ea ſeparabile: tùm etiam ratione naturali id ſuadetur: Nam principia ſubſtantialia in diverſis rebus debent eſſe diverſa, ſunt enim radicalia principia operationum, & proprietatum, quæ cum ſint diverſæ in diverſis, exigunt quoque principia diverſa; ſed quantitas in omnibus eſt ejuſdem rationis, ut de ſe patet, ergò quantitas non eſt principium ſubſtantiale, ſed præter illam admittenda ſunt alia principia ſubſtantialia.

Reſpondere ſolent Renati ſectatores ad primum, quo mirè torquentur, res philoſophicas

non debere probari ex myſteriis fidei, quæ quia ratio noſtra non capit, ideò ex illis diſcurrere non poteſt. Ad ſecundum verò dicunt quantitatem, licèt ſit ubique ejuſdem rationis, attamen conſtituere diverſitatem in rebus, & operationibus in quantùm ipſa diverſa eſt ſecundùm ſuas particulas, quarum aliæ rotundæ, aliæ quadratæ, aliæ oblongæ ſunt, &c. aliæ moventur, aliæ quieſcunt: ex qua diverſitate naſcitur rerum varietas: ut particulæ quieſcentes conſtituunt ſolida: particulæ ſe moventes conſtituunt res accidas, & diſſolventes, & ſic de cæteris:

Sed contra primùm, Nam myſteria fidei & ſunt, & debent ſupponi veriſſima: undè quia ex verò nunquam, ſequitur falſum, quidquid ex myſteriis fidei legitimè circa res naturales infertur, neceſſe eſt eſſe verum, nec ſine errore poteſt negari. Ridiculum igitur eſt dicere nos ex iis, quæ ſunt fidei, non poſſe philoſophicas veritates eruere: immò ad nullam certiorem regulam poſſumus naturales cognitiones probare quàm eas ad fidei veritates, tanquam ad lydium lapidem examinando: veluti enim nautæ incertos & ancipites in mari curſus dirigunt inſpiciendo certiſſimas ſiderum vias, ſuoſque errores iſta collatione reformant; ita quoque naturales noſtros diſcurſus regere ac corrigere poſſumus eos, quantum fieri poteſt, ad cæleſtes fidei traditiones comparando; Undè Pythagoras meritò dicebat; Divina oracula multum ad Philoſophiam conferre.

Reſponſio etiam ad ſecundum impugnatur: Tùm quia, ut ſupra dictum eſt, figura, motus, & quies, cum ſint aliquid pure accidentale, non poſſunt eſſe principia ſubſtantialis diverſitatis; tùm etiam quia reſponſio ſupponit res quas diſer-

corporum elementa, ex coacervatione aliorum corpuſculorum non compoſita. Pondus verò dabant corpuſculis ſolùm, ut ſalvarent localem motum: undè apud illos pondus nihil aliud erat, quàm vis ſe rectè movendi, quàm vim in corpuſculis admittit Renatus 2. p. n.45.

Probatur 2. concluſio. Principia rerum naturalium debent eſſe aliquid ſubſtantiale, aliàs enim non poſſent conſtituere ſubſtantias naturales, ut patet: Atqui quantitas cum ſua figura, ſuoque motu, non eſt aliquid ſubſtantiale; ergò non poteſt eſſe principium rerum naturalium. Major patet, probatur minor, quam Renatus negat dicens 2. p. num. 9. quantitatem, ſeu extenſionem eſſe conſtitutivum ſubſtantiæ materialis: tùm ex miſterio Euchariſtiæ, quod enim ſeparatur à ſubſtantia materiali, non eſt ejus ſubſtantiale conſtitutivum: ſed in Euchariſtia quantitas panis ſeparatur realitèr ab ejus ſubſtantia; ſiquidem poſt conſecrationem non eſt ampliùs ſubſtantia panis, ſed tranſit in corpus Chriſti, & tamen, ut docet Eccleſia, remanet adhuc quantitas panis cum cæteris accidentibus; ergò quantitas non eſt conſtitutivum ſubſtantiæ, ſed ſolùm accidens ab ea ſeparabile: tùm etiam ratione naturali id ſuadetur: Nam principia ſubſtantialia in diverſis rebus debent eſſe diverſa, ſunt enim radicalia principia operationum, & proprietatum, quæ cum ſint diverſæ in diverſis, exigunt quoque principia diverſa; ſed quantitas in omnibus eſt ejuſdem rationis, ut de ſe patet, ergò quantitas non eſt principium ſubſtantiale, ſed præter illam admittenda ſunt alia principia ſubſtantialia.

Reſpondere ſolent Renati ſectatores ad primum, quo mirè torquentur, res philoſophicas non

non debere probari ex myſteriis fidei, quæ quia ratio noſtra non capit, ideò ex illis diſcurrere non poteſt. Ad ſecundum verò dicunt quantitatem, licèt ſit ubique ejuſdem rationis, attamen conſtituere diverſitatem in rebus, & operationibus in quantùm ipſa diverſa eſt ſecundùm ſuas particulas, quarum aliæ rotundæ, aliæ quadratæ, aliæ oblongæ ſunt, &c. aliæ moventur, aliæ quieſcunt: ex qua diverſitate naſcitur rerum varietas: ut particulæ quieſcentes conſtituunt ſolida: particulæ ſe moventes conſtituunt res accidas, & diſſolventes, & ſic de cæteris:

Sed contra primùm, Nam myſteria fidei & ſunt, & debent ſupponi veriſſima: undè quia ex verò nunquam, ſequitur falſum, quidquid ex myſteriis fidei legitimè circa res naturales infertur, neceſſe eſt eſſe verum, nec ſine errore poteſt negari. Ridiculum igitur eſt dicere nos ex iis, quæ ſunt fidei, non poſſe philoſophicas veritates eruere: immò ad nullam certiorem regulam poſſumus naturales cognitiones probare quàm eas ad fidei veritates, tanquam ad lydium lapidem examinando: veluti enim nautæ incertos & ancipites in mari curſus dirigunt inſpiciendo certiſſimas ſiderum vias, ſuoſque errores iſta collatione reformant; ita quoque naturales noſtros diſcurſus regere ac corrigere poſſumus eos, quantum fieri poteſt, ad cæleſtes fidei traditiones comparando; Undè Pythagoras meritò dicebat; Divina oracula multum ad Philoſophiam conferre.

Reſponſio etiam ad ſecundum impugnatur: Tùm quia, ut ſupra dictum eſt, figura, motus, & quies, cum ſint aliquid pure accidentale, non poſſunt eſſe principia ſubſtantialis diverſitatis; tùm etiam quia reſponſio ſupponit res quas differ-

re videmus, non eſſe unicam maſſam continuam; ſed potiùs texturam, acervum, & concretionem particularum juxta ſe poſitarum; Atqui hæc ſuppoſitio fictitia & falſa eſt, ergò nulla reſponſio. Probatur minor, & in primis quod fictitia ſit hęc ſuppoſititio, nam nulla evidenti ratione illam probat Renatus: cùm enim 4. part. artic. 201. hunc præfigat titulum *quod ſenſibilia corporea componantur ex particulis inſenſibilibus*, id ne verbulo tenus probat, ſed ſolùm dari poſſe in rerum natura corpuſcula ità minuta, ut ſenſum omnem fugiant, quod plane certum eſt. Cæterùm, utrum majora corpora ſint ſolùm textura, & coacervatio iſtorum inſenſibilium juxtà ſe poſitorum, quod in titulo probandum ſuſceperat, vel unica maſſa tota continua, nullo modo diſcutit, Quòd hæc ſuppoſitio ſit falſa ſuadetur, Nam continuitas eſt proprietas omnis quantitatis, & perinde magnis, ac parvis quantitatibus competit: unde quantitas magnarum rerum, v. g. olei; aquæ, ferri, adamantis tàm eſt continua, quàm quantitas corpuſculorum in ſenſibilium. Unde ſicuti corpuſculi quantitas non conſtat ex aliis minoribus corpuſculis juxtà ſe poſitis, ſed habet omnes ſuas particulas unitas, & ſub unica totali figura contentas: ita quoque quantitas unius adamantis, aut unius aquæ, eſt tota continua, nec conſtat ex quantitatulis inter ſe diviſis; quarum quælibet habeat propriam figuram ſed habet omnes ſuas partes continuatas, & ab invicem indiviſas, ac ſub unica totali figura comprehenſas.

Probatur tertiò concluſio. Principia rerum naturalium talia eſſe debent ut ex iis omnia naturalia fieri poſſint: Atqui ex particulis quantitatis per figuras, & localem motum variatis omnia

nia naturalia fieri non poſſunt: ergò non poſſunt eſſe principia rerum naturalium. Major patet; Probatur minor; in rebus naturalibus plures ſunt vita, cognitione, & appetitu ſenſitivo præditæ videmus enim pecudes vivere, ſentire, imaginatione, memoria, eſtimativa, ſenſu communi, viſu, auditu & aliis ſenſibus objecta cognoſcere, diſcernere, æſtimare; percipere voluptates, & dolores; rapi affectionibus amoris, odii, vindictæ, audaciæ. Atqui vita, cognitio, voluptatis, doloriſque perceptio, paſſiones amoris, & odii non poſſunt fieri ex ſolis particulis quantitatis varie figuratis, ac localiter motis: ergò particulæ illæ non poſſunt eſſe principia rerum naturalium. Major videtur certa. Minor etiam conſtat, quis enim putet cognitionem in hoc ſolo conſiſtere, quòd una particula quantitatis, quæ ex ſeipſa cognoſcitiva non eſt, alteri collidatur, aut ex hoc fieri perceptionem voluptatis, affectum amoris, &c.?

Reſpondere ſolent Renati diſcipuli ad hoc argumentum, quod urgentiſſimum eſt, animalia non cognoſcere, nec percipere objecta, nec propriè affici voluptate, aut dolore; nec tangi amore, vel odio: ſed eſſe inſenſibilia quædam naturæ artefacta, quæ licèt forinſecùs referant ea ſigna, quæ homines edere ſolent ejuſmodi cognitionibus, ac affectionibus præditi: attamen propriè non magis cognoſcunt, aut doloribus, ac voluptatibus afficiuntur, quàm ſimulacra, quæ ridentis, flentis, timentis, amantis ſpeciem referunt, quamvis intrinſecùs hæc non ſentiant; aut horologia, quæ ſignant horas, quamvis earum ſucceſſionem non cognoſcant.

Sed hæc reſponſio prorsùs intolerabilis eſt; Tū quia repugnat ſenſui communi, & receptiſſimis

ab

ab initio mundi notionibus ; Tùm quia Scriptura Sacra paſſim cognitionem aliquam tribuit animantibus, & perceptiones voluptatis, ac doloris, Tùm quia detrahit ſine ullo prorsùs fundamento perfectionem operibus Dei, quaſi verò non potuiſſet Deus vitam ſenſitivam cognitionem, & perceptiones voluptatis, ac doloris animalibus tribuere. Tùm demùm, quia non explicat, ſed penitùs deſtruit naturæ phœnomena : omnibus enim indiciis convincimur animalia eſſe vita, ſenſitivaque cognitione prædita, & planè ſi liceat tam aperta repudiare indicia, eadem licentia poterit quiſque fingere alios homines non eſſe ratione præditos, ſed eſſe hominum ſimulacra, vita, ſenſu, ac ratione carentia, quamvis extrinſecùs horum ſpeciem, & ſigna referant.

Et ſi dicas, bruta etiam plura indicia rationis extrinſecùs dare, nec tamen propterea ratiocinantur : quidni ergò poterunt cognitione ſenſitiva carere, licèt plura ejus indicia extrinſecùs exhibent ! Reſpondeo hæc ſigna rationis eſſe leviſſima, & in pluribus deficientia ; quamvis enim in quibuſdam operibus videantur rationabiliter procedere, in infinitis aliis peccant contra rationem, Et prætereà evidentiſſimis argumentis infrà referendis, diſput. c. quæſt.6. artic. 4. convincimur bruta eſſe irrationabilia. At verò cognitionem ſenſitivam illis ineſſe omnia indicia probant, & nulla convincens ratio contrarium ſuadet.

Probatur demùm quartò ratione, quam ſuprà contra Atomiſtas urgebamus. Nàm principia rerum naturalium debent eſſe principia veræ generationis ; ideſt debent eſſe ejuſmodi, ut ſalvemus ex his produci novas in mundo ſubſtantias : ſed principia Renati non ſunt ejuſmodi : ergò

ergò non ſunt vera principia rerum naturalium. Major infrà probabitur accurratiùs: oſtendemus enim novas in Mundo produci ſubſtantias, & non ſolùm præexiſtentes variari accidentaliter; quàm productionem vocant Phyſici *generationem ſubſtantialem*; Minor verò de ſe evidens eſt: nàm particulæ illæ quantitatis ſua comixtione, agitatione, diverſiſque figuris nihil poſſunt afficere niſi novos acervos, novaſque concretiones, non verò novum ens ſubſtantiale: unde Epicurus conformiter ad hæc principia vocabat entia naturalia *concretiones particularum*, *ſeu atomorum*.

Objectiones non refero, quia vix ullis rationibus ſua principia ſtabilivit Author, quem impugnamus: ſolùm duo dici poſſent ex ejus doctrina deprompta. Primò principia Philoſophiæ debere eſſe clara, & evidentia. Non occurrunt autem principia clariora & evidentiora, quàm extenſio, figura, & motus localis, nam materia, & forma Peripateticorum ſunt res obſcuræ: ergò hæc ſunt genuina veræ Philoſophiæ principia. Secundò ex his principiis, & concluſionibus ab illis deductis ſalvari, & explicari poſſet omnia naturæ phænomena: ergò non ſunt alia quærenda, nec meliora optanda.

Reſpondeo ad primum argumentum procedere æquivocatione. Alia enim ſunt principia diſcurſus noſtri, & alia principia rerum conſtitutionis. Principia diſcurſus ſunt quædam propoſitiones, ſeu veritates per ſe notæ, ex quibus ad veritates occultas inveſtigandas procedimus, & hæc principia ſanè debent eſſe clara & certa; cum declarent, & certificent concluſiones, ſintque puriſſimi, ac primi luminis naturalis radii; & de illis intelligendum eſt; quod dici

ſolet,

ſolet, principia debere eſſe per ſe nota, & certa. Principia verò conſtitutionis rerum ſunt, ex quibus, & à quibus cauſantur res ipſæ; & hæc planè non ſunt nobis clara, ſed occulta & obſcura, nec niſi magno labore innoteſcunt, & à paucis inveniri, ac perſpicacis intelligentiæ acumine luſtrari poſſunt, adeò ut poeta meritò dixerit.

Felix qui rerum potuit cognoſcere cauſas.

Undè modus philoſophandi, quem tenet Renatus hoc ipſo ſuſpectus eſt, quòd proferat quidem pro principiis conſtitutivis rerum quædam ab omnibus cognita, & juventu facillima; ſed pro his explicandis aſſumat quædam doctrinæ principia non modò dubia, ſed etiam falſa & nulla ſatis convincenti ratione ſuffulta: ut *quod omnis motus de ſe rectus eſt, nec niſi per violentam colluſionem obliquetur, quod omne quod movetur, ſemper moveatur, nec poſſit ſe ſuo motu exonerare, niſi illum alteri imponendo, &c.* Valeat ergò hic philoſophandi modus in his quæ clara ac certa eſſe debent obſcurus ac dubius; in his verò; quæ latere ac obſcura eſſe conſentiunt omnes ſapientes, ſuſpecta facilitate nimis apertus.

Ad ſecundum reſpondeo ex principiis Renati non poſſe reddi rationem rerum naturalium, ut ſuprà oſtenſum eſt præcipuè de cognitione, & vita brutorum. Deinde rationes, quas de quibuſdam ex ſuis principiis reddit Renatus, vel violentæ ſunt, vel gratuitæ, ac fictitiæ, quæque ſatisfaciant quidem imaginationi, non tamen intellectui, ſimiles fabuloſis illis narrationibus, quæ delectant quidem ut ingenioſæ, ſed non perſuadent, niſi fortè ſimplices. Demùm eſto ex doctrina hujus Authoris explicari,

aut

aut potiùs imaginationis comprehenſibilia fieri poſſent naturæ phænomena, non tamen propterea ſequeretur eam eſſe veram ſicuti eam adeò confidentèr jactat: nàm etiam aliis modis res à Deo fieri, & ab hominibus explicari poſſunt. Ptholomeus, Copernicus, & Ticho Brahe contrarias, & inter ſe pugnantes hypotheſes, quæ proindè ſimul veræ eſſe nequeunt, in Aſtrologia conſtituunt, & tamen ex iis quilibet aſtrorum phænomena explicare poteſt; Quidni ergò à pari naturæ phænomena poterunt à viro ingenioſo ex falſis ſuppoſitionibus declarari? præcipuè cum nonniſi entium naturalium corticem, ſenſibus percipiamus. Hoc argumentum ſibi in fine 4. partis proponit quidem, ſed ſolvit ſolùm ex quadam defectuoſa paritate, quàm ideò referendam, & impugnandam omittimus, quia argumenta ex paritate ſunt leviſſima, & ad explicandum, quàm ad perſuadendum accommodatoria.

§. III.

Statuitur vera ſententia circa principia rerum naturalium.

Confutatis aliorum opinionibus, nunc ſtatuendum eſt quænam ſint principia rerum ſecundùm Peripateticorum ſententiam. Ens autem naturale dupliciter conſiderari poteſt, ſcilicèt in fieri, & in facto eſſe, ſeu, in ſtatu generationis, & in ſtatu conſtitutionis. Undè explicanda ſunt ejus principia tàm generationis, quàm conſtitutionis. Pro reſolutione.

Dico primò Principia generationis rerum naturalium ſunt materia, forma, & privatio,

Ita

Ita docet Ariſtoteles hic, in cujus ſententiam unanimi conſenſu extinctis aliorum Philoſophorũ opinionibus omnes deinceps conſpirarunt. Concluſio autem ſupponit entia naturalia ſubſtantialitèr generari, & corrumpi, quod infrà magis declarabitur; & videtur conſtare tùm ex communi omnium ſenſu, & loquendi modo; tùm experientia, qua cernimus in mundo novas rerum ſpecies generari, & poſteà corrumpi: Sic animal naſcitur, & moritur, ignis gignitur, & extinguitur: caro formatur, & poſteà deſtruitur; itaut ſubſtantiæ illæ antequàm producerentur, non eſſent, & poſtquam periere, ampliùs non exiſtant, ſed ex illis novum rerum genus eſſentialiter diverſum formetur. Hoc poſito,

Probatur evidentèr concluſio. Nàm tot ſunt principia generationis rerum, quot requiruntur ad generationem novæ ſubſtantiæ; ſed tria requiruntur ad generationem novæ ſubſtantiæ; ergò tria ſunt generationis principia. Probatur minor; Nàm generatio eſt tranſitus de non eſſe ſubſtantiali ad eſſe ſubſtantiale (tunc enim cenſetur nova ſubſtantia generari, quando antea non erat, & poſteà eſt) ergò ad generationem novæ ſubſtantiæ tria requiruntur ſcilicet *non eſſe*, tanquàm terminus, qui relinquitur; *eſſe* tanquàm terminus qui acquiritur, & ſubjectum tranſiens de non eſſe ad eſſe. *Non eſſe*, dicitur privatio, id, quod dat eſſe dicitur forma; & demùm ſubjectum, quod tranſit de non ad eſſe, dicitur materia.

Confirmatur concluſio. Nam quidquid naturalitèr fit, ex aliquo fit: ut enim dicit Phyſicorum axioma. *In rebus naturalibus ex nihilo nihil fit:* Sed ſubſtantiæ naturales fiunt, ut patet de

igne,

Digitized by Google

igne, planta, animali, &c. ergò datur aliquod ſubjectum commune ex quo fiant res naturales, quodque in omnia ſubſtantiarum genera ſit tranſmutabile: tale autem ſubjectum dicitur materia. Sed quia materia iſta de ſe indifferens eſt ad omnia rerum genera, ſicut cera ad omnes figuras, dari debet prætèr materiam aliquod aliud principium determinans ipſam ad certam ſpeciem entis naturalis, v. gr. ad eſſendum hominem, vel ignem, vel arborem. Iſtud autem principium dicitur forma, cujus varietas rerum naturalium diſcrimen facit. Nàm quando materia recipit formam aquæ, eſt aqua; ſi illa forma expulſa introducatur forma lapidis, erit lapis; ſi forma ligni, erit lignum, &c. Porrò autem quod illa materia antequàm recipiat formam aliquam, non debet actu illam præhabere, ſed eſſe ſub carentia illius cum aptitudine ad illam recipiendam, quotieſcunque occurret agens capax illius introducendæ. Hæc carentia formæ cum aptitudine habendi illam dicitur privatio: ergò tria concurrent ad generationem ſubſtantiæ naturalis ſcilicèt materia, forma & privatio.

Objicies primò. Privatio non eſt principium generationis: ergò non ſunt tria principia. Probatur antecedens. Non ens non poteſt eſſe principium generationis entis: ſed privatio eſt non ens: ergò non poteſt eſſe principium generationis.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo majorem: Non ens non poteſt eſſe principium generationis, per modum partis influentis, concedo: per modum termini à quo negò: ſiquidem generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe: undè *non eſſe*, ſeu non ens eſt terminus

à quo

à quo generationis. Adde prætereà, quòd privatio non eſt purum non ens, ſed non ens cum aptitudine ad eſſendum, & ideò ratione aptitudinis illius poteſt concurrere ad generationem.

Inſtabis. Privatio non eſt in inſtanti, quo generatur aliquid; ergò non principiat generationem.

Reſpondeo dato antecedente, diſtinguo conſequens; ergò non principiat generationem per modum termini à quo derelicti; nego: per modum partis conſtituentis ipſum genitum, concedo. Quod enim principiat mutationem per modum termini à quo, non debet eſſe, dum fit mutatio, ſed potiùs [illegible] a-relinqui.

Objicies ſecundò, Agens eſt etiam principium generationis: ergò dantur quatuor principia. Probatur antecedens. Nàm ſicut omne, quod fit ex aliqua materia fit: ita omne quod fit, ab aliquo agente fit.

Reſpondeo agens eſſe ſolùm principium extrinſecum, de quo modo non agimus.

Dices: Etiam privatio eſt tantùm principium extrinſecum; ſiquidèm principiat per modum termini excluſi.

Reſpondeo: privationem eſſe quidem extrinſecum genito, non tamen ſubjecto generationis: oportet enim, ut ſubjectum generationis priùs intrinſecè fuerit privatum forma ad hoc, ut poſſit illam recipere: undè privatio eſt intrinſeca generationi ex parte ſubjecti.

Objicies tertiò. Forma corrupta eſt etiam terminus à quo generationis; ergò ſunt pluſquàm tria principia.

Reſ-

Reſpondeo. Formam corruptam requiri ſolùm per accidens ad generationem, inquantum materia nequit eſſe ſine forma, adeòque antequàm novam acquirat, debet præextitiſſe ſub veteri: attamen ſi materia poſſet eſſe ſine ulla forma, nihilominùs fieret generatio. Unde forma corrupta ſolùm ſe habet per accidens ad generationem.

Dices: Saltem diſpoſitiones præviæ concurrunt ad generationem: nam antequàm fiat ignis ex ligno, debet præcedere calor diſponens, &c. ergò debent annumerari inter principia.

Reſpondeo diſpoſitiones reduci ad materiam veluti aliquid præparativum ejus; & ideò non adnumerantur inter principia, quamvis omnes fateantur eas aliquomodo concurrere ad generationem.

Dico ſecundò: Principia entis geniti conſtitutiva, ſeu principia in facto eſſe ſunt ſolùm duo, materia ſcilicet, & forma.

Probatur facilè concluſio: Siquidem tot ſunt principia geniti, ſeu in facto eſſe inſtituti, quot remanent tranſacta generatione: ſed ſolùm duo remanent tranſacta generatione; ergò ſunt ſolùm duo principia entis geniti, ſeu in facto eſſe conſtituti. Major patet ex terminis: Probatur minor: Nam adveniente forma excluditur privatio ut dum materia ligni facta eſt ignis, ceſſat in ea privatio ignis, ergò remanet ſolùm materia, & forma: Quæ duo principia, cùm ſint maximi momenti, & velut duo cardines entium naturalium: ideò accuratè ſunt explicanda ſingulis quæſtionibus. Cæterùm de privatione nihil ampliùs dicendum occurrit,

Digitized by Google

currit, ſolùm recolendum eſt ex Logica, privationem eſſe carentiam formæ in ſubjecto apto ad formam; Undè duo dicit, ſcilicèt carentiam formæ, & aptitudinem ad recipiendam formam. Concurrit igitur ad generationem, quatenùs dicit aptitudinem ad formam, & neceſſariò prærequiritur ad hoc, ut materia ſit ſuſceptiva formæ.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia Prima rerum naturalium.

EX præmiſſis conſtat duo eſſe principia conſtitutiva entis naturalis, materiam ſcilicèt, & formam. Nunc de utraque ſigillatim agendum eſt: & ſanè, ſi quis conſideret Antiquorum circa principia opiniones, manifeſtè videbit omnes aliquomodo agnoviſſe iſta duo principia, materiale ſcilicèt, & formale, quamvis, ut advertit Ariſtoteles, non ſatis penetraverint utriuſque principii naturam, & conditiones. In primis enim, qui ponebant pro principio elementum aliquod, v. gr. ignem, aut aquam, per illud principium intelligebant materiam; cui prætereà diverſam diſpoſitionem adjungebant, ut raritatem, vel denſitatem; fluiditatem, vel ſoliditatem, per quam materia illa communis in varia rerum genera formaretur. Democritus vero, & Epicurus atomos, veluti rerum omnium materiam ſtatuebant: diſpoſitionem verò atomorum veluti formam agnoſcebant, per quam res diverſificarentur, ſicuti lapides ſunt materia domus, diſpoſitio verò lapidum eſt quaſi forma ejus, undè patet omnes conſentire dari principium materiale, ex

quo

quo cuncta fiant, & principium formale; per quod cuncta diverſificentur, ac in determinato entis modo conſtituantur. Tota ergò difficultas eſt in explicanda natura illius materiæ, quod fiet quinque articulis; in quorum primo quæretur, quid ſit materia: In ſecundo, an habeat actum entitativum, vel potiùs ſit pura potentia in omnia rerum genera verſatilis: In tertio, utrùm habeat propriam exiſtentiam: In quarto, an divinitùs poſſit eſſe ſine forma: In 5. tandem agetur de ejus proprietatibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Materia.

CUM notitia materiæ præcipuè dependeat à cognitione generationis ſubſtantialis pauca ſtatim de ipſa generatione dicenda ſunt. Mutatio ergò, quam cernimus in rebus naturalibus, duplex eſt; una accidentalis, altera ſubſtantialis: Mutatio accidentalis eſt tranſitus de uno accidente ad aliud accidens; ut dum homo de indocto fit doctus, ex frigido calidus, ex parvo magnus dicitur mutari accidentaliter; quia eſſe doctum, frigidum, calidum, reſpectu hominis ſunt mera accidentia, quæ adveniunt, & abeunt manente eadem hominis ſubſtantia. Cæterùm res aliquando mutari videmus non modò ſecundùm accidentia; ſed etiam ſecundùm ipſam eſſentiam, & principia ſubſtantialia, quando ſcilicet ex una ſubſtantia fit alia; ut ex embrione homo, ex homine vermis; ex ligno ignis, ex igne aer. Hæc mutatio dicitur generatio ſubſtantialis, & ſolet definiri. Tranſitus de uno eſſe ſubſtantiali ad aliud eſſe ſubſtantiale, ſeu de non eſſe ad

ſe ad eſſe ſimpliciter; quia eſſe ſubſtantiale dicitur ſimpliciter, eſſe verò accidentale vocatur apud Philoſophos eſſe ſecundùm quid.

Quòd autem detur hæc mutatio, ſeu generatio ſubſtantialis, licet eam ſatis non agnoverint Antiqui Philoſophi, attamen probari poteſt dupliciter: Primò à priori; nam ut ait Divus Thomas Opuſcul. can. 74. Mundi perfectio exigebat, ut in eo eſſent omnia ſubſtantiarum genera: ſicut ergò in mundo ſunt quædam ſubſtantiæ incorruptibiles, ita quoque eſſe debuerunt in eo quædam ſubſtantiæ corruptibiles, in quibus locum haberet generatio, & corruptio, ex quarum viciſſitudine, veluti ex quadam pulcherima ſcena mundi theatrum ornaretur. Adde prætereà, quod generatio nihil aliud eſt, quàm actio, qua una ſubſtantia creata producit aliam: Sed debuit dari in mundo talis actio; ergò datur generatio ſubſtantialis. Probatur minor: Ut enim arguit Divus Thomas Opuſc. 2. cap. 124. Deus contulit ſubſtantiis non ſolùm ut eſſent, ſed etiam ut alias ſibi ſimiles producere poſſent; ut ſic Divina fœcunditas reluceat, & participetur ab operibus Dei; ergò datur in creaturis actio, qua una ſubſtantia producit aliam.

Secundò idem colligitur à poſteriori: Cùm, enim eſſentia, ſeu ſubſtantia ſit veluti baſis, origo & radix omnium proprietatum quæ ſunt in re, ſicut ex ruina repentina totius ædificii colligimus nutaſſe fundamenta; ex ramorum ariditate colligimus radicis corruptionem; ex rivuli turbatione colligimus vitiatum eſſe fontem; ita quoque ex repentina, & irreparabili omnium proprietatum ruina manifeſtè colligimus corruptionem principiorum ſubſtantialium.

Cùm ergò ad oculum cernamus rei nonnunquàm proprietates ſubitò, & irreparabiliter corruere, ut in morte animalis ceſſat irreparabilitèr ſenſus, motus, omniſque, vitalis operatio; in combuſtione ligni ceſſant omnes ejus proprietates, & loco earum ignis proprietates ſubrogantur; hinc evidenter colligitur etiam principium ſubſtantiale mutatum eſſe, ac proinde dari corruptionem, & generationem ſubſtantialem. Hæc veritas confirmatur apertiùs in homine, quem certum eſt ſubſtantialiter corrumpi in morte, inquantùm anima quæ eſt principium ejus ſubſtantiale, ſeparatur à corpore; quam corruptionem ſubſtantialem colligimus à poſteriori, ex eo quod videamus ceſſare omnes operationes, & proprietates hominis; ergo à pari dum videmus variari omnes operationes, & proprietates rei, ipſique ſuccedere operationes: & proprietates oppoſitas, manifeſte inferendum eſt variatam eſſe radicem harum proprietatum; & operationum, ſcilicèt ipſam rei ſubſtantiam; proindeque dari generationem, & corruptionem ſubſtantialem. Qua veritate ſic conſtituta facilè colligentur, quæcunque dicenda ſunt circa materiam primam: Unde.

Dico primò. Datur materia prima, ſeu quædam res in omnium ſubſtantiarum genera verſatilis, ſicut cera in omnes figuras variari poteſt.

Concluſio patet ex dictis quæſtione præcedenti: Tum quia in omni mutatione neceſſe eſt dari aliquod ſubjectum, in quo talis mutatio exerceatur: ſed datur generatio ſubſtantialis, ut mox probabimus: ergò debet dari ſubjectum talis mutationis, ideſt materia prima: Tùm quia ex nihilo nihil fit naturaliter: ſed ſubſtantiæ naturales

ſes fiunt; ergò debent ſieri ex aliqua materia: Tùm quia ſicut ex nihilo nihil fit; ita quoque nulla res poteſt redigi in nihilum; ergò poſt omnem corruptionem rerum debet remanere materia ex qua fiunt. Undè veluti cernimus in officina artificum materiam aliquam, ex qua conficiunt ſua artefacta, ut in officina Sculptoris lignum de ſe in omnes figuras transformabile, quod præſupponitur ad omnia ſculptilia, & remanet illis deſtructis, ita quoque datur in officina naturæ quædam materia, ex qua fiunt ſubſtantiæ naturales, & quæ ſit in omnes ſubſtantiarum ſpecies transformabilis.

Dico ſecundò. Materia prima rectè definitur Primum uniuſcujuſque rei ſubjectum; ex quo inexiſtenti omnes res naturales fiunt. Hæc definitio recipitur ab omnibus, quam tradidit Ariſtoteles his verbis: *Materia eſt primum ſubjectum: ex quo, cum inſit, aliquid fit primo, & non ſecundùm accidens*: Quæ verba in idem omninò redeunt cum noſtris.

Explicatur. In primis materia dicitur primum ſubjectum, eò quod omni naturali generationi ſubjiciatur, veluti lignum ſubjicitur ſculpturæ, & dicitur ſignanter *primum*, quia non ſupponit aliquod aliud prius. Additur, *ex quo inexiſtente*; ideſt, intùs manente, & ipſam rei compoſitionem ingrediente *res omnes naturales fiunt*, quia nulla ſubſtantia naturalis & corporea eſt, quæ non fiat ex materia.

Præter hanc definitionem, aliam tradidit Ariſtoteles, dicens: *Materia non eſt quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum, per quæ ens determinatur*, ut inſinuaret materiam de ſe nullam rem determinatè eſſe, ſed aliquam potentiam ad omnium rerum, ſpeciem indifferen-

tem. Brevior tradi poſſet definitio materiæ, dicendo. Materia eſt potentia ſubſtantialis, ideſt, natura quædam, ex qua fieri poteſt quælibet ſubſtantia naturalis, ſicuti ex ligno fieri poteſt quodlibet artificioſum ſimulacrum.

Neceſſe autem fuit, ut in rerum natura talis eſſet materia in omnium rerum genera transformabilis: Primò, ut eſſet veluti theatrum, quo mirabilis illa generationum, & corruptionum ſubſtantialium ſcena perageretur.

Secundò ut deſerviret pulcherrimæ huic quàm cernimus, ſubſtantiarum diverſitati: dum veluti Protheus alter in tam varias facies transformatur: Nam veluti ad laudem artificis, confert, quòd in ejus officina ſint varia artefactorum genera; ita quoque ad laudem ſupremi naturæ Opificis, & hujus mundi ornatum conducebat, ut in eo eſſent non modò accidentium, ſed etiam ſubſtantiarum variæ ſpecies.

Tertiò, quia, ut ſuprà ex D. Thoma dicebamus, mundi venuſtas exigebat, ut in rebus eſſent quædam ſupremæ, Deoque ſimilimæ, quæ ſemper eſſent; quædam verò infimæ, & in rerum confinio poſitæ, quæ generationi, & corruptioni obnoxiæ, quandoque eſſent, quandoque non eſſent; undè in illis infimis oportebat eſſe aliquid ſubjectum verſatile inter quodlibet eſſe, & non eſſe, cujuſmodi eſt materia.

Quartò demum, quia ut ſæpè dicit D. Thomas, Deus, ut ſibi perfectè aſſimilaret creaturas non ſolùm contulit ipſis ut eſſent, ſed etiam ut agere poſſent. Undè in rebus corruptibilibus quodlibet producit ſibi ſimile, ut ignis ignem, planta plantam, homo hominem. Creaturæ autem non poſſunt agere ex nihilo: (hoc enim ſolius Dei proprium eſt) Undè ad hoc ut res

pro-

producerent ſibi ſimile, neceſſe fuit illis à Deo ſubminiſtrari materiam aliquam poſitam, quidem extrà nihilum, attamen ad nullum entis genus determinatam, ex qua quodlibet agens poſſet facere ſibi ſimile.

Dico 3. Materia realitèr diſtinguitur à forma ſubſtantiali.

Probatur concluſio. Nàm quæ ſeparantur, realitèr diſtinguuntur: Sed forma ſeparatur à materia: ergò realitèr ab illa diſtinguitur. Major patet. Probatur minor: ſiquidem pereunte homine, ſeparatur forma conſtitutiva hominis ab ejus materia; pereunte ligno, & in ignem converſo, deſinit forma ligni, & tamen manet ejus materia ſub forma ignis: ergò realitèr ſeparantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm Materia prima ita ſit pura potentia, ut nullum includat actum entitativum.

CUm materia ſit quædam potentia ſubſtantialis, ut profundiùs innoteſcat ejus eſſentia, diſcutiendum eſt, an in genere entis ita ſit pura potentia, ut nullum prorsùs actum includat, Actus autem duplex eſt ſcilicèt actus eſſentiæ, & actus exiſtentiæ, Actus eſſentiæ eſt, per quem eſſentia ponitur ſub determinato eſſendi modo, & determinata rerum ſpecie: Sic forma lapidis dicitur actus eſſentiæ lapidis; quia conſtituit lapidem in certo gradu entis: undè illa eſſentia carebit actu eſſentiali quæ de ſe ad nullum entis modum determinatur, ſed vaga eſt & indifferens ad omnes entis modos. Actus

verò exiſtentiæ eſt: per quem actualis quædam eſſentia ponitur perfectè extra cauſas, & nihilum, de quo plura dicentur in Metaphyſica. Quæritur hic: utrùm materia in ſua entitate, prout diſtinguitur à forma ſubſtantiali, includat actum vel eſſentiæ, vel exiſtentiæ, Prima difficultas reſolvetur in hoc articulo: ſecunda verò in ſequenti.

Dico: Materia in ſua entitate nullum includit actum eſſentiæ, ſed eſt pura potentia in genere entis de ſe indifferens ad omnes eſſendi modos: ſicuti cera nullam de ſe includit figuram artificialem, ſed eſt transformabilis in omnes figurarum modos. Concluſio eſt contra quoſdam extraneos, quam tamen communitèr docent Thomiſtæ omnes, & plures alii.

Probatur primò authoritate Ariſtotelis, qui expreſse dicit, *materiam non eſſe quid; neque quale, neque aliquid eorum, per quæ ens determinatur:* Sed ens determinatur per actum eſſentialem; ergò materia in ſe nullum includit actum eſſentialem. Undè idem Ariſtoteles dicit materiam ſe habere in ordine entis naturalis, ſicut lignum in ordine artificiali; undè veluti lignum de ſe nullam includit figuram artificialem, ſed eſt in potentia ad omnes: ſic materia eſt in potentia ad omnes actus eſſentiales. Expreſſus eſt etiam D. Thom. qui perpetuò inculcat materiam eſſe puram potentiam in genere entis. Undè 1. parte, quæſt. 7. artic. 2. *Materia*, inquit, *non eſt ens in actu, ſed potentia tantum*. Et 7. metaph. lect. 2. *Materia per formam eſt ens actu cum de ſe ſit potentia tantùm* quam etiam ſententiam attribuit Platoni Op. 15. cap. 7. Idem expreſſit Auguſtinus 12. Conf. c. 7. cum dixit, *Deo feciſti, Domine, unum prope te* (ſcilicet naturas) *aliud prope*

prope nihil, ſcilicèt materiam quam ideò vocat *prope nihil*, quod nihil ſit actu, ſed in potentia ad omnia. Ideò Antiqui Poetæ materiam vocabant *chaos*, *&* *tenebras*, eò quod ſit expers omnis perfectionis, & actualitatis.

Probatur ratione; Quod eſt in potentia in ordine entis ſimpliciter, non includit actum entitativum, & eſſentialem: Sed materia prima eſt in potentia in ordine entis ſimpliciter; ergò nullum includit actum entitativum. Major patet: Nam eadem res in eodem ordine non poteſt eſſe actus, & potentia; ſi igitur materia ſit potentia in ordine entis ſimplicitèr non poteſt in eodem ordine includere actum. Cùm autem ens ſimplicitèr ſit primum ens, in quo fundantur entia ſecundùm quid; & actus ſimpliciter ſit prior, quàm actus ſecundùm quid; ſi materia ſit in potentia in ordine entis ſimpliciter, nullum prorsùs includet actum entitativum. Major verò probatur. Nam materia eſt in potentia reſpectu hujus, quod fit ex illa, ſed ens ſimpliciter fit ex materia; ergò materia eſt in potentia in ordine entis ſimpliciter. Major patet. Minor vero probatur: Nam illud fit ex materia, quod producitur per generationem ſubſtantialem; ſed ens ſimpliciter producitur per generationem ſubſtantialem; ergo ens ſimpliciter fit ex materia. Major certa eſt. Nam materia eſt principium ex quo aliquid generatur. Minor vero declaratur. Nam in eo differt generatio ſubſtantialis ab aliis productionibus, quod aliæ productiones terminentur ad aliquod ens ſecundarium & accidentale, ut calefactio ad eſſe calidum: ægrotatio ad eſſe ægrum, quæ ſunt entia ſolùm ſecundùm quid, & accidentalia: at verò generatio terminatur ad ens ſimpliciter, ideſt ad ens primarium, & ſub-

ſtantiale, quod nullum ſupponit prius; v. gr. ad eſſendum hominem, plantam, lapidem, &c. Hæc ratio omnino profunda eſt, & juxtà principia Ariſtotelis evidenter convincens. Unde, ut clariùs explicetur.

Nota, veteres Philoſophos negaſſe in rerum natura produci ens ſimpliciter, ideſt entitatem ſubſtanrialem, & primam; quia, ut refert Ariſtoteles, non poterant intelligere, ex quo fieret prima illa entitas ſubſtantialis: vel enim, inquiebant, illud primum ens fieret ex nihilo, vel ex ente; non ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit; non ex alio ente, quia quod jam eſt ens ſimpliciter, non fit ens ſimpliciter. Unde concludebant, nullum ens ſimpliciter de novo produci, ſed ſolùm id quod erat ens ſimpliciter, variè modificari per quoſdam ſtatus ſecũdarios & accidentales; ac proinde negabant dari generationem ſubſtantialem, dicentes omnem diverſitatem rerum eſſe ſolùm diverſam diſpoſitionem accidentalem entis ſimpliciter, ſecundùm quod vel condenſabatur, vel rarefiebat, coagulabatur, vel fluidum fiebat, &c. Sed Ariſtoteles rem profundiùs conſiderans reperit dari in mundo veram generationem ſubſtantialem, ideſt, nova entia ſimpliciter in mundo produci, quæ non fierent nec ex alio ente ſimplicitèr, ne ex nihilo, ſed ex aliquo medio inter ens, & nihilum, ſcilicèt ex quadam potentia entitativa, quam vocavit materiam; quæ nec eſt nihil, nec ens actu, ſed realis potentia ad eſſendum. Ex quo patet Ariſtotelem docuiſſe materiam in ordine entis eſſe puram potentiam, nullum que includere actum entitativum.

Reſpondebis: Materiam eſſe quidem potentiam in ordine entis ſimplicitèr, ideòque à Philoſo-

loſophi vocari ens in potentia, immò puram potentiam: non tamen ita ut nullum habeat actum entitativum, ſed quia ejus actus eſt imperfectus, & ulteriùs complebilis per formam; Undè ſimpliciter loquendo materia eſt potentia, ſecundùm quid tamen, & imperfectè eſt ens in actu, aliàs eſſet nihil.

Sed contrà: Nam materia non poteſt habere actum entitativum, qualiſcunque ſit; ergò nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum, Nam per illum actum entitativum qualemcunque conſtitueretur in ratione entis, & ſubſtantiæ actualis: ſed materia non poteſt eſſe ens, & ſubſtantia actualis: ergò. Major patet; & in primis quòd per illum actum materia eſſet ens actuale: nam munus actus entitativi eſt conſtituere aliquid in ratione entis actualis: quod etiam eſſet ſubſtantia actualis per illum actum conſtat: nam actus ille eſſet actus ſubſtantialis, & non accidentalis; ergò conſtitueret materiam in ratione ſubſtantiæ actualis. Minor verò declaratur: ſi enim materia eſſet actualis ſubſtantia & ens actu; eſſet primum ens actu, ac proindè ens ſimpliciter; unde per generationem materia non fieret ens ſimpliciter; & actualis ſubſtantia, ſed ſolùm reciperet accidentarias modificationes: nam id quod eſt non fit, ut rectè dicebant Antiqui ſi igitur materia ſit de ſe actualis ſubſtantia, & ens ſimplicitèr, ex ea per generationem non fiet ens ſimplicitèr, & actualis ſubſtantia. Hoc argumentum inſinuat D. Thomas Opuſc. 15. cap 7. & his verbis. *Cum ponitur materia ens actu, nihil differt dicere materiam, ſubſtantiam rei, ſic enim Antiqui Naturales, qui ponebant materiam eſſe aliquod ens in actu, dicebant materiam eſſe rerum omnium ſubſtantiam.*

Ex quo patet, vel negandam eſſe generationem entium, & ſubſtantiæ ſimplicitèr, ideſt primi entis, vel dicendum materiam eſſe puram potentiam in ordine entis, & ſubſtantiæ.

Impugnatur ſecundò iſta reſponſio; Nam ſi materia ex ſe haberet actum entitativum, talis actus non eſſet ſecundùm quid & imperfectè actus, ſed actu ſimplicitèr: conſequens eſt falſum; ergo, & antecedens. Probatur ſequela. Nam actus primus ſubſtantialis, & qui eſt baſis omnium aliorum, eſt actus ſimplicitèr ſed actus materiæ, ſiquidem habere, eſſet talis; ergò & Major patet. Ut enim habetur ex D. Thoma Op. 3. ſicut eſſe ſubſtantiale, ſeu primum eſſe eſt eſſe ſimplicitèr, ita actus ſubſtantialis qui eſt primus, & baſis aliorum, eſt actus ſimplicitèr. Minor vero declaratur; & in primis quòd talis actus eſſet ſubſtantialis, patet; non enim eſſet accidentalis: quòd etiam eſſet primus, nàm ſupponeretur ad omnes alios quod etiam eſſet baſis aliorum, nam alii reciperentur in illo tanquàm in primò. Neque refert, quod talis actus non eſſet perfectus: ſed ulteriùs perfectibilis per formam; nam ſicut perfici non eſt fieri ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid; ita quòd aliquid ſit actus imperfectus, & ulteriùs perfectibilis, non impedit quin ſit actus ſimpliciter. Adde, quod ſi materia haberet actum qualemcunque, non poſſet dici pura potentia in ordine ſubſtantiæ, & entis; Nam ſicut puræ tenebræ ſunt in quibus nihil eſt de luce etiam imperfecta: ita pura potentia eſt, in qua nihil eſt de actu etiam imperfecto.

Reſpondebis tandem (& eſt ultimum effugium Adverſariorum) actum entitativum materiæ non eſſe actum propriè dictum & phyſicum,

cum, ſed ſolùm actum metaphyſicum ſeu potiùs logicalem: inquantum ſcilicet materia, cum ſit res quædam & non purum nihil, habet differentiam, qua diſtinguitur ab aliis rebus; quæ differentia dicitur actus metaphyſicus.

Sed contrà eſt; Tùm quia omnis actus metaphyſicus debet fundari in actu phyſico: Tùm quia materia differt ab aliis rebus, inquantùm eſt pura potentia; hic enim eſt proprius ejus character: ergò differentia materiæ non eſt actus etiam metaphyſicus. Cæterùm, ſi illam differentiam, quamvis non ſit actus; Adverſarii velint vocari actum, erit purus iſtius nominis abuſus.

Probatur tertiò concluſio, evertendo fundamentum Adverſariorum. Licèt materia non includat ullum actum, non ſequitur eam eſſe purum nihil, ſicut contendunt Adverſarii, ergò nullum eſt eorum fundamentum. Probatur antecedens. Nam, ut ait Ariſtoteles, & cum eo D. Thomas 1. Phyſic. lect. 9. inter purum nihil, & ens actu datur medium, ſcilicèt potentia realis, & poſitiva ad omnes actus entitativos; ergò ex eo quòd materia non ſit purum nihil, non ſequitur eam eſſe ens actu, ſed ſolùm puram potentiam realem, & poſitivam. Undè Ariſtoteles diviſit ens reale in actum, & potentiam; ut inſinuaret aliquam entitatem dari, quæ ſit pura potentia in ordine entis.

Probatur ultimò concluſio rationibus conglobatis. Nam primò in definitione materiæ nequidem veſtigium actus apparet; ergò materia nullum includit actum. Probatur conſequentia; definitum enim cognoſcitur per definitionem.

Secundò, ſi materia includeret actum; vel

eſſe actus purus, vel mixta ex actu & potentia; ſi eſt actus purus, ſeu tota actus, ſicut dicitur potentia & non potiùs actus; ſi miſcentur ex actu & potentia, ergò non eſt prima potentia, primumque ſubjectum.

Tertiò, tota entitas materiæ conſiſtit in eo, quòd ſit receptiva formæ ſubſtantialis, per quam fiat actu ſubſtantia: atqui eſſe receptivum formæ non eſt eſſe ens actu, ſed potiùs ens in potentias, ergò tota entitas materiæ conſiſtit in hoc quòd ſit potentia.

Quartò ſi entites materiæ eſſet actus, vel eſſet actus ſubſiſtens, vel actus informans, Non primum, quia actus ſubſiſtens eſt perfectior actu informante; non ſecundùm etiam, quia alias eſſet forma; ergò nullo modo eſt actus.

Quintò, ſi materia eſſe actus, vel eſſet àctus ſubſtantialis, vel accidentalis; neutrum dici poteſt; ergò nullum. Major patet. Nam ens actus dividitur in ſubſtantiam, & accidens. Minor probatur: & in primis quòd actus materiæ non ſit accidentalis, de ſe patet: nam materia pertinet ad rationem ſubſtantiæ; quòd verò non ſit actus ſubſtantialis efficacitèr probatur. Nàm forma definitur ab omnibus, actus primus ſubſtantialis; ergò materia non habet ex ſe actum ſubſtantialem.

Sextò, omnis actus eſſentialis, & entitativus eſt forma, ut ſæpè repetit D. Thomas, eo quòd formet, & determinet eſſentiam ad certum genus entis & modum eſſendi, ſed materia non eſt forma: ergò nec actus entitativus.

Septimò demum, quæro ab Adverſariis quid intelligant per actum eſſentialem? vel enim intelligant omne id, quod non eſt nihil; itaut actus opponatur nihilo, & quidquid non eſt nihil

hil dicatur actus; & in hoc ſenſu ſine dubio materia erit actus, quia non eſt nihil: ſed res aliqua; Attamen hoc modo uſurpare nomen actus, eſt abuti terminis quia inter nihil & ens actu mediat potentia realis. Vel intelligunt per actum eſſentialem aliquid determinatum in linea entis, & exprimens ſpecialem modum eſſendi: in quo ſenſu dixit Div. Thomas: *actum eſſe id quod determinat, potentiam:* & ſic materia non eſt actus, quia de ſe eſt quid indeterminatum, & ad omnes entis materialis ſpecies indifferentis.

Concludendum eſt igitur cum D. Thoma 1. contra Gent. cap 43. in rebus tres gradus reperiri. Invenitur enim aliqua res, quæ eſt actus tantùm, ſcilicèt Deus optimus maximus: & alia res, quæ eſt potentia tantùm ſcilicèt materia prima; & demùm alia res, quæ miſcentur ex actu & potentia, cujuſmodi ſunt omnes creaturæ inter Deum & materiam primam poſitæ. Undè, ut arguit idem Sanctos Doctor. 1. p. quæſt. 105. art. 1. ad 2. ſicut Deus eſt actus purus, nullam habens potentialitatem; ita quoque materia eſt potentia pura nihil includens de actu: ideò ſubſtantiæ quæ fiunt ex materia prima, dicuntur fieri ſimplicitèr, quia ſunt prima entia; quæ non ſuperædificantur alicui enti, ſed immediatè producuntur ex potentia eſſendi ſimpliciter ſcilicet ex materia prima. Ens autem ſimpliciter dicitur, quod eſt primum non ſuperædificatum alteri priori.

Objicies 1. Quod eſt ſimile primo actui, eſt aliquomodo actus; ſed materia eſt aliquomodo ſimilis primò actui, ſcilicet Deo: ergò eſt aliquomodo actus.

Reſpondeo conceſſa majori diſtinguendo

minorem. Materia eſt ſimilis primo actui, ut actus eſt, nego; ut ens concedo, & nego conſequentiam: cum enim materia non ſit actus, non poteſt aſſimilari Deo in ratione actus; attamen cum ſit ſuo modo ens; quamvis potentiale, & inchoatum tantùm. Ita quoque aſſimilatur aliquomodo Deo in ratione entis.

Inſtabis. Atqui materia debet aſſimilari Deo, ut actus eſt; ergò nulla ſolutio. Probatur antecedens. Nam effectus debet aſſimilari cauſæ in eo, quod eſt ratio cauſandi: ſed Deus cauſat res inquantùm effectus; ergò materia debet aſſimilari Deo in quantùm eſt actus. Simile argumentum ſibi objicit D. Thomas 1. p. qu. 44. art. 2. ad 3. ex cujus doctrina ibidem tradita.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo majorem: Effectus debet aſſimilari cauſæ in eo, quod eſt ipſi ratio cauſandi; effectus adæquate ſumptus, concedo; inadæquatè ſumptus, nego: Materia autem ſola non eſt effectus Dei adæquatus; nàm proprius Dei effectus eſt ens actu; unde cum materia ſit ſolùm potentia entis, non poteſt eſſe completus Dei effectus, ſed ſimul cum forma ſicut conſtituit unicum ens, ita quoque unicum Dei effectum, qui cauſatur à Deo tàm ſecundùm id quòd eſt in eo materiale, quàm ſecundum id quod eſt in eo formale.

Urgebis: effectus etiam inadæquatus debet ſaltem imperfectè & inchoativè aſſimilari ſuæ cauſę in eo, quod eſt ei ratio agendi: ergò ſaltem materia erit inchoativè actus.

Reſpondeo etiam materiam eſſe inchoativè actum, non quòd ipſa ſit aliquid actu, ſed quia eſt potentia ad actum: Potentia autem eſt veluti quædam inchoatio actus. Unde mate-

ria.

Digitized by Google

ria ſic poteſt dici ſimilis inchoatiuè primo actui.

Objicies 2. Materia non eſt purum nihil; ergo eſt ens actu. Probatur conſequentia. Quod enim non eſt ens actu, videtur eſſe purum nihil.

Reſpondeo ex dictis: negando conſequentiam. Nàm ut dictum eſt ex D. Thoma; inter ens actu & purum nihil datur medium, ſcilicet potentia realis, quæ nec eſt nihil, nec ens actuale, ſed ſolùm quædam inchoatio entis actualis.

Inſtabis. Atqui ſi materia eſſet ſolùm in potentia; eſſet merum nihil: ergò nulla ſolutio. Probatur antecedens; ſic enim mundus antequàm produceretur, quia erat ſolùm in potentia, erat purum nihil.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Si materia eſſet ſolùm in potentia eſſet merum nihil, ſi eſſet ſolùm in potentia objectiva, concedo; ſi eſſet ſolùm in potentia receptiva, & ſubjectiva, nego. Explicatur potentia objectiva eſt mera non repugnantia ad eſſendum; ut patet ex Div. Thom 2. con. Gent. cap.37. unde eſt merum nihil. Potentia receptiva eſt realis entitas capax eſſendi omnia: unde non eſt nihil, ſed aliquid potentiale. Patet autem quod materia non eſt potentia primo modo, inquantùm non repugnat, ut producatur, ſed ſecundo modo, inquantùm eſt res quædam potentialis in omnia entia tranſformabilis: Et ideò non eſt omnino nihil, ſed ut dictum eſt ex Auguſtino prope nihil.

Urgebis, Potentia non poteſt impleri niſi per actum; Atqui materia, dum producitur, explet aliquam potentiam; ergo eſt Actus; Major videtur certa, probatur minor. Nàm materia antequàm produceretur erat poſſibilis, poſtquàm

quàm vero eſt producta explevit illam poſſibilitatem ; ergo materia explet aliquam potentiam.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Potentia non expletur niſi per actum, potentia proprie dicta & realis, concedo; potentia negativa & impropriè dicta, nego; Et diſtinctione applicata minori, nego conſequentiam. Explicatur: potentia propria & realis eſt entitas actuum receptiva, ut intellectus dicitur potentia realis capax omnium ſcientiarum: & hæc non expletur niſi per actum. Potentia verò negativa & impropria, quam potiùs dixeris poſſibilitatem, eſt mera non repugnantia ad eſſendum: & hæc expletur per omnem entitatem realem, ſive illa entitas ſit actus, ſive potentia realis: utrumque enim antequàm fieret, erat poſſibile. Hanc ſolùm potentiam negativam dicitur explere materia, quando producitur: unde non ſequitur eam eſſe actum, ſed ſolùm realem entitatem potentialem. Hujus ſolutionis fundamentum tradit D. Thom. 2. con. Gen. cap. 37.

Dices. Quod eſt actualiter extrà nihilum, eſt ens actu: ſed materia eſt actualiter extra nihilum per propriam entitatem, ergo eſt ens actu.

Reſpondeo diſtinguendo majorem Quod eſt actualitèr extrà nihilum eſt ens actu, pro ut *Actualitèr* idem eſt, ac de facto, negò; prout *Actualitèr* eſt idem ac per aliquam actualitatem, concedo. Et ad minorem: Materia eſt actualitèr extrà nihilum, ideſt de facto, concedo, id eſt per aliquam actualitatem, nego. Explicatur ſolutio Duplicitèr ſumitur *Actualitèr*. Primò vulgaritèr, prout idem eſt, ac de facto, ſicut aliquis dicitur actualitèr mortuus, ideſt, de facto & verè mortuus. Secundò ſumitur philoſophicè

phicè prout idem eſt, ac per aliquam actualitatem, ſicut aliquis dicitur actualiter doctus, poſtquàm conſecutus eſt actualitatem doctrinæ. In hoc ſecundo ſenſu materia non eſt actualitèr extrà nihilum, ideſt, per aliquam actualitatem, quam ex ſe habeat; ſed ſolùm eſt actualitèr extrà nihilum in primo ſenſu, ideſt, de facto, quia de facto non eſt nihil; undè non ſequitur eam importare actualitatem, ſicut non ſequitur mortem importare aliquid actualitatis, quamvis aliquis dicatur actu mortuus.

Objicies tertiò, Quod eſt bonum eſt entitas actualis, ſed materia eſt bona; ergò eſt entitas actualis. Minor eſt Div. Thomæ. Major probatur: Nam, ut idem, Div. Thomas dicit, intantùm aliquid eſt bonum, inquantùm, eſt in actu.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Quod eſt bonum actu completè, concedo: quod eſt bonum in potentia, & incompletè, nego. Materia autem non eſt bona actu & perfectè, ſed ſolùm inchoativè; ſeu, ut loquitur D. Thomas, *in tantùm dicitur bona, in quantum eſt bona potentia*.

Dices; Omnis differentia eſt actus: ſed materia prima ſuam habet differentiam; ergò eſt actus; Major videtur certa; ſiquidem ſicut genus eſt natura potentialis; ità quoque differentia eſt natura actualis. Minor verò conſtat. Nàm materia differt à forma; ergò habet ſuam differentiam.

Reſpondeo diſtinguendo majorem; Omnis differentia eſt actus, differentia propriè dicta, concedo; differentia impropriè dicta, nego. Materia autem propriè nec habet genus, nec differentiam; Nàm conſtare genere & differentia proprium eſt entis completi; Undè cum

mate-

materia non ſit ens completum, ſed ſolum quædam entis inchoatio, ideò non habet propriè genus, & differentiam.

Inſtabis. Atqui differentia materiæ, quantumvis ſit impropria, debet eſſe aliqualiter actus, ergò nulla ſolutio. Probatur antecedens: Nàm materia ſublunaris differt à materia cœleſti, ut dicetur infrà, ſed materia ſublunaris non poteſt differre à cœleſti per puram potentiam, ſed ſolùm per aliquem actum; ergò differentia materiæ debet eſſe aliqualiter actus. Probatur minor; Nam materia ſublunaris, & cæleſtis non poſſunt differre in eo, in quo conveniunt; ſed conveniunt in ratione potentiæ (ſiquidem utraque eſt potentia;) ergò non poſſunt differre per potentiam, ſed ſolùm per aliquem actum.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem conceſſa majori, diſtinguo minorem; Materia ſublunaris non poteſt differre à cœleſti niſi per actum, intrinſecè importatum, negò: extrinſecè connotatum, concedo. Et ſimilitèr ad conſequentiam: ergò indifferentia materiæ debet eſſe actus, intrinſecè importatus, nego, extrinſecè connotatus, concedo: Explicatur ſolutio: ut enim dicit D. Thom. 1. part. quæſt. 66. art. 2. ad 4. *Cum potentia dicatur ad actum, ens in potentia eſt diverſum ex hoc ipſo, quod ordinatur ad diverſum actum; unde materia cæleſtis eſt alia à ſublunari; quia non eſt in potentia ad formam elementi*: ideſt eò quòd connotet ſolùm formas cœleſtes, & materia ſublunaris formas ſublunares: undè differunt, non quòd importent actum, ſed quòd reſpiciant diverſos actus.

Dices, ſic ſe habet materia ad potentiam, ſicut

Digitized by Google

eut forma ad actum; ſed forma non eſt ita actus purus, quin includat aliquam potentialitatem; ergò è contra materia non eſt ita pura potentia, quin includat aliquam actualitatem.

Reſpondeo negando majorem, & paritatem; Nam licèt forma includat aliquid potentialitatis, materia tamen nihil includit de actualitate: Ratio, & diſparitas eſt, primò quia nulla res creata poteſt eſſe perfectè actus, hoc enim ſolius Dei eſt: unde omnis creatura habet actualitate ſuam permixtam potentiam. At verò non eſt contrà rationem rei creatæ, quòd ſit pura potentia: immò hoc maximè congruit infimæ rerum, qualis eſt materia, ut ſit pura Potentia; ſicut ſuprema rerum, ſcilicèt Deus eſt purus actus. Secunda diſparitas eſt, quia forma ſicuti, & omnis alia res creata, eſt aliquid medium inter primum actum, ſcilicèt Deum, & primam potentiam, ſcilicet materiam; cum ergò medium participet de utroque extremo, forma debet habere aliquid de actu & aliquid de potentia: At verò materia eſt infima in rebus; undè ſicuti ſupremum ens nihil habet de potentia; ita quoque infima rerum nihil debet habere de actu. Utramque ſolutionem ſæpè inſinuat Div. Tho.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm Materia prima habeat propriam exiſtentiam.

ETſi præſentis quæſtionis deciſio facilè ſequatur ex præcedenti (ſi enim materia nullum includit actum entitativum, non poteſt includere exiſtentiam, quæ eſt perfectiſſimus, & ultimus actus in linea entis) ut tamen pleniùs diſcutiatur natura materiæ, id ſpeciali articulo diſcutiendum ſuſcipimus. Quid verò ſit exiſtentia ex profeſſo dicetur in Metaphyſica. Interim tamen, ut aliqualem, & ab omnibus receptam notionem ejus tradamus, exiſtentia eſt extrà nihilum, & extrà cauſas ſiſtentia; ſiquidem [illegible] res exiſtere dicitur, quando extra cauſas, & nihilum ſiſtitur. Quia verò aliqua res cenſetur ſiſti extrà cauſas, & nihilum, quando nihil ei deeſt requiſitum ad rationem entis, ideò Metaphyſici definiunt exiſtentiam, ultimam entis actualitatem.

Circà præſentem difficultatem duplex eſt ſententia: Prima eſt plurimorum extra D. Thomæ ſcholam, qui dicunt materiam habere propriam, & partialem exiſtentiam; & formam ſimilitèr aliam exiſtentiam partialem, ex quibus duabus conſtetur unica totalis exiſtentia compoſiti. Fundamentum eorum eſt, quòd putent, exiſtentiam non diſtingui ab eſſentia. Undè inferunt; quòd ſicut materia habet partialem eſſentiam à forma diſtinctam, ità quoque & partialem exiſtentiam. Hoc fundamentum ad radices evertemus in Metaphyſica, ubi cum D. Thoma, & omnibus antiquis Philoſophis oſtendemus

demus in toto compoſito ſubſtantiali unicam eſſe exiſtentiam realitèr diſtinctam à materia, & forma. Secunda verò ſententia eſt D. Thomæ, omnium Thomiſtarum, & plurium aliorum, qui negant materiam primam de ſe habere propriam exiſtentiam, docentes eam eſſe ſolùm potentiam realem, & poſitivam ad exiſtendum cum quibus.

Dico: Materia prima nullam de ſe habet exiſtentiam, ſed ſolùm exiſtit per exiſtentiam totius compoſiti, quam recipit mediante forma, ſicut corpus vivit per vitam totius animalis, quam recipit mediante anima. Hæc concluſio eſt D. Thomæ, qui eam luculentèr tradit quæſtione 4. de potentia, artic. 1. dicens; *Materia non poteſt exiſtere ſine forma, quidquid enim in rerum natura invenitur, actu exiſtit, quod quidem non habet materia, niſi per formam, quæ eſt actus ejus. Undè non habet ſine forma in rerum natura inveniri*. Et 1. p. quæſt. 16. artic. 3. ad 3. *Materia*, inquit, *ſecundum ſe, neque habet eſſe*, ideſt exiſtere, *neque cognoſcibilis eſt*. Idem ſatis innuit Ariſtoteles, qui dum ſolvit argumentum Antiquorum dicentium materiam debere eſſe ens actu exiſtens, quia aliàs eſſet nihil; non dicit (quod ſine dubio ſatis in promptu eſſet) materiam habere partialem exiſtentiam, ſed ſolùm quod inter ens actu exiſtens & nihil datur medium, ſcilicèt potentia realis exiſtendi, quæ eſt veluti prima entis inchoatio. Sentit igitur Ariſtoteles materiam non habere actu exiſtentiam, ſed eſſe puram potentiam receptivam exiſtentiæ.

Probatur concluſio, primò ratione fundamentali; Exiſtentia eſt entis extrà cauſas, & nihilum ſiſtentia: ſed materia ex ſe non eſt ens conſtitu-

ſtitutum extrà cauſas, & nihilum, ergò materia ex ſe non habet exiſtentiam. Major patet tum ex ipſo nomine, tùm ex notione ſuprà tradita exiſtentiæ, tùm ex communi Theologorum loquendi modo, qui ideò vocant exiſtentiam, *terminum naturæ*, quia per eam terminatur productio rei. Minor verò probatur, Nàm ens cenſetur ſiſti extrà cauſas, & nihilum, quando nihil ipſi deeſt requiſitum ad rationem entis: ſed materia præcisè ſumpta non eſt talis cui nihil deſit ad rationem entis requiſitum, ergo materia ex ſe non eſt ens conſtitutum extrà cauſas, & nihilum. Major patet: Nàm quamdiù res non habet ea, per quæ conſtituitur in ratione entis, cenſetur adhuc eſſe in tendentia ad rationem entis; ac proindè nondùm ſiſti extrà cauſas, & nihilum, ſeu non eſſe in ipſo termino entis, ſed potiùs in via eſſendi. Minor verò probatur, nam materia non eſt, niſi quædam entis naturalis inchoatio, & per formam conſtituitur in ratione entis, ſed inchoatio entis nondùm habet omnia requiſita ad rationem entis, ergò materia ex ſe non eſt talis, cui nihil deſit ad rationem entis. Undè ex ſe non habet ſiſtentiam extrà nihilum, ſed ſolùm tendentiam à nihilo ad ens cujus eſt inchoatio. Hanc rationem duobus verbis complexus eſt Div. Thomas 1. parte, quæſt. 7. artic.... *Materia prima*, inquit, *non exiſtit in rerum natura per ſe ipſam, cùm non ſit ens in actu, ſed potentia tantùm*,

Confirmatur magis hæc ratio, Tùm quia ens naturale conſtat ex duobus, actu ſcilicet & potentia; actus eſt ipſa forma, potentia verò eſt materia. Undè non eſt ens naturale, niſi materia compleatur per formam: ac proindè materia ſine forma non eſt ens exiſtens, ſed inchoatio

entis,

entis, quæ completur per formam, tùm quia eo modo materia exiſtit, quo eſt ens, exiſtentia enim eſt actus entis; ſed materia ex ſe non eſt ens niſi in potentia; eſt enim id ex quo fit ens: ergò materia non exiſtit niſi in potentia.

Reſpondebis materiam eſſe ens inchoativè, incompletè, & partialitèr: ideòque ſiſti extra nihilum incompletè & partialitèr: ſicque habere exiſtentiam incompletam & partialem.

Sed contrà: Nàm ens incompletum & inchoatum non poteſt habere ullam prorſus exiſtentiam: ergò nulla reſponſio. Probatur antecedens. Nam exiſtentia eſſentialiter eſt id quod aliquid ſiſtitur, & terminatur in linea entis, ita ut ulteriùs non tendat ad hoc, quod fit ens: ſi enim ulterius tenderet ad eſſendum ens, ſine dubio non intelligeretur ſiſti, & terminari: Atqui quod eſt ſolùm ens inchoativè & incompletè, ulteriùs tendit ad hoc ut ſit ens: ergò nullo modo poteſt intelligi exiſtens etiam partialitèr.

Confirmatur hæc impugnatio. Nàm ens naturale non componitur ex materia & forma, ſicut ex duabus partibus, quaſi integralibus, ut imaginantur Adverſarii, quarum quælibet actu partialitèr habeat ea, quæ conveniunt toti ſicut corpus componitur ex partialibus membris: quorum quodlibet eſt actu partialitèr corpus; ſed ſicut ex partibus eſſentialibus, quarum neutra etiam partialitèr habet ea, quæ conveniunt toti eſſentiæ, ſicuti vivens componitur ex anima & corpore, quorum neutrum ſeorſim vivit etiam partialitèr. Undè ſicut repugnat corpus habere ſine anima etiam partialem vitam, ita quoque repugnat materiam habere ſine forma etiam partialem exiſtentiam, eò quòd exi-

ſtentia ſit actus totius entis, ſicut vita totius animalis.

Dices; Anima homini ſeparata eſt ens incompletum, & tamen habet propriam exiſtentiam: ergò materia quamvis ſit ens incompletum, poteſt habere propriam exiſtentiam.

Reſpondeo primò animam ſeparatam non habere exiſtentiam partialem, ſed totalem: ut enim dicit D. Thomas, anima hominis dat exiſtentiam homini, quam poſtea totam retrahit ad ſe, quando in morte deficiunt diſpoſitiones requiſitæ, ut informet corpus. Undè hoc exemplum nihil facit pro aſtruendis partialibus exiſtentiis.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo antecedens: Anima hominis eſt ens incompletum incompletione indigentiæ, quaſi egeat aliquo ad eſſendum, nego: incompletione ulterioris communicabilitatis quatenus illud eſſe quod habet, poteſt ulteriùs communicare corpori concedo. Explicatur: Proprium eſt animæ humanæ, quòd ſit per ſe ſubſtantia actualis, operans, ſubſiſtens, ut patet ex Aug. 10. de Trinitate, cap. 7. quia non eſt incompleta in ratione entis ob indigentiam, quaſi egeat aliquo ad operandum, & eſſendum; habet enim exiſtentiam, & operationem ſpiritualem, quæ non dependet à materia; ſed incompletione ulterioris communicabilitatis, quia exiſtentia quam habet, eſt ulteriùs receptibilis in corpore. Undè non cenſetur completa, donec communicetur, ut dicit Cajetanus 1. parte, quæſt. 76. articulo 1. Cæterùm materia, & omnes formæ præter animam rationalem ſunt incompletæ etiam incompletione indigentiæ, quatenùs egent ſua comparte, ut conſtituantur in ratione entis; cujus ſignum eſt, quòd

mate-

materia nunquàm reperiri poteſt ſine forma ; & aliæ formæ ſtatim pereant, ubi ſeparantur à materia : Undè nec materia, nec aliæ formæ poſſunt habere exiſtentiam ſibi propriam, & partialem, ſed exiſtunt in toto, & per totius exiſtentiam.

Probatur prætereà concluſio variis rationibus, & quidem primò. Materia eſt ſolùm in potentia reſpectu termini generationis : Sed primum eſſe, ſeu prima exiſtentia eſt terminus generationis ; (nam generatio definitur, tranſitus de non eſſe, ſeu de non exiſtere ad eſſe, ſeu exiſtere) ergò materia eſt ſolùm in potentia reſpectu exiſtentiæ.

Secundò exiſtentia eſt ultimus actus entis, qui proindè non competit niſi enti completo ; ſed materia non completur niſi per formam ; ergò non exiſtit niſi per formam.

Tertiò exiſtentia eſt poſitio rei extrà omnes cauſas : Sed materia ſine forma non eſt extrà omnes cauſas : adhuc enim non habet cauſam formalem ; ergò non exiſtit ex ſe, & ſine forma.

Quartò, exiſtentia ſupponit formam ; ergò non poteſt competere materiæ ſine ipſa forma. Probatur antecedens. Actus ſecundus ſupponit primum : ſed forma eſt primus actus materiæ ; ergò materia ſupponit formam.

Quintò, exiſtentia eſt actus perfectior quàm forma ; ergò ſi materia de ſe non habet actum formalem : à fortiori nec actum exiſtentiæ. Probatur antecedens ex Dionyſio, qui referente D. Thoma, vocat exiſtentiam formam formarum, & actualitatem actualitatum.

Sextò demùm : ſi materia prima haberet propriam exiſtentiam, non poſſet componere unum ens per ſe cum forma : Conſequens eſt fal-

ſum: ergò, & antecedens. Probatur ſequela. Unum per ſe dicitur, quod habet unicum eſſe, & unicam exiſtentiam: atqui compoſitum ex materia & forma non haberet unicam exiſtentiam, ſed duas; ergò non eſſet unum per ſe, ſed solùm pe accidens. Nec valet ſi dicas, exiſtentiam materiæ comparari ad exiſtentiam formæ, ſicut potentia ad actum, ideòque facere unum ens ſubſtantiale cum forma, quia, ut ait Ariſtoteles, unum ens per ſe fit ex actu & potentia.

Contrà enim eſt. Nam fieri non poteſt, ut idem in eodem genere ſit actus, & potentia, ergò cùm exiſtentia materiæ (ſi quam haberet) eſſet actus in genere exiſtendi, non poſſet eſſe potentia in eodem genere. Undè Divus Thomas 7. de potentia, art. 2. ad 9. dicit, *eſſe, ſeu exiſtentiam non poſſe comparari ad actum ulteriorem tanquam potentiam.*

Quæres ad pleniorem horum omnium intelligentiam, quomodo materia recipiat exiſtentiam.

Reſpondeo, quòd ut jam dixi, in quolibet compoſito non datur niſi unica exiſtentia, quæ eſt ultima entis actualitas, ſeu actus entis completi & terminati in linea entis: undè cum materia compleatur in ratione entis per formam, recipit quoque exiſtentiam mediante forma. Quomodo autem id fiat explicat Cajetanus exemplo aptiſſimo lucis. Idem enim ordo ſervatur ad participandam exiſtentiam, quæ eſt diviniſſima omnium formalitatum, ut ſæpè dicit Ariſtoteles, qui ſervari ſolet ad recipiendam lucem, quæ eſt diviniſſima qualitatum ſenbilium: Sicut ergò ad participandam lucem, 1. requiritur aliquod ſubjectum capax lucis. 2. requiritur quædam diſpoſitio in illo ſubjecto, qua fiat proximè capax lucis,

lucis, ſcilicèt perſpicuitas, ſeu diaphaneitas 3. ea poſita ſtatim corpus illuminatur à Sole, & fit actu lucidum; ita quoque ad participandum eſſe, ſeu exiſtere (nam pro eodem utrumque ſumitur) primò requiritur ſubjectum capax eſſendi; & hujuſmodi ſubjectum eſt materia prima: Secundò requiritur quædam diſpoſitio ſubſtantialis, per quam tale ſubjectum fiat proximè capax ad eſſendum, ſeu compleatur in ratione entis; & talis diſpoſitio eſt forma: Tertiò demùm poſita forma in materia ſtatim in vi cauſæ efficientis datur exiſtentia: Et ſicut unica datur in tali corpore perſpicuo luciditas, quæ non eſt actus nec ſolius corporis, nec ſolius perſpicuitatis ſed totius compoſiti ex corpore & perſpicuitate, ita quoque datur in toto compoſito, v. g. in arbore, unica exiſtentia, quæ non eſt actus ſolius materiæ, aut ſolius formæ, ſed totius compoſiti, ex materia & forma. Ejuſmodi exemplum rem omninò apertam facit, & adhuc magis inculcabitur in Metaphyſica.

Applicari autem poteſt hæc doctrina exiſtentiæ viventis, quæ eſt ipſa vita: *Nam vivere viventibus eſt eſſe, ſeu exiſtere*, ut ait Ariſtoteles: videmus ergò in animali dari unicam ſimplicem vitam quæ nec eſt animæ ſolius; nec corporis ſolius; nec partim corporis, partim animæ, ſed totius conjuncti ex anima & corpore. Undè ad illam vitam primò requiritur ſubjectum capax vitæ, ſcilicèt corpus: ſecundò requiritur informatio animæ, nàm ſine anima corpus vivere nequit. Deindè, ubi anima eſt in corpore, ut forma in materia, in eodem momento advenit vita, tanquam actus totius compoſiti ex anima & corpore, & inſeparabilitèr concomitans ani-

 mam.

mam. Quod ergò videmus in exiſtentia viventium, ſcilicèt in vita, pariter tribuendum eſt exiſtentiæ aliarum rerum: itaut quælibet res habeat unicam exiſtentiam, que ſit actus totius compoſiti, & adveniat materiæ per formam: Undè D. Thomas ſæpè dicit, quod *eſſe*, ſeu exiſtere *ſequitur formam, & datur per formam*.

Objicies 1. Quod habet proprium fieri diſtinctum à fieri formæ, habet propriam exiſtentiam: Sed materia habet proprium fieri diſtinctum à fieri formæ; ergò habet propriam exiſtentiam. Major certa eſt: nam fieri dat eſſe, ſeu exiſtentiam; facere enim idem eſt, ac exiſtentiam dare. Minor verò probatur; nam materia facta fuit per creationem, formæ autem ſicut per generationem ſubſtantialem: Sed creatio eſt diſtincta à generatione, ergò materia habet proprium fieri diſtinctum à fieri formæ.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo majorem. Materia facta fuit per creationem ad ſe ſpeciatim terminatam, negò; terminatam ad totum compoſitum, ſub quo creata eſt, concedo. Et conceſſa minori, nego conſequentiam ſub diſtinctione data. Explicatur ſolutio Impoſſibile eſt, quod materia ſola creetur, ſed ſemper creatur totum compoſitum ex materia & forma; Undè *materia non creatur*, inquit D. Thomas, *ſed concreatur*, cujus rationem reddit 1. p. qu. 45. art. 4. Quia creatio terminatur ad ens, undè ſicut materia non eſt ens, ſed ſolùm inchoatio entis, & completur in ratione entis, quando eſt in toto compoſito: ita quoque creatio non terminatur ad materiam, ſed ad totum compoſitum.

In-

Inſtabis: Materia ſaltem aliquomodò terminat creationem; ergò ſaltem aliquomodo exiſtit.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Exiſtit per exiſtentiam partialem ſibi propriam, nego: per exiſtentiam totius compoſiti, in quo creatur, concedo. Solutio patet ex dictis.

Urgebis. Ergò materia pereunte compoſito corrumpitur, quod eſt contra Ariſtotelem, & Div. Thomam. Probatur conſequentia; Corrumpi eſt amittere eſſe; atqui materia pereunte compoſito, amittit eſſe ſiquidem non habet aliud eſſe, ſeu exiſtere, quàm totius compoſiti: ergò pereunte compoſito materia corrumpitur.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ad probationem diſtinguo majorem; Corrumpi eſt amittere eſſe, ita ut nullum aliud eſſe ſubrogetur, concedo; ſi aliud eſſe ſubrogetur, nego. Materia autem quando deperdit unum eſſe, v. gr. exiſtentiam ligni, ſtatim recipit aliud eſſe, v.g. eſſe ignis. Nam *corruptio unius eſt generatio alterius*. Undè materia non deperdit, ſed ſolùm mutat exiſtentias. Sicut ergò ſervus non dicitur liberari ex eo, quod ab una ſervitute tranſeat ad aliam, nec homo nudus ex eo, quod deponendo unam veſtem aliam ſimul induat; ita nec materia dicitur corrumpi, cum ita unum eſſe deponat, ut aliud ſtatim recipiat.

Objicies 2. Quod eſt prius compoſito, non exiſtit per exiſtentiam compoſiti; ſed materia eſt prior compoſito, ergò non exiſtit per exiſtentiam compoſiti. Major videtur certa: Minor verò probatur; Nam cauſa eſt prior effectu, & principium priùs principiato; Sed materia eſt cauſa & principium compoſiti; ergò &c.

Reſpondeo 1. cum Cajetano Opuſc. de ente, & eſſentia qu. 8. diſtinguendo majorem; Quod eſt prius compoſito prioritate temporis, concedo: prioritate naturæ, & cauſalitatis, nego. Prioritas enim naturæ non eſt prioritas exiſtendi, ſed ſolùm prioritas cauſandi: undè non impedit ſimultatem realem: & ideo, quod eſt prius natura, poteſt exiſtere per exiſtentiam illius, quod eſt poſterius, quia utrumque ſimul realitèr exiſtit. Patet autem, quod licèt materia ſit prior compoſito prioritate cauſæ, & naturæ, attamen non eſt prior prioritate temporis, quia nullum inſtans temporis eſt, in quo materia non ſit in aliquo compoſito.

Reſpondeo 2. diſtinguendo eandem majorem: Quod eſt prius ſecundùm realitatem potentiæ, nego: ſecundum actualitatem exiſtentiæ, concedo; Et ad minorem. Materia eſt prior compoſito ſecundùm realitatem potentiæ, concedo; ſecundùm actualitatem exiſtentiæ nego; Materia enim ſicut de ſe non eſt niſi potentia eſſendi, & exiſtendi; ita quoque præcedit ſolùm compoſitum ſecundùm realitatem potentiæ, non verò ſecundùm actualitatem exiſtentiæ nam ipſa non exiſtit niſi in toto compoſito. Aliis terminis dari poſſet hæc ſolutio dicendo: Quod eſt prius per modum entis completi, concedo; quod eſt prius per modum inchoationis entis, nego. Ratio eſt, quia, ut jam oſtendimus, exiſtentia eſt actus entis completi; undè illud ſolùm exiſtit, quod eſt ens completum.

Inſtabis; Atqui etiam materia in illo priori naturæ, quo concipitur præſupponi ad formam, & compoſitum, exiſtit; ergò nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum: Quod intelligitur cauſans; intelligitur exiſtens: ſed materia in illo priori intel-

intelligitur cauſans compoſitum: ergò intelligitur exiſtens.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo majorem; Quod intelligitur cauſans per modum cauſæ efficientis, concedo: per modum cauſæ materialis, nego. Ratio eſt, quia cauſa efficiens cauſat per modum dantis exiſtentiam effectui: cùm autem nemo det, quod non habet, oportet quòd cauſa efficiens intelligatur exiſtens, antequàm cauſet, v. g. ſol ante lucem. At verò cauſa materialis cauſat per modum ſubjecti, & potentiæ recipientis eſſe, & exiſtentiam. Ad recipiendum autem exiſtentiam non oportet illam præhabere, undè cauſa materialis in illo priori, in quo concipitur prævenire conſtitutionem compoſiti, non debet intelligi exiſtens, ſed tendens ad exiſtentiam.

Urgebis; Atqui etiam quod cauſat per modum materiæ, debet per ſe exiſtere: ergò nulla ſolutio. Probatur antecedens: Quod eſt per ſe extra nihil, per ſe exiſtit; ſed quod cauſat etiam per modum materiæ per ſe eſt extra nihil: ergò per ſe exiſtit. Probatur minor, quod enim eſt intra nihilum, nihil cauſare poteſt.

Reſpondeo negando ſubſumptam. Ad probationem diſtinguo majorem; Quod eſt extrà nihil completè, & totalitèr concedo: quod eſt extrà nihil inchoativè, & vialiter, nego. Ut autem ſupra dictum eſt, materia ſecundùm propriam entitatem, & in illo priori naturæ in quo concipitur prævenire formam, eſt ſolùm extrà nihil inchoativè, inquantum eſt quædam entis inchoatio:

Dices: Quod eſt extra cauſam efficientem, eſt completè extrà nihilum; ſed materia prima,

ut prævenit formam, eſt extrà cauſam efficientem: ergò eſt completè extrà nihil. Probatur minor, Nam cauſa efficiens materiæ eſt virtus creatrix; ſed materia, ut prævenit formam eſt extrà virtutem creatricem; ergò eſt extrà cauſam efficientem.

Reſpondeo ex dictis diſtinguendo majorem: Illud eſt extrà nihilum completè, quod eſt extrà cauſam efficientem, per modum effectus completi in ratione entis, concedo; per modum effectus incompleti, nego: Materia autem, ut prævenit formam, eſt ſolùm aliquid incompletum, & verſatile; undè impoſſibile eſt, quòd materia intelligatur completè eſſe, & conſervari etiam à cauſa creatrice, niſi ſub aliqua forma. Immò, ut dicit D. Thomas, *Materia in Deo non habet propriam ideam, ſed eandem ideam cum toto compoſito, nec creari ullo modo poteſt niſi cum forma*.

Replicabis: ergò ſaltem materia ex ſe habet exiſtentiam incompletam, & verſatilem. Probatur conſequentia: Nam eo modo materia exiſtit, quo eſt extrà nihil, & cauſam efficientem, ſed per ſe eſt extrà nihil, & cauſam efficientem, ſaltem incompletè, & verſalitèr; ergò habet exiſtentiam ſaltem incompletam, & verſatilem.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ad probationem, nego majorem. Nam ad exiſtendum non ſatis eſt rem eſſe quocunque modo extra cauſam, & nihilum, ſed debet eſſe per modum rei completæ, & terminatæ in linea entis, nam exiſtentia eſt terminus entis, in quo quieſcit productio rei.

Objicies 3. & ſimul inſtabis contra datas ſolutiones: Inter eſſe extrà nihil, & cauſas, & eſſe in-

trà

trà nihil & cauſas non datur medium; ergò materia debet eſſe completè, vel intrà, vel extrà nihil, & cauſas. Probatur antecedens. Nam ens, & nihil immediatè opponuntur.

Reſpond. 1. cum Joanne à Sancto Thom. diſt. antecedens. Inter eſſe extrà nihilum & cauſas, vel intrà nihilum & cauſas non datur medium, ſecundùm rem, & durationem, quaſi in mundo aliquid dari poſſit, quod nec intrà, nec extrà cauſas, & nihilum de facto ſit, concedo non datur medium ſecundùm præciſionem, nego. Quia, ut diximus ex Ariſtotele, & D. Thom. inter ens & nihilum mediat potentia realis eſſendi, quæ quamvis ſemper ſit, vel intrà, vel extrà nihilum pro omni duratione, attamen præſcindi poteſt ſecundùm conſiderationem ab ipſa forma, per quam completè ponitur extrà nihilum, ſub quo ſtatu præciſionis non intelligitur eſſe vel intrà, nec extrà, nihilum, ſed aliquid medium, ideſt, tendentia à nihilo ad ens.

Reſpondeo 2. Dato antecedente, diſtinguendo conſequens; ergò materia debet eſſe vel intrà, vel extrà nihilum, per ſe ipſam, nego; per exiſtentiam quam habet in toto compoſito, concedo; Nam ſicut forma purè corporea v. gr. forma equi, eſt ſolùm extrà nihilum, inquantùm exiſtit in compoſito equi, in quo ſalvatur, & quo deſtructo perit; ita quoque materia eſt extrà nihilum, in quantùm ſalvatur in aliquo compoſito, per cujus exiſtentiam exiſtit. Et ideò ſemper quidem exiſtit extrà nihilum, non tamen per ſe præciſè, ſed per exiſtentiam compoſiti in quo ſalvatur.

Objicies 4. Materia per ſe ſubſiſtit; ergò etiam per ſe exiſtit. Conſequentia patet; nam ſubſiſtere, & exiſtere ſunt ejuſdem rationis.

Probatur antecedens: Quod ſubſtat formæ, debet per ſe ſubſiſtere: ſed materia ſubſtat formæ: ergò debet per ſe ſubſiſtere. Major, certa eſt: nam prius eſt per ſe ſubſiſtere: quàm ſubſtare alteri. Minor verò patet: nam effectus materiæ eſt ſubſtare formæ.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo majorem. Quod ſubſtat formæ debet per ſe ſubſiſtere, quod ſubſtat formæ accidentali & ſecundariæ, concedo, quod ſubſtat formæ ſubſtantiali, nego. Explicatur ſolutio, Duplex eſt forma, ut infrà dicetur, una ſubſtantialis, quæ dat eſſe ſimpliciter, ſeu primum eſſe ſuo ſubjecto, ipſumque complet in ratione entis, & ſubſtantiæ, ut forma hominis, forma ignis; &c. Alia verò eſt forma accidentalis, quæ dat ſolùm aliquod eſſe ſecundarium, & ſecundùm quid, ut ſanitas & albedo, &c. Dicimus ergò, quòd ſubjectum ſubſtans formæ accidentali debet quidem in ſe ſubſiſtere, quia forma accidentalis non dat, ſed ſupponit eſſe ſubſtantiale, priùs enim eſt eſſe hominem, quàm eſſe doctum, vel ſanum. Attamen ſubjectum ſubſtans formæ ſubſtantiali non debet in ſe ſubſiſtere, quia hoc habet à forma ſubſtantiali. Solutio eſt D. Tho. Opuſc. 31. Adde præterea, quòd hoc argumentum nimis probat, nempè materiam eſſe nobiliorem forma, nam ſuſtentans eſt nobilius ſuſtentato.

Objicies ultimo: Exiſtentia non diſtinguitur ab eſſentia: ſed materia habet eſſentiam diſtinctam à forma; ergò, & propriam exiſtentiam.

Reſpondeo negando majorem; nam in Metaphyſica probabitur omnem eſſentiam creatam diſtingui realiter ab exiſtentia: Deindè quamvis exiſtentia eſſet eſſentia, non eſſet tamen qua-

liſcun-

liſcunque eſſentia, ſed eſſentia actualis, & completa in genere entis: undè etiam dato principio Adverſariorum, non ſequeretur materiam habere propriam exiſtentiam, quia non habet eſſentiam completam in linea entis.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrùm de abſoluta Dei potentia materia exiſtere poſſit ſine forma.

FAtentur omnes materiam non poſſe naturaliter exiſtere ſine forma, quia, vel ex ſe nullam habet exiſtentiam, vel eam ſolùm habet dependentem à forma. Sed utrùm ſaltem divinitùs id fieri poſſit, dubium eſt inter Authores. Affirmant Scotus, & quidam extra D. Thomæ ſcholam, negant verò D. Thomas, & Thomiſtæ communiter. Pro intelligentia difficultatis.

Nota, in Deo duplicem diſtingui potentiam, aliam naturalem & ordinariam, aliam ſupernaturalem & extraordinariam, & abſolutam. Potentia ordinaria eſt, qua ſe manifeſtat in effectibus ordinariis, ſeu qua operatur juxta naturam rerum, & leges ordinarias, quas Dei præſcripſit ſapientia in gubernatione rerum, ut dum ex ſemine fit arbor; ex arbore profertur fructus; hæc ſine dubio fiunt per potentiam ordinariam. Potentia extraordinaria eſt, qua Deus operatur ſupra conſuetum rerum ordinem, ex infinita illa virtute, quæ nullis terminis limitatur, ſed ut loquitur Scriptura, dum (*facit potentiam in brachio ſuo*) & infinitam virtutem ſuam adhibet.

Deus enim plus poteſt, quàm fecerit, & oſtendant effectus naturales, & ut dicit D. Thomas 1. parte, quæſt. 25. ex illa potentia extraordinaria operatur, cùm in myſterio Euchariſtiæ accidentia ſuſtinet ſine ſubjecto; in myſterio Incarnationis humanam naturam unit Divinæ Perſonæ; dum facit Virginem eſſe matrem, dum mortuos vitæ reſtituit, &c. Huic autem potentiæ abſolutæ conceditur quidquid non implicat contradictionem; ut enim dicit D. Thomas 1. parte, quæſt. 15. art. 3. Contradictio cùm dicat eſſe, & non eſſe, ſimul deſtruit ens, ipſumque reddit impoſſibile, ſic fieri etiam divinitùs nequit, ut quæ facta ſunt, in facta reddantur, quod quis vivat ſine vita, quod detur triangulus ſine angulis, quod ſit homo ſine anima rationali, &c. Hoc poſito.

Dico: Fieri non poteſt etiam de potentia Dei abſoluta, ut materia exiſtat ſine forma, Ita D. Tho. Quodl. 3. q. 3. art. 1. ubi ſic ait. *Quod aliquid ſit & non ſit, à Deo fieri non poteſt, neque aliquid involuens contradictionem, & hujuſmodi eſt, materiam eſſe ſine forma*. Idem repetit 1. parte, quæſt. 66. art. 1. & aliis in locis.

Probatur concluſio ratione Div. Thomæ. Si materia exiſteret ſine forma, ſimul exiſteret, & non exiſteret. Atqui hoc implicat contradictionem, ergo nec divinitùs fieri poteſt. Minor patet: probatur major, & in primis, quòd exiſteret, ſupponitur, quòd verò non exiſteret, ſic oſtenditur, Impoſſibile eſt effectum formalem haberi ſine forma; ſed exiſtere eſt effectus formalis formæ, ergò impoſſibile eſt habere exiſtentiam ſine forma. Major patet tùm rationem, nam effectus formalis eſt ipſa forma communicata, vel ſaltem habetur per ipſam communicationem

nem formæ; tùm inductione, ſic enim impoſſibile eſt vivere ſine anima, eſſe album ſine albedine, &c. Minor verò probatur ex ipſa formæ definitione qua dicitur, id quod dat eſſe materię, ſeu quod facit materiam eſſe ens actu, ut ait D. Th. 1. p. q. 66 art. 1. Undè infert, *quod dicere materiam exiſtere ſine forma, eſt dicere ens actu ſine actu, quod implicat contradictionem*.

Confirmatur prætereà 1. Quia materia non exiſtit, niſi per exiſtentiam formæ, ergò ſine forma nequit exiſtere. Secundò, exiſtentia eſt poſitio rei extra cauſas: ſed impoſſibile eſt materiam ſine forma eſſe extra cauſas; ergò impoſſibile eſt eam ſine forma exiſtere. Major patet ex dictis. Minor probatur: Nam una, & præcipua ex cauſis materiæ à qua intimiùs pendeat, eſt ipſa forma; ergò ſine forma impoſſibile eſt, ut ſit extra cauſas. Tertiò exemplo; Nam ſic ſe habet materia ad formam in exiſtendo, ſicut corpus ad animam in vivendo: Sed implicat, contradictionem corpus vivere ſine anima; ergò, & materiam exiſtere ſine forma. Probatur paritas; tùm quia ipſa vita eſt exiſtentia entis animati; tùm quia ſicut anima dat vitam; ita, & forma dat exiſtentiam Quartò, ſi materia haberet aliquam exiſtentiam ſine forma, vel eſſet exiſtentia ſpiritualis, vel corporalis: Non primum, quia ſpiritualitas eſſentialiter repugnat materiæ, non etiam ſecundum, quia exiſtentia corporalis dat eſſe actu corpus; exiſtentia enim eſt actu id, quod eſt: Sed repugnat materiam eſſe actu corpus ſine forma: ergò nullam habere poteſt exiſtentiam ſine forma.

Probatur 2. Quod eſt eſſentialitèr incapax exiſtentiæ, non poteſt etiam divinitùs exiſtere. Sed materia ſine forma eſt eſſentialitèr incapax exiſtentiæ; ergò nequit exiſtere ſine forma.

Major

Digitized by Google

Major patet. Nam Deus non poteſt à rebus ipſis removere eſſentiam, ut facere, quòd equus, cui eſſentialitèr repugnat rationalitas, ſit rationalis. Minor verò probatur, tùm quia exiſtentia eſt actus entis completi. Sed materia ſine forma eſt eſſentialitèr ens incompletum, ergò & eſſentialitèr incapax exiſtentiæ, tùm quia ſubjectum eſt eſſentialitèr incapax actus ſecundarii ſine primo, ſed forma eſt actus primus entis, & materiæ: exiſtentia verò eſt actus ultimus ut patet ex dictis, & ſæpè repetit D. Thomas, ergò materia ſine forma eſt eſſentialitèr incapax exiſtentiæ. Major patet inductione, ſic enim quia viſio eſt actus ſecundarius, impoſſibile eſt, ut quis videat ſine potentia viſiva, quia intellectio eſt actus ſecundarius, impoſſibile eſt, ut quis intelligat ſine intellectu.

Confirmatur hæc ratio. Nam ut dicitur communitèr, effectus cauſæ formalis, & materialis nec divinitùs ſuppleri poſſunt. Sed quòd materia ſit capax exiſtendi, eſt effectus formalis formæ, ergò nec divinitùs ſuppleri poteſt ſine forma.

Objicies 1. Deus poteſt conſervare accidens ſine ſubjecto, ut patet in Eucbariſtia, ergò; & materiam ſine forma. Probatur conſequentia. Nam materia minùs dependet à forma quàm accidens à ſubjecto, ergò ſi divinitùs accidens poteſt eſſe ſine ſubjecto, poterit & materia eſſe ſine forma. Probatur antecedens. Priùs minùs dependet à poſteriori, quàm poſterius à priori. Sed materia eſt prior forma, ſubjectum verò eſt prius accidente, ergò materia minùs dependet à forma quàm, accidens à ſubjecto.

Reſpondeo negando conſequentiam, Ad probationem nego antecedens; Nam ut inquit Caje-

jetanus, plus dependet pura potentia ab actu, quàm actus imperfectus, quale eſt accidens, ab actu perfecto. Ad probationem, tranſeat major, & diſtinguo minorem: Materia eſt prior forma, quantùm ad realitatem entitatis, concedo: quantùm ad actualitatem exiſtentiæ, nego: Ideſt materia cùm ſit receptiva formæ præcedit ipſam in ratione potentiæ receptivæ, ſed quia materia exiſtit per formam, ideò forma præcedit materiam quantùm ad munus exiſtendi.

Objicies 2. Deus ſe ſolo ſine cauſis ſecundis poteſt quidquid poteſt cum illis: ſed cum forma poteſt dare exiſtentiam materiæ; ergo etiam ſine forma idem poteſt præſtare.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Deus poteſt ſe ſolo quidquid poteſt cum cauſis ſecundis efficientibus, concedo, formalibus, aut materialibus, nego: Nam ut ſuprà diximus Deus non poteſt ſupplere effectum cauſæ materialis, & formalis. Et ratio hujus eſt, quia tales cauſæ cauſant per modum partis, Deus autem non poteſt eſſe pars alicujus rei.

Objicies 3. Deus poteſt ſupplere exiſtentiam creatam per propriam exiſtentiam, ut patet in humanitate Chriſti, quæ non exiſtit per exiſtentiam creatam, ſed per Divinam ſupplentem vices creatæ: ergò etiam poterit Deus communicare ſuam exiſtentiam materiæ, & ſic eam reddere exiſtentem ſine forma.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Deus poteſt ſupplere exiſtentiam creatam per propriam in ſubjecto incapaci exiſtentiæ, concedo; in ſubjecto incapaci exiſtentiæ, nego. Materia autem ſine forma eſt eſſentialiter incapax exiſtendi: ſicut corpus ſine anima eſt eſſentialitèr incapax vivendi.

Digitized by Google

ARTICULUS QUINTUS.

De unitate, & appetitu, & ingenerabilitatem Materiæ.

COnſtat ex dictis quid ſit materia: eam ſcilicèt eſſe puram potentiam in genere entis, & ſubſtantiæ, quæ de ſe nullum habet actum, nullamque exiſtentiam, ſed per formam completur in genere entis, & redditur exiſtens. Nunc brevitèr explicandum eſt, qualis ſit, ideſt quomodo ſit una, quomodo formas appetat, & quomodò ſit incorruptibilis, & ingenerabilis.

Dico 1. Materia ex ſe non eſt perfectè, & completè una: ſed ſolùm imperfectè & in potentia.

Probatur facilè. Nam eo modo eſt una, quo eſt ens: ſiquidem unitas eſt proprietas entis: Atqui de ſe non eſt ens complete; ergò non habet unitatem completam, ſed imperfectam, quæ ulteriùs trahi poteſt ad omnes entis ſpecies, ut ad ſpeciem hominis bruti, plantæ, &c.

Dico 2. Materia omnium ſublunarium eſt ejuſdem rationis, Materia verò corporum cœleſtium videtur eſſe diverſæ rationis à materia ſublunarium. Prima pars eſt omnium, &c.

Probatur tùm experientia, tùm ratione; experientia, quidem nam videmus materiam eamdem tranſire per omnes gradus entium ſublunarium, ut quæ erat ſub aqua, & ſub terra, poſtea fit bitumen, deindè ignis, poſtmodum aer, hinc addenſatur in aqua, ex aqua tranſit in

plan-

plantam, quàm nutrit aqua, poſtea tranſit in ſubſtantiam animalis, quod alitur planta, &c. Tùm etiam ratione: Nam materia ſublunarium eodem modo reſpicit omnes formas ſublunares, ideſt, amiſſibilitèr recipiendas; ergò eſt ejuſdem rationis.

Secunda verò pars eſt contrà plures Antiquos, qui dicebant, cælos eſſe factos ex materia elementari, Plato quidem ex igne, Empedocles verò ex quatuor elementis undè ut refert Auguſt. 38. de Civ. Dei, cap. 41. Anaxagoras hanc ſententiam ſecutus, pulſus eſt in exilium ab Athenienſibus, eò quòd docuiſſet, Solem quem ut Deum Antiqui venerabantur, eſſe lapidem ardentem.

Probatur tamen contrà illos, ſupponendo id quod in ſecunda parte oſtendemus, ſcilicèt Cœlos eſſe incorruptibiles ab intrinſeco: ſiquidem materia ſublunaris eſt radix corruptibilitatis ergò, ſi cœli ſint incorruptibiles, debent habere materiam diverſam à ſublunari Nam remotio effectus ſupponit remotionem cauſæ.

Confirmatur primò. Materia reſpiciens amiſſibilitèr formam, & materia reſpiciens inamiſſibiliter formam ſunt diverſæ rationis; potentiæ enim, differunt ſecundùm modum reſpiciendi actus ſuos, ut dicit D. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. ad 4. ſed materia cæleſtis inamiſſibilitèr reſpicit formam; ſublunaris verò reſpicit eam amiſſibilitèr, ergò &c.

Secundò. Si elementaris materia ſit ejuſdem rationis cum materia cœleſti, proindeque capax formæ cœleſtis, mirum eſt quomodo activiſſima corpora, quales ſunt cœli non diffundant ſuam formam ad materiam elementarem, ſicuti ignis approximatus ligno diffundit ſuam

for-

formam ad materiam ligni, ſed ut ſupponimus, ex elementis non generatur ſubſtantia cœleſtis; ergò ſignum eſt materiam elementarem non eſſe capacem formæ cœleſtis, & proindè formam cœli exigere materiam diverſam à ſublunari.

Dico 3. Materia appetitu innato appetit omnes formas, eas quidem, quas nondum habet, vel habuit appetitu quaſi tendentiæ, & deſiderii; eas verò quas habet, appetitu quaſi complacentiæ, & quietis; quas autem habuit, quodammodo inefficaci, & ſecundùm quid. Antequam probetur concluſio.

Adverte, quod appetitus eſt inclinatio ſeu tendentia & ordo rei ad id, quod ſibi convenit. Undè duplex eſt, innatus ſcilicèt, & elicitus. Appetitus innatus eſt, qui ab ipſa rei natura fluit abſque ulla prævia cognitione per modum naturalis ponderis, & ordinationis; ſic gravia innato appetitu tendunt ad centrum mundi, levia ad circumferentiam: & quælibet res ad id, quod ſuæ naturæ conveniunt. Appetitus elicitus eſt, qui producitur cum cognitione per modum actus vitalis, quo res ſe movet, & excitat ad ea, quæ ſibi bona judicat: ſic homo appetitu elicito cupit honores, divitias, ſcientias, virtutes, & alia hujuſmodi: ſic etiam pecudes appetitu elicito moventur ad quærendum cibum, potum, loca ſibi commoda, &c. Hoc poſito, concluſio non procedit de appetitu elicito, qui nullus omninò reperitur in materia, immò nec in rebus vita deſtitutis; ſed ſolùm de appetitu innato: ita ut ſenſus ſit materiam ex natura ſua tendere ad formas, ſeu inclinari & ordinari ad ipſas tanquam ad ſuum bonum, ſuamque perfectionem. Concluſionis ſic explicatæ probatur prima pars: Nam appetere formas nihil aliud eſt, quàm ex ſe ordi-

nari

nari & tendere ad illas, ſed materia ex natura ſua ordinatur & tendit ad formas; ergò naturalitèr eas appetit; Probatur minor: Nam potentia naturalitèr ordinatur ad actum, & inchoatio ad complementum; ſed materia eſt potentia receptiva formæ, & inchoatio entis, quæ per formam completur: ergò materia ordinatur & tendit ad formas.

Probatur ſimul ſecunda, & tertia pars: Nàm appetitus quando nondùm habet rem cupitam, dicitur appetitus deſiderii; quando verò tenet ipſam, dicitur appetitus quietis, & complacentiæ: ut lapis dum eſt extrà centrum, veluti deſiderat ipſum; dum verò eſt in centro, quieſcit in eo; ergò appetitus materiæ reſpectu formarum quas nunquàm habuit, eſt appetitus quaſi deſiderii, reſpectu verò formæ, quam habet, eſt appetitus complacentiæ, & quietis.

Probatur demùm quarta pars Nàm materia naturalitèr loquendo non poteſt amplius habere formas, quas ſemel habuit: ſiquidem à privatione ad formam non datur regreſſus; ergò appetitus quem habet materia reſpectu formarum quas habuit, non poteſt eſſe, niſi veluti inefficax, & ſecundum quid.

Objicies; Quod non habet actum, non habet appetitum: ſed materia non habet actum: ergò nec appetitum.

Reſpondeo diſting. majorem: Quod non habet actum, non habet appetitum per modum actualis tendentiæ, concedo; per modum paſſivæ capacitatis, nego. Appetitus autem materiæ non eſt actualis tendentia, ſed ſolùm naturalis capacitas ordinata ad formam.

Dices. Materia non appetit malum compoſiti (nullus enim appetitus fertur in malum:) ſed

ſed ſi materia, quæ eſt ſub una forma, aliam appeteret, appeteret malum, & ruinam compoſiti: ergò materia, dum habet aliquam formam, nullam aliam appetit.

Reſpondeo materiam ſolùm per accidens, & propter bonum totius univerſi appetere ruinam compoſiti: primariò enim materia appetit omnem formam quam non habet, & cujus eſt capax, ſive illa ſit perfectior, ſive imperfectior ea, quam habet; appetit enim formas, inquantum eſt potentia ad ipſas; Potentia autem indifferentèr ſe habet ad perfectum, & imperfectum, ut dicit D. Thomas 1. p. q. 66. art. 2. ſed quod dum illa nova forma introducitur, alia expellatur, ſicque deſtruatur vetus compoſitum, hoc eſt per accidens, & quaſi præter intentionem materiæ, & tamen hoc ipſum non eſt purè malum, ſed cedit in bonum totius univerſi, cujus pulchritudo conſiſtit in ea rerum modò naſcentium, modo intereuntium varietate; ſicut pulchritudo comediæ conſiſtit in varietate ſcenarum; ut autem dicit Seneca. *Univerſus mundus hiſtrioniam exercet*.

Dico 4. Materia eſt incorruptibilis, & ingenerabilis: undè à ſolo Deo produci, & deſtrui poteſt. Ita communitèr omnes.

Probatur concluſio; Nàm ſicut naturalitèr ex nihilo nihil generari poteſt: ita quoque nec in nihilum abire; ergò neceſſe eſt, ut omnis generatio ſupponat materiam, & omnis corruptio relinquat materiam: ac proindè materia nec generatur, nec corrumpitur, ſed eſt aliquid præſuppoſitum ad omnem generationem, & relictum poſt omnem corruptionem. Attamen totum compoſitum corrumpi poteſt, quia compoſitum conſiſtit in unione materiæ & formæ, quæ ſepa-

ſeparari poſſunt, ſicque deſtrueretur compoſitum, quamvis utraque pars remaneat.

Licèt autem materia ſit incorruptibilis, dicitur tamen radix corruptionis propter capacitatem, qua poteſt omnem formam recipere; & cum receptio unius formæ ſit expulſio alterius, ut dum materia ligni recipit formam ignis, excluditur forma ligni, ſicut capacitas materiæ eſt cauſa, cur novas formas recipiat, ſicque generentur nova compoſita: ita quoque eſt cauſa cur veteres abjiciat, ſicque corrumpantur vetera.

QUÆSTIO TERTIA.

De Forma ſubſtantiali.

Uſtravimus primum principium rerum naturalium, ſcilicet materiam ex qua fiunt, eamque oſtendimus eſſe in ordine entis puram potentiam verſatilem in omnes entium naturalium modos: nunc agendum eſt de forma ſubſtantiali, per quam materia fit ens actu, & quælibet res in in ſua ſpecie conſtituitur. Circa formam autem tria quæremus tribus articulis. Primò, an, & quid ſit; Secundò, quomodo educatur de potentia materiæ in rebus genitis: Tertiò, an idem dicendum ſit de formis rerum creatarum.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

An, & quid ſit forma ſubſtantiali.

SIcuti per materiam ſubſtantialem intelligimus id, ex quo fiunt omnia naturalia, ſeu potentiam eſſendi ſimpliciter; ita quoque per formam ſubſtantialem intelligimus id, per quod omnia incerta ſpecie entis ſimpliciter conſtituuntur, ſeu ipſum actum dantem materiæ eſſe ſimpliciter, ideſt primum eſſe. Veluti enim in artefactis, lignum v. gr. eſt materia in communis, ex qua fiunt omnes ſtatuæ, figura verò ab artifice inducta quamlibet ſtatuam in certa repræſentatione conſtituit, itaut idem lignum, dum habet figuram Cæſaris, ſit ſtatua Cæſaris, dum habet figuram equi, ſit ſtatua equi; ita quoque materia ſubſtantiarum ſublunarium eadem eſt communis omnibus: ſed dum varias formas ſuſcipit, in varias ſubſtantiæ ſpecies trahitur: dum enim habet formam hominis, fit homo; dum formam equi, fit equus; dum formam arboris, fit arbor. Hoc poſito quærimus, an detur talis forma ſubſtantialis, & quid propriè ſit. Antequam quæſtionem reſolvamus, aliquid de variis formæ diviſionibus, & acceptionibus prælibandum.

Forma igitur generaliſſimè ſumpta eſt id, quod dat eſſe, ut dicit, D. Thomas Opuſc. 31. ſeu id, quo res id, quod eſt. A Græcis vocatur ideſt, *perfectio*, eò quod omnis perfectio ſit per formam, ſicut capacitas perfectionis eſt per materiam; undè Ariſtoteles eam vocat *pulchrum*, *optimum divinum*. Dicitur etiam *actus*: eò quòd conſtituat, & determinet rem

ad

ad aliquem certum eſſendi modum, ſicut materia dicitur *potentia*, eò quòd ſit de ſe indifferens ad omnes eſſendi modos. Vocatur quoque *ſpecies*, ſeu *idea*, eò quod conſtituat, & diſtinguat ſpecies rerum.

Dividitur autem primò in formam extrinſecam ſeu conſtitutivam: Forma extrinſeca eſt, quam res imitatur, ut idea in mente artificis concepta, dicitur forma extrinſeca domus. Forma intrinſeca eſt, quæ rem in ſuo eſſe conſtituit; ut anima rationalis eſt forma intrinſeca hominis, qui per eam conſtituitur in ſpecie humana.

Didividitur 2. in formam ſubſiſtentem, & informantem: Forma ſubſiſtens eſt illa, quæ per ſe ſubſiſtit abſque eo, quòd ſit in aliquo ſubjecto: Angeli ſunt forma ſubſiſtens; forma quidem, quia determinantur ad ſpecialem eſſendi modum; ſubſiſtens verò, quia non recipiuntur in aliqua materia. Forma verò informans eſt, quæ in aliquo ſubjecto recipitur; ut forma equi, quæ recipitur in ejus materia.

Tertiò, forma informans dividitur in ſubſtantialem, & accidentalem. Subſtantialis eſt, quæ conſtituit ſubſtantiam in ſuo eſſe, ſeu quæ dat eſſe ſimpliciter, ideſt, primum eſſe, quod nullum aliud ſupponit: ſic anima equi tribuit ipſi eſſe ſubſtantiale, ipſumque in rerum natura primò conſtituit. Forma verò accidentalis eſt, quæ ſupervenit rei jam in ſuo eſſe ſubſtantiali conſtitutæ, ipſique tribuit aliquod eſſe ſecundùm quid, ideſt, ſecundarium, ut fortitudo, & velocitas ſunt formæ accidentalis equi, quia ſupponunt illum jam exiſtentem in rerum natura, ipſique ſecundarias quaſdam perfectiones afferunt, ſcilicèt eſſe fortem, & velocem. His ſuppoſitis, ſolùm hic agitur

tur

tur de forma ſubſtantiali, quæ eſt præcipua, & aliarum radix, ac fundamentum.

Dico primò: Neceſſe eſt dari in rerum natura formam ſubſtantialem, quæ cum materia conſtituat entia naturalia. Ita modò tenent communitèr omnes Philoſophi exploſis Antiquorum opinionibus, qui ejuſmodi formas ſubſtantiales non agnoverunt.

Probatur primò concluſio: Nàm materia ſola non poteſt conſtituere ſubſtantias naturales, ergò præter materiam neceſſe eſt dari aliam partem ſubſtantialem, quæ dicitur forma. Probatur antecedens; Nam pura potentia in genere entis non poteſt ſola conſtituere ſubſtantiam naturalem; Sed materia, ut patet ex dictis, eſt pura potentia in genere entis; ergò non poteſt ſola conſtituere ſubſtantiam naturalem, & proindè præter materiam, ex qua fiunt res naturales, datur forma, per quam fiant, & conſtituantur in ratione entis actualis.

Confirmatur. Nàm videmus in rebus varias proprietates, quæ rei eſſentiam conſequuntur: itaut ſi aliquando interruptæ ſint, iterùm ab intrinſeco pullulent: ſic aqua ex natura ſua eſt frigida, & ſi fortè calefiat, remoto igne ſuæ frigiditati ſtatim reſtituitur: ſic animal naturalitèr habet motum, & operationes vitales, & ſi quando apoplexia interrumpantur, curato morbo eas ſtatim recuperat; ergò oportet dari in eſſentia talium rerum aliquod principium, & aliquam radicem ſubſtantialem, ex qua procedant tales proprietates; Atqui talis radix non poteſt eſſe ſola materia; ergò præter eam datur forma, quæ eſt radix proprietatum. Probatur minor: Nàm materia eſt eadem in omnibus: Sed proprietates non ſunt eædem in omnibus, immò ſæpè ſunt

oppoſitæ inter ſe, ut proprietates ligni opponuntur proprietatibus ignis: ergò materiam ſola non poteſt eſſe radix proprietatum.

Probatur 2. Nam in generatione ſubſtantiali (quam dari ſupra probavimus) acquiritur aliquid ſubſtantiale, quod antea non erat: Sed id, quod acquiritur, non poteſt eſſe materia prima; ergò eſt ipſa forma: Minor conſtat. Nam materia prima eſt ingenerabilis, & ſupponit ad omnem generationem ſubſtantialem, Major verò declaratur tùm experientia, tùm ratione, Experientia quidem, ſic enim animal dum generatur, acquirit vitæ principium, quo conſtituitur ſubſtantia vivens, & dum moritur, illud deperdit, Sic dum ex ligno ſit ignis, caloris principium acquiritur, quod antea in materia ligni non erat, &c. Ratione etiam. Nam generatio eſt tranſitus de non eſſe ſimplicitèr, ſeu de non eſſe ſubſtantiali ad eſſe ſimplicitèr ſeu ad eſſe ſubſtantiale, v. gr. de non eſſe animalis, vel hominis, ad eſſe animalis, vel hominis; ergò in generatione acquiritur id, per quod res eſt ſubſtantialiter animal, vel homo. Hoc autem vocamus formam ſubſtantialem.

Confirmatur prætereà. Nam per formam intelligitur principium ſubſtantiale diſtinguens res naturales in varias ſpecies; ſed datur tale principium: ergò datur forma ſubſtantialis. Probatur minor; Cum enim res ſint diverſæ ſubſtantialiter inter ſe, ut homo ſubſtantialiter differt à pecude, & pecus ab arbore: neceſſe eſt dari principium ſubſtantiale diſtinctivum, ejuſmodi rerum: Cum igitur materia ſit eadem in omnibus, neceſſe eſt præter ipſam dari formam, cujus diverſitas ſubſtantiarum varietatem inducat.

His omnibus accedit teſtimonium fidei, quæ docet

docet in homine animam rationalem eſſe partem, & formam ſubſtantialem hominis, radicem omnium proprietatum, omnium ſenſuum, omnium operationum, ex qua, & corpore conſtituatur ſubſtantia humana Hoc enim definitum eſt in Concilio Lateranenſi; ergò etiam in cæteris rebus neceſſe eſt prætèr materiam dari aliquod principium ſubſtantiale, quod eas conſtituat cum materia, ſitque radix operationum, & proprietatum cujuslibet rei Probatur conſequentia, & paritas: ſicut enim per adventum animæ homo vivit, ac operatur, & per receſſum ejus moritur, illaque anima eſt fons omnium, quæ conveniunt homini ut homo eſt, ita quoque in animantibus videmus eſſe aliquid, per cujus adventum vivunt, & per cujus receſſum pereunt, quodque eſt fons, & radix omnium proprietatum; ergò etiam in aliis animantibus, (& idem dicendum de rebus inanimatis) eſt quædam forma ſubſtantialis, per quam ſunt id quod ſunt, & quæ eſt fons omnium proprietatum.

Dices 1. In aliis rebus præter hominem formæ accidentales ſufficiunt ad diſtinguendas res: nam ignis, & aqua non differunt, niſi inquantùm ignis eſt ſummè calidus, & aqua frigida.

Sed contrà Nam aſſignanda eſt aliqua radix in ſubſtantia ſummi illius caloris, & frigoris: ſiquidem niſi in ipſa aquæ eſſentia radicaretur frigiditas, non ita pertinaciter comitaretur aquam, ut ſi per violentiam expellatur; ſtatim remota extrema vi, profluat ab intrinſeco; quod idem videre eſt in aliis rebus. Hæc autem radix non poteſt eſſe niſi forma ſubſtantialis aquæ: cujus ſignum eſt, quod ſi contingat aquam ſubſtantialitèr corrumpi, ut dum vertitur in aerem, non habebit amplius nativam illam frigiditatem: ſi-

cuti, & ignis extinctus, & in ſummum verſus non habet amplius ſummum calorem, qui ſubſtantiam ignis comitatur.

Dices 2. Forma inhærens ſubjecto eſt accidentalis, Sed omnes illæ formæ, quas ſubſtantiales vocamus, inhærent alicui ſubjecto, ſcilicèt materiæ primæ, ergò ſunt ſolùm accidentales.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, Forma inhærens ſubjecto per modum dantis ipſi eſſe ſimplicitèr; eſt accidentalis, nego; ſi inhæreat per modum actus ſecundarii afferentis ſolùm aliquod eſſe ſecundùm quid ut eſſe frigidum, vel calidum, concedo. Differt enim forma ſubſtantialis ab accidentali, quòd quamvis utraque ſit in ſubjecto, attamen ſubſtantialis dat ſuo ſubjecto eſſe ſimplicitèr, ipſumque conſtituit in linea entis, & ſubſtantiæ: accidentalis verò non dat, ſed ſupponit in ſuo ſubjecto eſſe ſimplicitèr, cui adjungit aliquod eſſe ſecundarium ſubſtentatum in primo, Solutio eſt D. Thomæ 1. p. q. 77. art. 6.

Dico 2. Forma ſubſtantialis rectè definitur actus primus materiæ. Ità omnes poſt Ariſtotelem.

Dicitur in primis, *Actus*, ad differentiam materiæ, quæ eſt pura potentia, Dicitur, *primus*, ad differentiam exiſtentiæ, quæ eſt actus ultimus entis, & ad differentiam formarum accidentalium, quæ ſunt ſolùm actus ſecundarii, præſupponentes actum ſubſtantialem; Additur quòd ſit actus materiæ, ad differentiam formarum per ſe ſubſiſtentium, quales ſunt Angeli, quæ ſunt actus, ſed non recipiuntur in materia.

Præter hanc definitionem aliæ tradi poſſunt, quibus prima hæc explicatur, & natura formæ am-

ampliùs declaratur. Dicitur enim, id per quod ſubſtantia eſt id, quod eſt; Nam quælibet res eſt per ſuam formam, ut homo eſt homo per animam rationalem, undè dicitur ab Ariſtotele, *ratio quidditatis*, ideſt, conſtitutivum rei in ſua quidditate, & ſpecie. Dicitur etiam *radix proprietatum*, eò quòd cum primum in genere ſit cauſa cæterorum, forma ſubſtantialis quæ eſt primus actus in genere entis, debet eſſe cauſa actuum accidentalium, & proprietatum, quæ procedunt ab ea ſicuti ſurculi à radice, ut dicit D. Thomas 1. p. q. 77. artic. 6. Dicitur præterea id, quod dat eſſe ſimpliciter, ideſt, primum eſſe. Nam ſicuti materia eſt potentia eſſendi ſimpliciter, ita quoque forma eſt actus eſſendi ſimpliciter, undè per corruptionem recedente forma perit ſubſtantia, ſolumque remanent illius veluti ruinæ ſcilicèt materia, ut patet in morte animalis, & in combuſtione ligni.

Cùm autem operari ſequatur ad eſſe, & intantùm aliquid agat, inquantùm eſt in actu, ut ſæpè dicit Div. Thomas: ſicuti forma eſt primus actus eſſendi, ita quoque eſt primum, & radicale principium operandi: Hujus autem ratio altius repeti poteſt ex eò, quod per formam ſubſtantialem quælibet res participet naturam Divinam, ipſaque forma ſit quædam derivatio, & imitatio primi, ac puriſſimi actus, ſcilicèt Dei, Deus autem non ſolum eſt in ſe perfectus per ſuam entitatem, ſed etiam operativus; undè forma ſubſtantialis utrumque hoc munus à Deo participat, & eſſendi, & operandi.

Sed notandum, quòd in Deo ſunt duo genera operationum: unum principalius, *ad intrà*, inquantùm ſe ipſum, & in ſe alia cognoſcit, &

amat; Alterum minus principale, *ad extrà*, inquantùm ſuam perfectionem diffundere poteſt producendo creaturas, quantum earum conditio patitur, ſibi ſimiles. Et quia quæ unitur in ſuperioribus, dividitur in inferioribus, hæc duplex operandi ratio ita diſtribuitur formis ſubſtantialibus, ut prima, & nobilior ſcilicèt operatio immanens conveniat formis nobilioribus ſeu ſpiritualibus, quales ſunt Angeli, qui licèt non poſſint ſe ipſos diffundere ad extrà, producendo alios Angelos; attamen poſſunt ſe ipſos, & in ſe alia, immò Deum ipſum cognoſcere, & amare, quòd ſine dubio nobiliſſimum eſt operandi genus. Secunda verò, & minùs principalis operandi ratio convenit formis ignobilioribus, ſcilicet corporeis, quæ licèt cognitione deſtitutæ ſint, attamen utrumque à Deo participant, & quòd in ſe perfectæ ſint, & quòd hanc perfectionem ad extrà diffundere poſſint producendo ſibi ſimile. Undè Athanaſius ſerm. 3. geſtorum Conc. Nicæn. dicit, *Deus dediſſe omnibus naturam ſimilium propagativam*. Sic ignis ſuam formam diffundit, & ſibi ſimile producit per combuſtionem; ſic planta ſe ipſam propagat per ſemen; ſic animal ſuam ſpeciem multiplicat per generationem. Et generalitèr, quantum poſſibile eſt, in his corporalibus quodlibet generat ſibi ſimile, inquantum quælibet forma ſubſtantialis eſt ſui diffuſiva, & ſimilium effectuum productiva.

Dixi autem conſultò, quodlibet producere ſibi ſimile quantùm poſſibile eſt, quia non omnia eodem modo id aſſequuntur, ſed aliqua imperfectè ſolùm, & analogicè, ut ſol non generat ſolem, ſed aurum aliqualitèr ſibi ſimile, quædam verò etiam perfectè, ut homo generat homi-

mi-

minem, quercus quercum: Cujus diverſitatis ratio eſt, quia cum nulla creatura agat ex nihilo, ſed ex materia quadam, neceſſe eſt, ut productio effectus accomodetur materiæ, ex qua fit; Materia autem, circa quam agunt omnia corporalia eſt materia ſublunaris, quæ ſola capax eſt alterationis, & generationis. Hæc autem materia eſt quidem capax omnium formarum rerum corruptibilium, ut ignis, aquæ, plantæ, hominis, ſed non eſt capax formarum cœleſtium. Undè omnia corruptibilia poſſunt inducere in hanc materiam formam ſuam, & ſic producere perfectè ſibi ſimile, ut planta plantam; ſed cæleſtia corpora non poſſunt inducere in talem materiam formam ſuam, ideòque nec generare perfectè ſibi ſimile, ſed ſolùm aliquid accedens imperfectè ad ſuam ſimilitudinem; ut luna generat argentum ſibi aliqualitèr ſimile in candore, ſtellæ generant lapides pretioſos ſuum fulgorem imperfectè imitantes. Cæterùm, quomodo licèt omnes formæ ſubſtantiales ſint activæ, indigeant tamen accidentibus, tanquam immediatis ſuæ efficacitatis miniſtris, dicetur in quæſtione de cauſa efficienti.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ, & quomodo formæ rerum genitarum educantur de potentia materiæ.

EXplicata quidditate formæ ſubſtantialis, nunc examinandum eſt quomodo producantur: Pro cujus intelligentia.

Notandum eſt 1. cum D. Th. 1. p. qu. 65. art. 4. Quòd forma propriè non fit, nec producitur; ut enim dicit S. Doctor ex Ariſtotele 7. Met. *Id quod propriè fit, eſt compoſitum, Formæ autem corruptibilium rerum habent, ut aliquando ſint, aliquando non ſint, abſque hoc quod ipſæ generentur, aut corrumpuntur, ſed compoſitis generatis, aut corruptis.* Et ratio eſt, quia ut idem dicit, ſic alicui competit fieri, & produci, ſicut eſt eſſe: Forma autem propriè non habet eſſe, ſed eſt id, per quod compoſitum habet eſſe; & ideò non eſt propriè id quod fit: ſed ſolùm id, quo aliquid fit. Attamen ipſa etiam forma impropriè dicitur fieri. Quomodo autem fiat, id eſt, quod quærimus.

Notandum 2. Compoſitum duplici modo fieri poſſe, 1. per creationem, ut cœlum, & elementa initio mundi à Deo creata ſunt: 2. per generationem, ut ignis ex ligno generatur. Differt autem creatio à generatione, quòd omnis generatio ſupponit materiam ex qua fiat res genita; creatio verò nihil ſupponit, ſed totum ex nihilo producit, etiam ipſam materiam. Quæritur ergò, quomodo fiat forma tàm in compoſi-

to genito, quàm in compoſito creato. Primum in hoc articulo reſolvetur: Secundum verò in ſequenti.

Notandum 3. Formas rerum genitarum eſſe in duplici differentia. Quædam enim ſunt corruptibiles, quæ ſcilicèt ſine materia eſſe non poſſunt; undè cum pereunte compoſito expelluntur à materia, funditùs pereunt: ſic moriente equo perit ſimul forma equi, quia debilior eſt, quàm quæ ſubſiſtere poſſit extrà materiam, & compoſitam; ſeu, ut loquitur Cajetanus, *ſola non poteſt ſuſtinere ſuum eſſe*. Quædam verò forma eſt incorruptibilis, quæ ſcilicèt ſuperſtes ruinæ compoſiti exiſtit ſine materia: Ejuſmodi eſt anima rationalis, quæ licèt ſit communicabilis materiæ, ſicut & formæ pecudum, attamen proximè accedit ad Angelos, cum quibus convenit in intelligendo. Undè propter ſuam dignitatem ita independens eſt à materia, ut illud eſſe, quod dat corpori, poſſit ſola ſuſtinere, ſicque ſeparata ſubſiſtere. De utriſque formis procedit præſens difficultas. Pro cujus reſolutione.

Dico primò. Formæ corruptibiles rerum generatarum fiunt per eductionem à materia, ſeu educuntur de potentia materiæ. Ità cenſent communitèr omnes Philoſophi: Quæ concluſio ut intelligatur paucis, & clarè explicandum eſt, quid ſit educi de potentia materiæ.

Educi igitur eſt correlativum ad contineri: nam ea ex aliquo educuntur, quæ in aliquo continentur. Undè eo modo forma dicitur educi de materia, quo dicitur contineri in materia. Duplicitèr autem aliquid poteſt contineri in alio, actualiter ſcilicèt, & in potentia. Actualitèr continetur, quod in ſua entitate præha-

betur tanquàm de facto exiſtens in aliquo; ſic pecunia continetur actualitèr in arca: gladius in vagina: puer in utero matris. In potentia verò continetur, quòd cùm non ſit actualitèr exiſtens in alio, tamen poteſt fieri ex ipſo. Sic omnes figuræ artificiales continentur in potentia in cera, quia fieri poſſunt ex ea: ſic calor continetur in potentia in aqua, quia per actionem ignis calidum fieri poteſt ex aqua. Patet autem, quod formæ, antequàm fiant, non continentur actu in materia, ut putabat Anaxagoras, quaſi latitantes in illa, ſicut pecunia latitat in arca: ſolùm ergò formæ antequàm fiant, continentur in materia in potentia, quatenùs fieri poſſunt ex ea tanquam ſubjecto concurrente ad earum productionem. Undè formam educi de potentia materiæ nihil aliud eſt, quam fieri ex materia per ejus tranſmutationem, quaſi emergendo ex ejus potentialitate; & ideò actio illa dicitur eductiva, quæ præſupponit materiam & agendo dependet ab ipſa tanquàm ſubjecto concurrente quod illam reducit de potentia ad actum: Quod totum D. Th. expreſſit dicens, *Educi de potentia materiæ eſt aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia*. Ex quo patet ad eductionem tria requiri, 1. ut materia præſupponatur, ut contineat in ſua potentia formam producendam. 3. ut concurrat ad ipſum fieri formæ, ita ut agens non producat eam, niſi dependenter à materia concurrente per modum ſubjecti præſuppoſiti ad actionem agentis producentis formam. Hoc ſuppoſito.

Probatur concluſio. Formam educi de potentia materiæ nihil aliud eſt, quàm fieri dependenter à præſuppoſita materia, in cujus potentia præcontinetur: ſed formæ corruptibiles rerum genitarum fiunt dependenter à præſuppoſita materia

teria in cujus potentia præcontinetur: ergo educuntur de potentia materiæ. Major patet: complectitur enim omnes eductionis conditiones: Minor verò declaratur: & in primis quòd materia præſupponatur ad formas genitas, conſtet. Nam omnis generatio præſupponit materiam: Quòd etiam contineantur in potentia materiæ, manifeſtum eſt. Quia habent eſſe purè materiale, ac materiæ limites non excedens. Quòd verò fiant dependenter à materia, patet; Nam fieri ſequitur ad eſſe ideſt, ipſi proportionatur. Sed tales formæ corruptibiles dependent in ſuo eſſe à materia ſine qua non poſſunt exiſtere; ergo etiam dependent ab illa in ſuo fieri.

Dices Forma ſubſtantialis non dependet in ſuo eſſe a materia: ergò non fit dependenter ab ea: Probatur antecedens. Nàm alias materia eſſet perfectioris conditionis quàm forma.

Reſpondeo negando anteced. & ad probationem nego ſequelàm, Licèt enim forma corporea dependeat à materia ut recipiente, & veluti à fundamento ſine quo eſſe non poteſt: attamen rurſus materia dependet à forma ut à ſuo complemento, & à dante ſibi eſſe ſimplicitèr. Cùm ergò, ut dicit Chriſtus, *Beatius ſit dare, quàm accipere*, forma quæ dat eſſe, nobilior eſt, quàm materia quæ ipſum recipit.

Objicies, Dum gignitur equus v. gr. ejus forma creatur: ergò non educitur de potentia materiæ; Probatur antecedens: Creari eſt fieri ex nihilo; Sed forma equi fit ex nihilo: ergò creatur; Probatur minor; Nam nihil formæ equi erat in materia ejus, antequàm gigneretur equus: ergò forma illa fit ex nihilo.

Reſpondeo ex Div. Thoma 1. p. quæſt. 104. artic. 4. ad 3. negando antecedens; Ad proba-

tionem, nego minorem; Ad ejus probationem, diſtinguo antecedens; Nihil formæ equi erat in materia, actualitèr concedo; in potentia, nego: nam materia eſt potentia ad omnes formas corporeas; Undè ſunt in illa tanquam actus in ſua potentia, ex qua fieri poteſt. Cùm igitur potentia ſit veluti quædam inchoatio & fundamentum actus, formæ quæ fiunt ex materia non dicuntur fieri ex nihilo, ſed ex aliquo, ſcilicèt ex ſua potentia reali: ideòque non creantur, quia creatio eſt productio rei ex nihilo, ideſt, ex nullo præſuppoſito ſubjecto in cujus potentia præcontineretur. Similitèr quando forma deſinit, non annihilatur, quia ſemper relinquit aliquid ſui, ideſt, potentiam ſuam, ſeu materiam.

Addi poteſt ex Div. Thoma 1. p. quæſt. 45. artic. 8. quòd forma corporea cùm ſit, ſed non in quo aliquid eſt ens, proprie non fit, nec habet aliud eſſe præter eſſe compoſiti; Illud autem eſſe ſemper præſupponit potentiam ſuam, ideſt, materiam, quæ eſt potentia eſſendi; Undè non fit ex nihilo, ſed ex aliquo ſcilicèt ex ſua potentia.

Dico 2. anima rationalis non educitur de potentia materiæ, ſed creatur, & infunditur à Deo in eo inſtanti, in quo corpus eſt ſufficientèr organizatum & diſpoſitum ad ejus receptionem.

Concluſio iſta nunc recipitur ab omnibus, & inter Eccleſiæ dogmata tranſivit. Cæterum olim de ea variæ fuerunt opiniones. Quidam antiqui ponentes animam eſſe mortalem, dicebant eam fieri per generationem, & actionem, ſicuti fiunt aliæ formæ corruptibiles. Hic tamen error fuit paucorum, nam non modò celebrio-

rum

rum Philoſophorum, ſed etiam totius ferè orbis conſtans ſententia fuit, animas hominum immortales eſſe. Sed quomodo producerentur, res obſcura pluribus viſa eſt. Pythagoras poſuit certum animarum numerum ab initio productum eſſe: quæ ab uno corpore ad aliud per generationem transmigrarent. Undè celebre effatum fuit apud Pythagoræos. *Ex mortuis vivos fieri, ſicut ex vivis mortuos*. Plato alicubi ſuorum operum dixit animas deſcendere de ſyderibus, in quibus veluti nativis domiciliis de gentes neſcio qua curioſitate peregrinari geſtientes ad corpora commigrabant. Ariſtoteles licèt dicat principium intellectivum, ideſt, animam rationalem venire de foris, attamen non ſatis clarè videtur expreſſiſſe ſuam ſententiam. Origenes animas noſtras Angelos olim fuiſſe ratus eſt, qui peccantibus dæmonibus, & beatis Angelis Deo adhærentibus, veluti ancipites fuiſſent, aut ſaltem leviuſculè peccaſſent; Undè ut magis probarentur, detruſi erant ad corpora humana. Tertullianus tenuit animas traduces eſſe, ita ut ſicut fax à face flammam mutuatur per diffuſionem, & traductionem, ità quoque anima ex alia oriretur. Rem ſub dubio reliquit Auguſtinus. Attamen modò noſtra ſententia ab omnibus recipitur. Undè. Probatur concluſio; Quod enim non dependet in ſuo fieri à materia, non educitur de potentia materiæ; Sed anima rationalis non dependet in ſuo fieri à materia: ergò non educitur de ejus potentia. Major patet ex dictis. Nam educi eſt fieri dependentèr à materia per actionem tranſmutativam materiæ; Minor verò probatur; Nam fieri proportionatur ipſi eſſe: Sed anima rationalis non habet eſſe dependens à materia;

ergò

ergò nec fieri. Probatur minor: Quia anima rationalis etiam ſeparata à materia exiſtit; ergò in ſuo eſſe non dependet à materia. Conſequentia patet; Antecedens verò eſt de fide, & efficacitèr demonſtrabitur in fine Phyſicæ.

Confirmatar. Quod excedit potentiam materiæ, non fit dependenter à materia: Sed anima rationalis excedit potentiam materiæ: ergo non fit dependenter à materia. Probatur minor, Subſtantia ſpiritualis excedit potentiam materiæ: ſed anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis, habet enim operationes ſpirituales, ſcilicèt intellectum & voluntatem: ergò excedit potentiam materiæ. Undè ſi uniatur materiæ, hoc non eſt ex dependentia, quaſi ſine ipſa eſſe non poſſit, ſed ex communicabilitate, inquantùm poteſt informare materiam. Cùm enim, ut dicit Dionyſius, *Deus conjungat extrema per media*, inter formas purè ſpirituales, quæ nec à materia dependent, nec ipſi uniri poſſunt quales ſunt Angeli, & formas purè materiales, quæ non modò materiæ uniuntur, ſed etiam ab illa in ſuo eſſe dependent, produxit Deus formam mediam, ſcilicet animam rationalem, quæ & poſſet eſſe ſine materia ſicut Angeli, ideòque ab ipſa non dependeret in eſſe, & fieri, & tamen poſſet informare materiam, ſicuti & aliæ formæ corporales. Undè D. Thomas Op. 45. dicit *Animam rationalem eſſe conſtitutam in confinio ſubſtantiarum purè ſpiritualium, & purè corporearum.*

Objicies; Educi de potentia materiæ eſt fieri actu in materia id, quod anteà non erat in ipſa, niſi in potentia: ſed dum gignitur homo, anima rationalis fit actu in corpore, ſeu in materia, in qua anteà non erat niſi in potentia; ergò educitur de potentia materiæ.

Reſ-

Reſpondeo primò negando minorem; quòd ſcilicèt anima rationalis fuerit unquàm in potentia materiæ, propter rationem jam dictam in confirmatione.

Reſpondeo 2. majorem eſſe falſam univerſaliter ſumptam: Educi enim de materia non eſt fieri in materia, ſed fieri ex materia: licèt autem anima rationalis fiat in materia, non tamen fit ex materia, quia non dependet ab ipſa nec in fieri, nec in eſſe nec in conſervari.

Inſtabis. Educi eſt correlativum ad contineri: ſed anima rationalis antequàm fiat præcontinetur in potentia materiæ, ergò educitur de potentia materiæ. Probatur minor; Nam omnis actus præcontinetur in ſua potentia; Sed anima rationalis eſt actus materiæ, eſt enim ejus forma ſubſtantialis: ergò continetur in potentia materiæ.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Anima antequàm fiat, præcontinetur in potentia materiæ, ut communicabilis ipſi, concedo: ut producibilis ex ipſa, nego, Explicatur. Anima rationalis, quia eſt actus communicabilis materiæ: ideò præcontinetur in materia quantùm ad communicabilitatem: ſed quia non dependet in eſſendo à materia, ideò non continetur in ea quantùm ad producibilitatem. Undè licèt poſſit dici communicabilis materiæ, non dicitur tamen producibilis ex materia, nec proindè educibilis de materia.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm formæ rerum creatarum ſint eductæ de potentia materiæ.

HActenùs egimus de productione formæ rerum genitarum, nunc agendum de ejus productione in rebus creatis. Nam plura compoſita ſunt, quæ à Deo immediatè creata ſunt, ut cœli, & elementa; ut enim dicitur 1. Gen. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*; Ubi per terram, intelliguntur quatuor elementa, ut explicant Interpretes Quærimus ergò, utrùm formæ talium rerum creatarum ſint eductæ de potentia materiæ, an potius creatæ ſimul cum materia. Pro reſolutione.

Dico. Formæ cœlorum, & elementorum in prima rerum creatione non ſunt eductæ de potentia materiæ, ſed ſimul cum materia creatæ. Concluſio eſt communis inter Thomiſtas, quam etiam ſequuntur plures extranei. Et

Probatur ratione deſumpta ex D. Thom[...] qu. 65, art. 4. Quod non fit per acti[...] mutativam materiæ, non edu[...] materiæ: ſed formæ cœle[...] non ſunt factæ per [...] materiæ: ergò n[...] teriæ. Major [...] cùm mate[...] tent[...]

ex præſuppoſita materia; ſed formæ cæleſtes, & elementares non ſunt factæ ex prę ſuppoſita materia: ergò non ſunt factę per tranſmutationem materiæ. Major eſt certa; Nàm tranſmutatio ſupponit ſubjectum, quod tranſmutatur, & tranſit de potentia ad actum; Tranſmutatio enim eſt tranſitus ſubjecti ab uno extremo ad aliud. Minor verò probatur. Nam actio creativa non præſupponit materiam, operatur enim ex nihilo & non præſuppoſita materia; ſed formæ cæleſtes, & elementares factæ ſunt per creationem: Deus enim creavit cælum, & terram, ac proindè formas cæli, & terræ: ergò.

Confirmatur primò Non enim fingendum eſt. Deum unica partiali creatione feciſſe materiam cœli, & alia partiali actione ex tali materia eduxiſſe formam: ſed unica actione fecit totum cœlum ex nihilo, ut patet ex modo loquendi Scripturæ: ſiquidem, ut diximus ex D. Th. creatio terminatur ad ens; undè cùm materia non ſit ens ſed ſolùm potentia eſſendi, creatio non poteſt terminari ad eam ſolam, ſed ad totum compoſitum, & ideò creatio non eduxit formam de materia, ſeu non fecit formam ex materia, ſed fecit formam ſimul cum materia.

[illegible]. Educi ſupponit præcontineri:
[illegible] n, & elementorum nunquàm
[illegible] materiæ: ergò nunquam edu-
[illegible] a materiæ. Major patet. Pro-
[illegible] n intantum materia eſt in po-
[illegible] inquantùm privatur forma:
[illegible] nunquàm fuit privata ſua
[illegible] fuit in potentia ad for-
[illegible] Ariſtotelis, & D. Th. qui
[illegible] in potentia ad formam
[illegible] privatione.

Ex

Digitized by Google

Ex his colligitur formas fieri tripliciter. Primò, cùm materia: 2. ex materia: 3. in materia. Forma compoſiti creati fit cum ſua materia: forma corruptibilis compoſiti geniti fit ex materia, forma verò incorruptibilis fit tantùm in materia, ſed non ex materia.

Objicies primò: Formam educi, eſt eam fieri dependenter à materia: ſed formæ cæleſtes, & elementares factæ ſunt dependenter à materia; ergò ſunt eductæ. Major videtur certa: Minor probatur; Quia tale eſt fieri, quale eſt eſſe: ſed formæ illæ in ſuo eſſe dependent à materia, cum ſint purè materiales: ergò etiam in fieri dependent à materia.

Reſpondeo diſtinguendo majorem; Formam educi eſt fieri dependenter à materia, tanquàm à comparte, in qua fit, nego: tanquàm à ſubjecto preſuppoſito, ex cujus potentia producta ſit, concedo: Et ad minorem. Formæ cœleſtes, & elementares factæ ſunt dependentèr à materia tanquàm à comparte, cum qua productæ ſunt, & in qua exiſtunt, concedo: tanquàm à præſuppoſito ſubjecto, ex quo facta ſint, nego. Licèt enim Deus fecerit formam cœli ſimul cum materia cœli, à qua dependet tanquàm à comparte, attamen non fecit formam cœli ex materia præſuppoſita cœli, unde non eduxit unam ex alia, & dependentèr ab alia ſed ſimul creavit unam dependentem ab alia.

Inſtabis: Atqui etiam formæ iſtæ dependent à materia tanquàm à ſubjecto, ex quo factæ ſunt: ergò. Probatur ſubſumptum. Quod cauſatur à materia, dependet ab illa tanquàm à ſubjecto ex quo fit: ſed forma cœli v. g. in ſui productione cauſata eſt à materia; ergò dependet ab ea tanquam à ſubjecto, ex quo facta ſit. Minor patet.

tet: Nam forma, & materia in conſtitutione compoſiti ſunt ſibi invicem cauſæ; ideòque ſicut compoſitum ſive creetur ſive generetur debet ſemper conſtitui ex materia & forma, ita quoque ſemper forma dependet à materia tanquàm à cauſa. Major verò probatur; Nam cauſalitas materiæ in hoc ſita eſt, ut ex ea aliquid fiat.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem, nego majorem; Ad ejus probationem, diſtinguo: Cauſalitas materiæ eſt, ut ex ea aliquid fiat, reſpectu compoſiti, & formæ, ex quibus præſupponitur, concedo, reſpectu formæ, & compoſiti, cum quibus creatur, nego. Explicatur ſolutio: Cauſalitas materiæ duo dicit munera: Primum, quod ſit ſubjectum, ex quo præſuppoſito aliquid ſit. Secundùm, quòd ſit potentia formæ ſuſtentativa, & receptiva, ita ut cum ea componat totum; ſeu ſubjici factioni formæ, & ſubjici ejus informationi. Hoc ſecundum munus ſemper exercere debet materia reſpectu cujuſcunque formæ; ſed quantum ad primum munus, ſolùm illud exercet reſpectu formarum, quarum productioni præſupponitur. Undè illud non exercuit reſpectu formæ cœleſtis, aut elementaris in ipſa creatione, quia tales formæ non ſunt factæ ex præſuppoſita materia, ſed ſimul cum materia; cui conſentit modus ipſe loquendi, licèt enim dicamus cœlos conſtare materia, non tamen dicimus eſſe factos ex materia, ſed ex nihilo creatos.

Urgebis; Totum compoſitum cœleſte non eſt creatum; ergò nec ipſa forma cœleſtis, ſed ſola materia. Probatur antecedens: Nàm quod creatur, debet eſſe ex nihilo; ſed cœlum non eſt ex nihilo; ergò non eſt creatum. Probatur minor. Nàm cœlum eſt ex materia &

ſorma, ex quibus componitur; ergò non eſt ex nihilo.

Reſpondeo ex D. Thoma, qui ſibi illud Adverſariorum argumentum objicit 1. p q.45. ar.4. negando antecedens: Ad probationem, nego minorem. Ad ejus probationem diſtinguo. Compoſitum cæleſte eſt ex ſuis partibus ſcilicet materia & forma conſtitutivè, concedo: præſuppoſitivè, nego. Et ſimilitèr diſtinguo conſequens. Cœlum non eſt ex nihilo, præſuppoſitivè, nego: conſtitutivè concedo. Licèt enim non conſtituatur ex nihilo, ſed ex materia & forma; actio tamen non fecit ipſum ex præſuppoſita materia, ſed totum illud produxit; undè fecit ipſum ex nihilo præſuppoſito, quia qui totum facit, nihil præſupponit.

Objicies 2. & ſimùl urgebis contrà datam ſolutionem. Materia ſaltem elementorum priùs facta eſt à Deo per propriam actionem, & forma per aliam; ergò forma elementorum facta eſt ex præſuppoſita materia, & proindè educta. Probatur antecedens: Quod conſervatur per propriam conſervationem, factum eſt per propriam actionem: ſed materia elementorum conſervatur per propriam conſervationem diſtinctam à conſervatione formæ, & compoſiti; ergò facta eſt per propriam actionem: Major patet. Quia conſervatio eſt continuata productio. Probatur minor; Ceſſante conſervatione compoſiti, & formæ perſeverat conſervatio materiæ; ergò materia conſervatur per propriam, & diſtinctam conſervationem. Probatur antecedens; Nàm pereunte forma elementari, ut quando ex terra primò creata facta eſt planta, ſemper manſit actio conſervativa materiæ, ergò ceſſante actione conſervativa ipſius compoſiti creati, perſeverat conſervatio materiæ.

Reſ-

Reſpondeo negando antecedens, ut enim dicit Ariſtoteles, *Materia non fit*, ideſt, non habet proprium fieri; Ad probationem, nego minorem. Ad probationem ejus, diſtinguo antecedens Pereunte compoſito perſeverat conſervatio materiæ, eadem, nego; diverſa, concedo. Nàm materia ſicut exiſtit in rerum natura per exiſtentiam totius compoſiti, ità quoque conſervatur per conſervationem compoſiti: Undè deſtructo compoſito ceſſat actio conſervativa materiæ; ſed quia pereunte uno compoſito aliud ſtatim generatur, ita deficiente una actione conſervativa materiæ, altera ſtatim ſuccedit. Undè ſemper quidem materia conſervatur, ſed non per eamdem conſervationem ſicut ſervus, qui ſolet tranſire ab uno domino ad alium, ſemper quidem ſervus eſt, ſed non ejuſdem domini.

Inſtabis; Actio productiva compoſiti geniti non poteſt conſervare materiam; ergò materia conſervatur per diſtinctam, & propriam conſervationem. Probatur antecedens. Nàm actio conſervativa eadem eſt, ac productiva: ſed actio productiva compoſiti geniti non eſt productiva materiæ: ergò nec conſervativa: Minor certa eſt Nàm generatio ſupponit materiam: ergò non illam producit: Major verò conſtat, quia conſervatio definitur continuata productio.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem, diſtinguo majorem; Actio conſervativa debet eſſe eadem ac productiva, in iis, quæ exiſtunt per propriam exiſtentiam, concedo; in iis, quæ non exiſtunt per propriam exiſtentiam, nego. Ratio ſolutionis eſt, quia conſervatio eſt quaſi manutenentia in eſſe, ſeu in exiſten-

tia

tia: unde ea, quæ carent propria exiſtentia, carent quoque propria actione conſervativa; & ſicut poſſunt exiſtere per exiſtentiam diverſam ab ea, quam primò habuerunt, dum producta ſunt, ita quoque & conſervari per actionem diverſam ab illa, à qua primò producta ſunt. Patet autem, quòd materia non exiſtit per propriam exiſtentiam, ſed per alienam, ſcilicèt per exiſtentiam compoſiti, & ideò conſervatur per conſervationem compoſiti, licèt ea non producatur.

Urgebis. Actio conſervativa debet eſſe tantæ virtutis, ut poſſit producere id quod conſervat; ſed actio generativa non eſt tantæ virtutis, ut poſſit producere materiam; ergò non poteſt conſervare materiam.

Reſpondeo conceſſa majori, diſtinguendo minorem. Actio generativa non eſt tanta virtutis, ut poſſit producere materiam, inquantùm talis actio à principio creato, concedo, inquantùm talis actio eſt ab ipſo Deo, nego Explicatur ſolutio. Quidquid generatur in rerum natura, procedit à duplici principio, ſcilicèt ab agente creato, ut ignis ab igne; & ab agente increato ſeu Deo; qui operatur in omni operatione naturæ, ut dicit D. Thomas 1. parte, quæſt. 105. artic. 5. Unde Sanctus Job dicebat, *Manus tuæ Domine fecerunt me*, quamvis & ipſe Job productus eſſet à ſuis parentibus, ut ab agentibus creatis; ut ſcilicèt oſtenderet generationem omnium rerum eſſe primordialitèr à Deo. Dicimus ergò quod generatio rei naturalis, quatenùs procedit à principio creato, non poteſt attingere entitatem materiæ ut producendam; attamen illa generatio, quatenùs procedit à Deo, cujus virtus eſt infinita, poteſt etiam attingere materiam; & tantæ efficacitatis eſt, ut poſſit illam producere,

niſi

niſi inveniret productam.

Objicies ultimò. Dum ex ſpeciebus Sacramentalibus generantur vermes, Deus creat materiam illorum vermium, ex qua per virtutem agentis naturalis educitur forma vermis: ergò etiam initio mundi potuit creare materiam, ex qua per aliam actionem educeret formam cœleſtem.

Hoc argumentum ſolvi ſolet in Theolog. Interim negari poteſt antecedens. Dum enim ex ſpeciebus ſacramentalibus fiunt vermes, Deus immediatè producit totum illud compoſitum convertendo has ſpecies in ipſum: undè nec ibi materia ſit per propriam actionem, nec forma per aliam, ſed totum compoſitum per unicam.

Reſponderi etiam poteſt ſecundò cum aliis Thomiſtis, quòd licèt miraculosè Deus poſſet per inadæquatam actionem producere entitatem materiæ, ex qua agens creatum educeret formam: attamen id non fecit in prima productione rerum, ſed totum ſimul creavit; tum quia nulla neceſſitas erat cur fieret tale miraculum, tum quia Scriptura abſolutè dicit, Deum creaſſe cœlum, & terram: non fuiſſet autem propriè creatio cæli, ſi productum eſſet ex materia prius creata.

Quæri hic ſolet, quomodo producantur formę accidentales?

Reſpondeo eas eſſe in triplici differentia, Quædam naturaliter conſequuntur eſſentiam, ut intellectus, & voluntas animam: quædam producuntur in ſubjecto ab extrinſeco agente, ut calor, & frigus in aere: quædam demùm producuntur per agens ſupernaturale, ut Gratia, Charitas, Fides, & aliæ qualitates ſupernaturales. Proprietates eſſentiam conſequentes, cum producan-

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm formæ rerum creatarum ſint eductæ de potentia materiæ.

HActenùs egimus de productione formæ rerum genitarum, nunc agendum de ejus productione in rebus creatis. Nam plura compoſita ſunt, quæ à Deo immediatè creata ſunt, ut cœli, & elementa; ut enim dicitur 1. Gen. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*; Ubi per terram, intelliguntur quatuor elementa, ut explicant Interpretes Quærimus ergò, utrùm formæ talium rerum creatarum ſint eductæ de potentia materiæ, an potius creatæ ſimul cum materia. Pro reſolutione.

Dico. Formæ cœlorum, & elementorum in prima rerum creatione non ſunt eductæ de potentia materiæ, ſed ſimul cum materia creatæ. Concluſio eſt communis inter Thomiſtas, quam etiam ſequuntur plures extranei. Et

Probatur ratione deſumpta ex D. Thoma 1. p. qu. 65, art. 4. Quod non fit per actionem tranſmutativam materiæ, non educitur de potentia materiæ: ſed formæ cœleſtes, & elementares non ſunt factæ per actionem tranſmutativam materiæ: ergò non ſunt eductæ de potentia materiæ. Major patet. Nam eductio fit inquantum materia tranſmutatur, & reducitur de potentia ad actum ut diximus ex Div. Thoma. Minor verò, quæ eſt D. Th. probatur; Illud non fit per tranſmutationem materiæ, quod non fit

ex

ex præſuppoſita materia; ſed formæ cæleſtes, & elementares non ſunt factæ ex prẹſuppoſita materia: ergò non ſunt factę per tranſmutationem materiæ. Major eſt certa; Nàm tranſmutatio ſupponit ſubjectum, quod tranſmutatur, & tranſit de potentia ad actum; Tranſmutatio enim eſt tranſitus ſubjecti ab uno extremo ad aliud. Minor verò probatur. Nam actio creativa non præſupponit materiam, operatur enim ex nihilo & non præſuppoſita materia; ſed formæ cæleſtes, & elementares factæ ſunt per creationem: Deus enim creavit cælum, & terram, ac proindè formas cæli, & terræ: ergò.

Confirmatur primò Non enim fingendum eſt. Deum unica partiali creatione feciſſe materiam cœli, & alia partiali actione ex tali materia eduxiſſe formam: ſed unica actione fecit totum cœlum ex nihilo, ut patet ex modo loquendi Scripturæ: ſiquidem, ut diximus ex D. Th. creatio terminatur ad ens; undè cùm materia non ſit ens ſed ſolùm potentia eſſendi, creatio non poteſt terminari ad eam ſolam, ſed ad totum compoſitum, & ideò creatio non eduxit formam de materia, ſeu non fecit formam ex materia, ſed fecit formam ſimul cum materia.

Confirmatur 2. Educi ſupponit præcontineri: ſed formæ cælorum, & elementorum nunquàm fuerunt in potentia materiæ: ergò nunquam eductæ ſunt de potentia materiæ. Major patet. Probatur minor: Nam intantum materia eſt in potentia ad formam, inquantùm privatur forma: ſed materia cælorum nunquàm fuit privata ſua forma: ergò nunquàm fuit in potentia ad formam; Major verò eſt Ariſtotelis, & D. Th. qui dicunt, materiam eſſe in potentia ad formam ex eo, quòd ſit ſub ejus privatione.

Ex

Ex his colligitur formas fieri triplicitèr. Primò, cùm materia: 2. ex materia: 3. in materia. Forma compoſiti creati fit cum ſua materia: forma corruptibilis compoſiti geniti fit ex materia, forma verò incorruptibilis fit tantùm in materia, ſed non ex materia.

Objicies primò: Formam educi, eſt eam fieri dependenter à materia: ſed formæ cæleſtes, & elementares factæ ſunt dependenter à materia; ergò ſunt eductæ. Major videtur certa: Minor probatur; Quià tale eſt fieri, quale eſt eſſe: ſed formæ illæ in ſuo eſſe dependent à materia, cum ſint purè materiales: ergò etiam in fieri dependent à materia.

Reſpondeo diſtinguendo majorem; Formam educi eſt fieri dependenter à materia, tanquàm à comparte, in qua fit, nego: tanquàm à ſubjecto preſuppoſito, ex cujus potentia producta ſit, concedo: Et ad minorem. Formæ cœleſtes, & elementares factæ ſunt dependentèr à materia tanquàm à comparte, cum qua productæ ſunt, & in qua exiſtunt, concedo: tanquàm à præſuppoſito ſubjecto, ex quo facta ſint, nego. Licèt enim Deus fecerit formam cœli ſimul cum materia cœli, à qua dependet tanquàm à comparte, attamen non fecit formam cœli ex materia præſuppoſita cœli, unde non eduxit unam ex alia, & dependentèr ab alia ſed ſimul creavit unam dependentem ab alia.

Inſtabis: Atqui etiam formæ iſtæ dependent à materia tanquàm à ſubjecto, ex quo factæ ſunt: ergò. Probatur ſubſumptum. Quod cauſatur à materia, dependet ab illa tanquàm à ſubjecto ex quo fit: ſed forma cœli v. g. in ſui productione cauſata eſt à materia; ergò dependet ab ea tanquam à ſubjecto, ex quo facta ſit. Minor patet:

tet: Nam forma, & materia in conſtitutione compoſiti ſunt ſibi invicem cauſæ; ideòque ſicut compoſitum ſive creetur ſive generetur debet ſemper conſtitui ex materia & forma, ita quoque ſemper forma dependet à materia tanquàm à cauſa. Major verò probatur; Nam cauſalitas materiæ in hoc ſita eſt, ut ex ea aliquid fiat.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem, nego majorem; Ad ejus probationem, diſtinguo: Cauſalitas materiæ eſt, ut ex ea aliquid fiat, reſpectu compoſiti, & formæ, ex quibus præſupponitur, concedo, reſpectu formæ, & compoſiti, cum quibus creatur, nego. Explicatur ſolutio: Cauſalitas materiæ duo dicit munera: Primum, quod ſit ſubjectum, ex quo præſuppoſito aliquid ſit. Secundùm, quòd ſit potentia formæ ſuſtentativa, & receptiva, ita ut cum ea componat totum; ſeu ſubjici factioni formæ, & ſubjici ejus informationi. Hoc ſecundum munus ſemper exercere debet materia reſpectu cujuſcunque formæ; ſed quantum ad primum munus, ſolùm illud exercet reſpectu formarum, quarum productioni præſupponitur. Undè illud non exercuit reſpectu formæ cœleſtis, aut elementaris in ipſa creatione, quia tales formæ non ſunt factæ ex præſuppoſita materia, ſed ſimul cum materia; cui conſentit modus ipſe loquendi, licèt enim dicamus cœlos conſtare materia, non tamen dicimus eſſe factos ex materia, ſed ex nihilo creatos.

Urgebis; Totum compoſitum cœleſte non eſt creatum; ergò nec ipſa forma cœleſtis, ſed ſola materia. Probatur antecedens: Nàm quod creatur, debet eſſe ex nihilo; ſed cœlum non eſt ex nihilo; ergò non eſt creatum: Probatur minor. Nàm cœlum eſt ex materia &

for-

forma, ex quibus componitur; ergò non eſt ex nihilo.

Reſpondeo ex D. Thoma, qui ſibi illud Adverſariorum argumentum objicit 1. p q.45. ar.4. negando antecedens: Ad probationem, nego minorem. Ad ejus probationem diſtinguo. Compoſitum cæleſte eſt ex ſuis partibus ſcilicet materia & forma conſtitutivè, concedo: præſuppoſitivè, nego. Et ſimilitèr diſtinguo conſequens. Cœlum non eſt ex nihilo, præſuppoſitivè, nego: conſtitutivè concedo. Licèt enim non conſtituatur ex nihilo, ſed ex materia & forma; actio tamen non fecit ipſum ex præſuppoſita materia, ſed totum illud produxit; undè fecit ipſum ex nihilo præſuppoſito, quia qui totum facit, nihil præſupponit.

Objicies 2. & ſimùl urgebis contrà datam ſolutionem. Materia ſaltem elementorum priùs facta eſt à Deo per propriam actionem, & forma per aliam; ergò forma elementorum facta eſt ex præſuppoſita materia, & proindè educta. Probatur antecedens: Quod conſervatur per propriam conſervationem, factum eſt per propriam actionem: ſed materia elementorum conſervatur per propriam conſervationem diſtinctam à conſervatione formæ, & compoſiti; ergò facta eſt per propriam actionem: Major patet. Quia conſervatio eſt continuata productio. Probatur minor; Ceſſante conſervatione compoſiti, & formæ perſeverat conſervatio materiæ; ergò materia conſervatur per propriam, & diſtinctam conſervationem. Probatur antecedens; Nàm pereunte forma elementari, ut quando ex terra primò creata facta eſt planta, ſemper manſit actio conſervativa materiæ, ergò ceſſante actione conſervativa ipſius compoſiti creati, perſeverat conſervatio materiæ.

Reſ-

Reſpondeo negando antecedens, ut enim dicit Ariſtoteles, *Materia non fit*, ideſt, non habet proprium fieri; Ad probationem, nego minorem. Ad probationem ejus, diſtinguo antecedens Pereunte compoſito perſeverat conſervatio materiæ, eadem, nego; diverſa, concedo. Nàm materia ſicut exiſtit in rerum natura per exiſtentiam totius compoſiti, ità quoque conſervatur per conſervationem compoſiti: Undè deſtructo compoſito ceſſat actio conſervativa materiæ; ſed quia pereunte uno compoſito aliud ſtatim generatur, ita deficiente una actione conſervativa materiæ, altera ſtatim ſuccedit. Undè ſemper quidem materia conſervatur, ſed non per eamdem conſervationem ſicut ſervus, qui ſolet tranſire ab uno domino ad alium, ſemper quidem ſervus eſt, ſed non ejuſdem domini.

Inſtabis; Actio productiva compoſiti geniti non poteſt conſervare materiam; ergò materia conſervatur per diſtinctam, & propriam conſervationem. Probatur antecedens. Nàm actio conſervativa eadem eſt, ac productiva: ſed actio productiva compoſiti geniti non eſt productiva materiæ: ergò nec conſervativa: Minor certa eſt Nàm generatio ſupponit materiam: ergò non illam producit: Major verò conſtat, quia conſervatio definitur continuata productio.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem, diſtinguo majorem; Actio conſervativa debet eſſe eadem ac productiva, in iis, quæ exiſtunt per propriam exiſtentiam, concedo; in iis, quæ non exiſtunt per propriam exiſtentiam, nego. Ratio ſolutionis eſt, quia conſervatio eſt quaſi manutenentia in eſſe, ſeu in exiſtentia

tia : unde ea, quæ carent propria exiſtentia, carent quoque propria actione conſervativa; & ſicut poſſunt exiſtere per exiſtentiam diverſam ab ea, quam primò habuerunt, dum producta ſunt, ita quoque & conſervari per actionem diverſam ab illa, à qua primò producta ſunt. Patet autem, quòd materia non exiſtit per propriam exiſtentiam, ſed per alienam, ſcilicèt per exiſtentiam compoſiti, & ideò conſervatur per conſervationem compoſiti, licèt ea non producatur.

Urgebis. Actio conſervativa debet eſſe tantæ virtutis, ut poſſit producere id quod conſervat; ſed actio generativa non eſt tantæ virtutis, ut poſſit producere materiam; ergò non poteſt conſervare materiam.

Reſpondeo conceſſa majori, diſtinguendo minorem. Actio generativa non eſt tanta virtutis, ut poſſit producere materiam, inquantùm talis actio à principio creato, concedo, inquantùm talis actio eſt ab ipſo Deo, nego Explicatur ſolutio. Quidquid generatur in rerum natura, procedit à duplici principio, ſcilicèt ab agente creato, ut ignis ab igne: & ab agente increato ſeu Deo; qui operatur in omni operatione naturæ, ut dicit D. Thomas 1. parte, quæſt. 105. artic. 5. Unde Sanctus Job dicebat, *Manus tuæ Domine fecerunt me*, quamvis & ipſe Job productus eſſet à ſuis parentibus, ut ab agentibus creatis; ut ſcilicèt oſtenderet generationem omnium rerum eſſe primordialitèr à Deo. Dicimus ergò quod generatio rei naturalis, quatenùs procedit à principio creato, non poteſt attingere entitatem materiæ ut producendam; attamen illa generatio, quatenùs procedit à Deo, cujus virtus eſt infinita, poteſt etiam attingere materiam; & tantæ efficacitatis eſt, ut poſſit illam producere,

nisi

niſi inveniret productam.

Objicies ultimò. Dum ex ſpeciebus Sacramentalibus generantur vermes, Deus creat materiam illorum vermium, ex qua per virtutem agentis naturalis educitur forma vermis: ergò etiam initio mundi potuit creare materiam, ex qua per aliam actionem educeret formam cœleſtem.

Hoc argumentum ſolvi ſolet in Theolog. Interim negari poteſt antecedens. Dum enim ex ſpeciebus ſacramentalibus fiunt vermes, Deus immediatè producit totum illud compoſitum convertendo has ſpecies in ipſum: undè nec ibi materia ſit per propriam actionem, nec forma per aliam, ſed totum compoſitum per unicam.

Reſponderi etiam poteſt ſecundò cum aliis Thomiſtis, quòd licèt miraculosè Deus poſſet per inadæquatam actionem producere entitatem materiæ, ex qua agens creatum educeret formam: attamen id non fecit in prima productione rerum, ſed totum ſimul creavit; tum quia nulla neceſſitas erat cur fieret tale miraculum, tum quia Scriptura abſolutè dicit, Deum creaſſe cœlum, & terram: non fuiſſet autem propriè creatio cæli, ſi productum eſſet ex materia prius creata.

Quæri hic ſolet, quomodo producantur formę accidentales?

Reſpondeo eas eſſe in triplici differentia, Quædam naturaliter conſequuntur eſſentiam, ut intellectus, & voluntas animam: quædam producuntur in ſubjecto ab extrinſeco agente, ut calor, & frigus in aere: quædam demùm producuntur per agens ſupernaturale, ut Gratia, Charitas, Fides, & aliæ qualitates ſupernaturales. Proprietates eſſentiam conſequentes, cum producan-

ducantur per eamdem actionem, per quam producitur ipſa eſſentia, juxta illud, *qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*, ideò ſequuntur conditionem eſſentiæ, ſeu formæ ſubſtantialis: undè ſi forma illa creetur, ipſæ concreantur: ſi verò educatur, ipſæ quoque coeducuntur. Accidentia verò ſupervenientia ſubjecto ex vi agentium naturalium, fiunt per eductionem de potentia naturali ſubjecti, ut dum ignis producit calorem in manu, talis calor educitur de potentia naturali manus; Nam manus naturalitèr eſt in potentia ut tranſmutetur à frigiditate ad caliditatem; Quæ demùm producuntur ab agente ſupernaturali ut Gratia, & Charitas, fiunt per eductionem de potentia obedientiali, ut vocant Theologi: ſicut enim manus naturalitèr eſt in potentia ad calorem, ita quoque anima eſt in potentia ad Gratiam ſupernaturalitèr recipiendam.

QUÆSTIO QUARTA.

De Compoſito Naturali.

EX materia, & forma fit ens ſimplicitèr, quod vocatur compoſitum naturale, ſeu ſubſtantiale; non quod componatur ex pluribus entibus (eſt enim unicum ens) ſed quia conſtat ex duabus partibus eſſendi; ex materia ſcilicèt, quia poteſt eſſe, & ex forma, quæ conſtituitur in actuali eſſe. Undè explicatis ſigillatim partibus illis, nunc agendum eſt de toto illo compoſito; circa quod tria quæri poſſunt. Primò, utrum conſtet materia & form[illegible] nquam partibus eſſen-

, quomodo mate-

eo uniantur.

tale com-

inguatur

, &

a

n-

F AR.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm materia, & forma ſint partes eſſentiales Compoſiti naturalis.

FAtentur omnes formam eſſentialitèr pertinere ad totum compoſitum. Nam forma eſt, quæ conſtituit, & diſtinguit eſſentiam rei Solum difficultas eſt de materia, utrùm ſit de eſſentia rei naturalis. Averroes poſuit ſolam formam eſſe de eſſentia rei; materiam verò non eſſe niſi receptivum ipſius eſſentiæ, ſicut vagina eſt ſolùm receptiva, non verò conſtitutiva gladii. Similiter Plato poſt Socratem dicit, ſolam animam eſſe totum hominem, quæ degeret in corpore, ſicut Nauta in navi, Peregrinus in hoſpitio, vel Captivus in carcere, cujus feneſtræ erant ſenſus externi. Unde Socrates cuidam ſibi ignoto dixit, *loquere hoſpes, ut te videam*; indicans hominem in corpore latentem per ſenſus, & ſermonem ſeſe prodere: & in Axiocho, *Nos*, inquit, *anima ſumus animal immortale, mortali incluſum munimento*. Undè legitur de quodam Philoſopho, dum in mortario contunderetur dixiſſe ſolùm veſtimentum, ideſt, corpus ſuum, non verò ſe ipſum contundi. Modò tamen omnes tenent non ſolùm formam, ſed etiam materiam eſſe de eſſentia rerum naturalium, etiam ipſius hominis: & ideò Auguſtinus commendat Varonem, quod hominem nec animam ſolùm, nec corpus, ſed animam ſimul & corpus eſſe arbitraretur. Undè

Dico. Etiam materia eſt eſſentia compoſiti naturalis.

Probatur concluſio. Nàm ſola forma non conſtituit

ſtituit ſubſtantiam naturalem; ergò etiam materia pertinet ad eſſentiam talis ſubſtantiæ. Probatur antecedens. Subſtantia naturalis eſt aliquid generabile, & corruptibile; ſed ſola forma non eſt generabilis, & incorruptibilis; ergò ſola non conſtituit ſubſtantiam naturalem. Major patet: Probatur minor, & primò quidem in homine res eſt clara; nàm anima hominis, nec generatur, nec corrumpitur: in aliis etiam rebus idem probatur; quia omne quod generatur, & corrumpitur, eſt aliquid compoſitum: ſed forma ſola non eſt aliquid compoſitum; ergò: Probatur major. Quia in omni generatione aliquid rei ſupponitur, alias eſſet creatio, & in omni corruptione aliquid rei remanet, aliàs eſſet annihilatio; ergò omne generabile, & corruptibile debet eſſe compoſitum ex duplici parte, materia ſcilicèt, & forma. Undè Boetius dicit, quòd ſignificat compoſitum: verò apud Græcos idem eſt, ac eſſentia apud Latinos, ut idem Boetius dicit.

Confirmatur primò ex D. Thom. Opuſc. de ent. & eſſ. c. 2. Nàm eſſentia eſt in qua recipitur eſſe: ſed eſſe rerum naturalium non recipitur tantùm in forma, ſed in toto compoſito: ergò totum compoſitum ex materia, & forma eſt eſſentia rei. Major patet: Nàm Metaphyſici definiunt eſſentiam, potentiam receptivam ipſius eſſe, ſeu exiſtentiæ. Minor verò declaratur. Nàm v. g. *viuere*, quod eſt eſſe animalium, ut dicit Ariſtoteles, non recipitur in ſola anima, ſed in corpore per animam informato.

Confirmatur ſecundò ex eodem Div. Thoma ibidem, & 1. p. qu. 75. arti. 4c. Quod ponitur in definitione eſſentiali ſubſtantię, eſt de ejus eſſentia: Atqui ſola forma non ponitur in definitione

Digitized by Google

ſubſtantiæ naturalis, ſed etiam materia; ergò eſt de ejus eſſentia. Major patet. Nàm definitio eſſentialis, datur per principia eſſentialia. Probatur minor: In hoc enim differunt definitiones rerum naturalium à Mathematicis, quia iſtæ ſignificant ſolam formam abſque materia: at verò definitiones naturales ſignificant formam ſimul cum materia ſenſibili, undè abſurdum eſſet definire hominem: dicendo: Homo eſt anima rationalis; ignis eſt forma calida, &c.

Dices, materiam poni in definitione non ut partem eſſentiæ, ſed ut ſubjectum recipiens ipſam eſſentiam.

Sed contrà. Quod enim eſt proprium accidentium propter imperfectionem ſuæ eſſentiæ, non convenit eſſentiæ perfectæ, & completæ, qualis eſt ſubſtantia naturalis: ſed recipere in definitione ſua aliquid præter eſſentiam eſt proprium accidentium ex imperfectione ſuæ eſſentiæ, ut dicit Ariſtoteles 7. Metaph. tex. 23. ergò non convenit ſubſtantiis completis, quales ſunt ſubſtantiæ naturales.

Objicies primò. Sic ſe habet materia abſolutè ſumpta ad hominem abſolutè, ſicut hæc numero materia ad hunc numero hominem, ſed hæc numero materia non eſt de eſſentia hujus numero hominis; ergò nec abſolutè materia eſt de eſſencia hominis. Probatur minor. Nàm variata hac numero, non variatur hic homo; ergò nec numero materia non eſt eſſentia hujus numero hominis. Probatur antecedens. Homo enim manet idem toto tempore vitę, ſed materia hujus continuò variatur, dum aliqua ejus pars per calorem naturalem ſolvitur, & nova quotidiè per nutritionem ſubrogatur; ergò variata materia hujus hominis, non variatur hic homo.

Reſ-

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem, nego antecedens. Ad ejus probationem, diſtinguo minorem: Materia hominis continuò variatur, formalitèr, nego; materialitèr, concedo, & nego conſequentiam. Explicatur ſolutio ex D. Thom. 1. p. q. ult. art 1. ad 5. & in ſuppl. qu. 80. art. 4. materia dicitur variari formalitèr, quando tranſit ab uno compoſito ad aliud compoſitum; v. gr. ſi anima mea relinqueret totum corpus, & novum occuparet, variaret ſuam materiam formalitèr. Dicitur verò materia variari ſolum materialitèr, quando manente eodem compoſito, & eadem totali materia, quædam ejus pars abit, & nova loco ejus ſubrogatur, quæ continuatur cum aliis ſub eadem figura, diſpoſitione, ordine, officiis cum præexiſtenti. Dicimus ergò, quòd hæc variatio materialis non variat compoſitum, quia pars ſuperveniens tranſit in compoſitum præexiſtens, & ideò non mutat compoſitum, ſed ipſi appropriatur. Undè cenſetur eadem cum præcedenti, non quidem materialitèr & entitativè, ſed formalitèr & ſubſtitutivè, quatenùs gerit eaſdem vices quas gerebat illa, quæ abiit. Id totum declarari poteſt exemplis: Sic enim eſt idem numero fluvius, licèt partes aquæ continuò aliis fluentibus ſuccedant: Sic idem eſt Senatus, & eadem civitas, licèt quotannis aliquibus morientibus novi in eorum locum ſubrogentur: Sic eadem navis eſt, licèt corruptis paulatim tabulis novæ ſubſtituantur, ut dicitur de navi Argonautarum, quæ poſt centum annos ſuperſtes, eadem erat numero, licèt ſingulæ ejus partes paulatim fuiſſent mutatæ.

Inſtabis. Reſurrectionem fore impoſſibilem, ſi hæc materia ſit de eſſentia hujus hominis.

Digitized by Google

Probatur ſequela: Nàm contingere poteſt, ut eadem materia fuerit ſub formis plurium hominum, cui ergò reunietur in reſurrectione?

Reſpondent quidam nihil referre ad reſurrectionem, quod eadem entitas materiæ reſumatur, aut nova ſubſtituatur. Sed hæc reſponſio eſt falſa; nam deſtruit veritatem reſurrectionis. Ut enim arguit D. Thomas in ſuppl. qu. 79. art. reſurrectio ex Damaſceno, eſt ejus, quod cecidit ſecunda ſurrectio: Cùm igitur hæc numero materia, quam nunc gerimus, cadat per mortem, oportet ut eadem reparetur. Contrariatur etiam ſpei Fidelium, qui ut dicit. Job 19. ſperant ſe in hac carne, quam modò gerunt, quæ pro Dei amore in Martyribus cruciatur, & bonis operibus cooperatur, viſuros Salvatorem ſuum. Undè rejecta hac ſententia.

Reſpondeo ex D. Thoma. Materiam in reſurrectionem dandam ei qui primò eam habuit, alteri verò reſtitueretur ex ea materia, quæ vi caloris depaſta erat, Nàm idem homo per nutritionem multùm materiæ ſucceſſivè acquirit, & deperdit; itaut aliquando ſub eadem anima fuerit ſucceſſivè materia ſufficiens ad decem corpora humana. Undè ſi aliquid de aliena materia quis habuit in morte, facilè ſuppleri poterit per aliam partem materiæ olim decurſu vitæ per nutritionem acquiſitæ, & poſtea vi caloris naturalis diſſipatæ.

Urgebis. Fieri poteſt ut quis puer totus conſtet aliena materia; ergò ſi materia reſtituatur in reſurrectione illi, qui primò eam habuit, talis puer carebit materia, in qua reſurgere poſſit. Probatur antecedens. Nam apud Americanos integræ nationes ſunt, quæ veſcuntur carne humana, tanquàm delicatiſſima; Undè venantur

homi-

Digitized by Google

homines, ſicuti nos venamur lepores: ergò filii geniti poſſunt toti conſtare ex materia hominum devoratorum.

Reſpondeo primò, cauſam eſſe naturalitèr impoſſibilem: Qui enim comedunt carnes humanas, non iis ſolis veſcuntur, ſed præthereà aliquid aliud adhibent in cibum. Deindè, dato caſu, puer genitus non participat totam materiam unius hominis, ſed diverſorum particulas quæ ſuppleri poſſunt ex materia, quam homines illi devorati per nutritionem acquiſierant. Et demùm ſi quis dicat naturalitèr contingere poſſe, ut totùs homo ſit ex tota materia alterius, dicendum eſt, quòd cùm Deus decreverit reſurrectionem in eadem carne, quam in vita geſtamus, ad ejus providentiam ſpectat cavere caſus, qui tali reſurrectioni obſtarent.

Objicies 2. Sola forma eſt ratio, quidditatis, radix proprietatum, principium operandi, diſtinctivum ſpecierum, &c. ergò ſola forma eſt tota eſſentia rei.

Reſpondeo formam hæc omnia præſtare ſolùm ut quo, non verò ut quod Nàm in bruto v. g. ſola anima eſt quidem id, quo brutum vivit, ſentit, & movetur; attamen totum compoſitum ex anima & corpore eſt id quod vivit, ſentit, & movetur. Undè non dicimus animam bruti vivere, ſed totum compoſitum ex anima & corpore.

Objicies 3. Apoſtolus ad Corinth. 2. cap. 4. dicit. *Licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem*; ergò ſentit Apoſtolus animam ſolam eſſe hominem interiorem.

Reſpondeo cum D. Thoma 1. p. q. 75. art. 5. ad 1. D. Paulum ſumere hominem pro principali

Digitized by Google

parte hominis per ſinecdochem: *Illud enim*, inquit Ariſtoteles, *videtur eſſe unum quodque, quod eſt principale in eo*. Undè pars hominis præcipua dicitur homo Cùm igitur in rei veritate anima ſecundùm intellectum, & voluntatem ſit præcipua pars hominis, ſolet vocari *homo interior*. Quia tamen ſecundùm æſtimationem hominum carnalium corpus cum ſenſibus videtur, principalius, ideò dicitur *homo exterior*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum forma, & materia immediatè uniantur.

NE difficultatem æquivocatio confundat, diligenter diſtinguenda eſt quadruplex unio inter materiam & formam, ſcilicèt unio effectiva, diſpoſitiva, relativa, & formalis. Unio effectiva eſt actio agentis formam in materia producentis. Unio diſpoſitiva ſunt diſpoſitiones, quibus materia fit capax habendi, & retinendi formam. Nàm in homine v. gr. datur quædam diſpoſitio, qua per morbum ſublata, corpus eſt incapax retinendi animam; undè neceſſe eſt, ut anima ſeparetur, & homo moriatur. Unio relativa eſt reciprocus reſpectus materiæ, & formæ. Unio demùm formalis eſt copulatio formæ cum materia, ſeu id quo materia redditur formalitèr unita cùm forma. De duabus primis unionibus certum eſt eas eſſe quid diſtinctum à materia, & forma. De tertia verò idem etiam conſtat, ſi iſte reſpectus dicatur relatio prædicamentalis. Undè ſolùm difficultas eſt de quarta unione, utrùm ſcilicèt materia, & forma per ſe immediatè formalitèr uniantnr, an per aliquem mo-

Digitized by Google

modum ſubſtantialem mediantem inter utramque. Pro reſolutione.

Dico. Materia, & forma non uniuntur formalitèr per aliquid diſtinctum, ſed immediatè per proprias entitates, inquantùm forma per ſe eſt actus materiæ, & materia eſt de ſe potentia receptiva formæ. Hanc ſententiam tenent communitèr Thomiſtæ paucis exceptis.

Probatur concluſio primò ex D. Th. 8. Met. lect. ultima, ubi reprehendit Antiquos quod vellent materiam, & formam colligari per medium vinculum: contrà quos inquit: *Nihil eſt faciens unum ex materia & forma, niſi agens quod movet potentiam ad actum*. Et dicas, D. Thomam ſolùm ibi negare vinculum, quod ſit per modum tertiæ rei, ſicuti calx eſt vinculum lapidum in domo, quale fingebant Antiqui mediare inter materiam & formam non verò vinculum, quod ſit ſolùm quidam modus ſuperadditus. Hæc reſponſio gratuita eſt, nec fundatur in D. Th. undè facilè confutatur. Quamvis enim illi Veteres quærentes nexum quo materia formæ jungeretur, dicerent ipſum eſſe vel aliquod corpus ſubtilius, vel aliquod accidens; attamen D. Tho. generalitèr concludit nihil eſſe medium uniens materiam cum forma, præter actionem agentis: ergò excludit qualemcunque nexum. Qui enim dicit nihil eſſe, omnia excludit. Adde prætereà, quòd non omnes Antiqui ponebant corpus medium ad uniendam animam v. gr. cum corpore, ſed quidam dicebant, illam uniri per quemdam modum, quem vocabant *animationem*, & tamen D. Thomas hunc modum rejicit: ergò ex D. Th. nihil mediat inter materiam, & formam etiam quod ſit ſolùm modus informationis, qualem ponunt Adverſarii.

Probatur 2. ratione deſumpta ex D. Thoma 2. c. Gen. cap. 71. Nam forma unitur per ſe ipſam materiæ, ergò non unitur per nexum diſtinctum. Probatur antecedens: Intantùm forma unitur materiæ, inquantùm informat, & actuat ipſam: Atqui forma per ſe informat, & actuat materiam; ergò per ſe ipſam unitur materiæ. Probatur minor: Quod eſt per ſe eſſentialiter actus materiæ, per ſe informat, & actuat materiam, ſed forma eſt ex ſe ipſa, & eſſentialitèr actus materiæ; ergò per ſe informat materiam. Undè illa informatio fit non per aliquid diſtinctum, ſed per ipſam formam applicatam materiæ ab agente. Et hoc eſt, quod dicit Divus Thomas 1. p. quæſtione 76. articulo 7. his verbis. *Forma per ſe ipſam facit materiam eſſe in actu, cum per eſſentiam ſuam ſit actus. Nec dat eſſe per aliquid medium ſed ſecundùm ſeipſam unitur materiæ, ut actus ejus; Nec eſt aliquid uniens, niſi agens, quod facit materiam eſſe in actu*.

Confirmatur 1. Quia licèt principium quod, egeat principio quo; attamen principium quo, non eget alio principio quo; ſed forma actuat materiam per modum principii quo; ergò ut eam actuet non eget alio, quo uniatur. Minor patet; Major declaratur; tùm quia aliàs produceretur in infinitùm; tùm inductione; ſic enim quia humanitas eſt id, quo homo eſt homo; quia actio eſt id, quo agens agit; relatio quo aliquid refertur; ſanitas, quo aliquis eſt ſanus: ideò humanitas ut conſtituat hominem, actio ut agat; relatio ut referat, ſanitas ut ſanet, non agent alio, quò id præſtent. Hanc rationem tangit Ariſtoteles, cùm dicit. *Materiam uniri formæ, quia altera eſt potentia, & altera eſt actus; & hoc eſt quidditas utriuſque*. Undè concludit, *For-*

mam

mam ut actuet materiam, non egere niſi ſe ipſa.

Confirmatur 2. Iſte modus diſtinctus, quem Adverſarii ponunt, ideò immediatè unit, quia eſt unitivus ut quo; & ad uniendum eſſentialitèr deſtinatum; Quidni ergò etiam forma per ſe ipſam informabit, cùm ſit informativa ut quo, & ad id eſſentialitèr ordinetur.

Tertiò, ſi informatio, qua unitur forma materiæ, eſt modus diſtinctus à forma, ſuſtentatio etiam, qua materia unitùr formæ, erit modus diſtinctus à materia: ſicque erunt duo nexus partiales, de quibùs cùm faciant unum nexum totalem quæro, an uniantur immediate, vel mediatè; ſi mediatè, ergò dabitur tertius nexus, & ſic in infinitum, ſi verò uniantur immediatè, cur & idem dici non poterit de materia, & forma, cùm magis inter ſe proportionentur, quàm nexus partialis cum alio partiali.

Quartò, nulla formalitas intelligi poteſt in materia prior, & immediatior forma: ſed ille nexus, ſi daretur, priùs, & immediatiùs afficeret materiam quàm formam; ergò non datur. Minor patet. Nam ille nexus eſſet medius inter materiam & formam itaut forma non afficeret materiam, niſi illo mediante tanquam priori, & immeditatiori. Major verò eſt D. Thomæ quæſt. unic. de an. art. 9. & probatur ejus ratione. Nam omnes modi & omnes aliæ formalitates ſupponunt eſſe ſimplicitèr; ſed forma dat eſſe ſimplicitèr: ergo impoſſibile eſt ullum modum ullamque formalitatem præintelligi in materia ante formam.

Reſpondent Adverſarii ad principale argumentum (& in hoc ſitum eſt totum eorum fundamentum (formam quidem ex ſe ipſa eſſe in actu primo informativam materiæ, non tamen

in actu ſecundò. Undè ut in actu ſecundo informet materiam, eget modo ſuperaddito, ſcilicèt ipſa informatione.

Sed contrà primo. Nam omnes formæ corruptibiles ſunt etiam ex natura ſua in actu ſecundo informantes materiam, cùm non poſſint eſſe niſi quatenùs informant ipſam: Quantum verò ad animam rationalem, licèt non ſemper informet corpus, cùm tamen ſit actualior formis corruptibilibus, hoc non provenit ex defectu ſufficientis actualitatis, ſed defectu diſpoſitionum, quæ non ſunt ſemper in corpore; & defectu agentis eam, applicantis, & conſervantis in corpore; ergo ut actu informet, non requirit fictitiam illam unionem, ſed ſolùm diſpoſitiones, & agens eam applicans corpori.

Contra etiam ſecundo. Nam diſtinctio actus primi ab actu ſecundo locum non habet in cauſa formali; ſed ipſa eſt actus ſecundus; ergò funditùs ruit reſponſio Adverſariorum. Probatur antecedens: tum quia forma cùm ſit terminus actionis, idem eſt in facto eſſe, quod actio eſt in fieri; ſed actio eſt ipſe actus ſecundus in fieri; ergò etiam forma eſt actus ſecundus in facto eſſe: quia actus primus ordinatur ad actum ſecundum: ſed forma, ut dicit D. Thomas 1. p. qu. 87. artic. 1. non ordinatur ad ulteriorem actum ſaltem entitativum, & pertinentem ad eſſentiam compoſiti: ergò ipſa forma debet eſſe idem cum actu ſecundo, tùm denùm quia ſi informatio eſſet actus ſecundus diſtinctus à forma, & actuans ipſam, ſequeretur dari formam formæ, & ipſam formam ſubſtantialitèr eſſe in potentia ad actum ſubſtantialem, ſiquidem informatio illa eſſet aliquis actus ſubſtantialis. Dicendum igitur eſt quod forma per ſe ipſam eſt informativa etiam

in

in actu ſecundo; ſed quòd de facto non informet, hoc non eſt defectu alicujus actualitatis etiam modalis, ſed defectu applicationis cauſæ agentis: & ideò, Divus Thomas dicit, *non requiri aliud, ut fiat unum ex materia & forma, niſi agens, quod reducit potentiam ad actum*, ideſt, dat formam materiæ.

Objicies primò authoritate D. Thomæ 1. parte, quæſt. 76. artic. 1. ad 6. ubi dicit, *quod anima ſolùm ſecundùm ſe habet aptitudinem ad corpus, ſicut leve ad ſurſum* ergò ſicut leve ponitur ſurſum per modum diſtinctum, ſcilicèt per ubicationem: ita quoque anima ponitur in corpore per modum ſuperradditum, ſcilicèt per unionem, & informationem.

Reſpondeo. Mirum eſſe Adverſarios adeò levem pro ſua opinione authoritatem præferre expreſiſſimis Divi Thomæ locis, in quibus diligentèr verſans unionem animæ cum corpore, ſemper eam aſſerit immediatam eſſe: undè ad hunc locum.

Reſpondeo ex Cajetano, Divum Thomam ſolùm velle, quòd ſicut corpus leve, quantumvis de ſe capax eſſendi ſursùm eget tamen aliquo, ſcilicèt motu locali; ita quoque anima quantumvis de ſe ſit informativa corporis, eget tamen aliquo, ut ipſi uniatur. Cæterùm quod illud quo indiget, ſit modus quidam ſubſtantialis, ſicut volunt Adverſarii; nec verbulo quidem neque hic, neque alibi Sanctus Doctor inſinuavit; ſed perpetuò ſolùm dicit, ad hanc unionem nihil requiri niſi actionem agentis, & diſpoſitiones.

Objicies ſecundò; Quod non eſt de ſe tale, debet fieri tale per aliud; ſed anima non eſt de ſe unita corpori: ergò debet uniri per aliud.

Reſ-

Reſpondeo conceſſa majori, diſtinguendo minorem. Anima de ſe non eſt unita corpori effectivè, & quantùm ad applicationem, concedo; formalitèr: negò: Et ſimilitèr diſtinguo conſequens, ergò debet uniri per aliud formaliter, nego; effectivè & applicativè, concedo: ideſt, entitas animæ eſt illa formalitas, per quam unitur corpori, & informat ipſum; attamen illa formalitas, ut ſit in corpore indiget agente illam applicante, & conſervante in corpore; ſicut ipſa unio, quam ponunt Adverſarii, quamvis ſit de ſe unitiva, attamen ut uniat, indiget agente ipſam cauſante, & conſervante.

Inſtabis. Vel actio agentis applicantis formam materiæ producit aliquid in forma, vel nihil; ſi nihil; ergò non magis reddit unitam materiæ, quàm eſſet anteà; ſi aliquid producit; ergò modum unionis, quid enim aliud fingi poteſt?

Reſpondeo quòd agens dum applicat formam materiæ, v. gr. Deus quando in die judicii uniet animas noſtras corporibus, nihil aliud faciet quàm dare formam materiæ, ſeu ut dicit Cajetanus, faciet ut eſſe animæ, ſit eſſe corporis. Sicut enim materiam uniri formæ nihil aliud eſt, quàm actuari per formam: ita quoque unire formam materiæ nihil aliud eſt, quàm actuare materiam, dando illi formam, ſeu ut dicit Div. Thomas, reducere potentiam materiæ ad actum formæ.

Urgebis. Impoſſibile eſt corpus eſſe de facto unitum animæ per reſurrectionem, v. gr. niſi in corpore ſit aliquid, quod anteà non erat; & animam eſſe unitam corpori, niſi in ea ſit aliquid, quod anteà non erat.

Reſpondeo illud quod eſt in corpore, quando uni-

unitur animæ, nihil aliud eſſe, quàm ipſam animam cum diſpoſitionibus, quibus corpus ſit capax animæ: Et illud quod eſt in anima, quando unitur corpori nihil aliud eſt quàm ipſum corpus, quod animam informet, cum anteà non informaret. Et ratio radicalis, quia anima eſt ipſa formalitas quæ informat & animat corpus, undè ut reddatur actu animatum, & unitum animæ, nihil requiritur, niſi ut ipſa anima detur. Et ideò, ut acutè dicit Cajetanus, *unio animæ, & corporis nihil aliud ſignificat, quàm animam eſſe in corpore.*

Dices: Anima poteſt fieri præſens corpori, v. g. poteſt Angelus ponere animam intrà corpus mortuum, & tamen propterea non vivet, nec erit ipſi ſubſtantialitèr unitum; ergò falſum eſt, quod corpus uniri animæ nihil aliud ſit, quàm habere animam.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Angelus poteſt ponere animam intrà corpus, quaſi poſitione locali, & tanquam locatum in loco, tranſeat; poſitione formali, tanquam actum in potentia, cui det eſſe, nego: non enim dicimus animam uniri corpori inquantùm eſt in ipſo ut locatum in loco, alias animæ damnatorum animarent ignem inferni, cùm ſint ipſi præſentes, ſed inquantùm ſit præſens ipſi per modum actus in potentia dando ſcilicèt ipſi eſſe, non per modum ſuperadditum unionis, ſed per communicationem propriæ entitatis.

Objicies tertiò; Quæ ſeparantur, diſtinguuntur: ſed unio animæ & corporis ab anima, & corpore in morte ſeparatur, ergò ab utroque diſtinguitur. Major patet: Minor etiam conſtat: Nam in morte remanet corpus, remanet etiam anima, & tamen perit utriuſque unio.

Reſ-

Reſpondeo conceſſa majori diſtinguendo minorem: Unio ſeparatur ab anima, & corpore, invicem communicatis, & applicatis per actionem agentis, nego; non invicem communicatis & applicatis, concedo: ſeu, quod idem eſt, unio ſeparatur ab anima; ut dante eſſe corpori, nego, ab anima, non dante ampliùs eſſe corpori, concedo: ſolutio patet ex dictis.

Inſtabis: Ergò ſaltem illa communicatio & applicatio, per quam anima dat eſſe corpori, eſt aliquid diſtinctum. Probatur conſequentia: Nam anima poteſt eſſe ſine hoc, quod det eſſe corpori, ipſique applicetur.

Reſpond. diſt. conſequens; Illa communicatio & applicatio eſt aliquid diſtinctum ab entitate animæ, præcisè ſumptæ, concedo: ab entitate animæ, ut ſubeſt actioni agentis ipſam applicantis, & conſervantis in corpore, tanquam actum in ſua potentia, nego. Undè unio, & communicatio animæ cum corpore nihil aliud addit ſuprà entitatem animæ, præter actionem agentis ipſam conſervantis in corpore, cum diſpoſitionibus, quibus corpus redditur ſuſceptivum animę. Sed quia illæ diſpoſitiones, & illa actio deſinere poſſunt, ideò etiam unio animæ & corporis poteſt deſinere. Ratio radicalis horum omnium eſt quia cauſa formalis, licet per ſe ipſam cauſet, attamen non cauſat niſi dependentèr à cauſa efficienti, quæ ipſam applicat; cauſæ enim ſunt ſibi invicem cauſæ; Undè quamvis anima de ſe habeat quidquid requiritur ad hoc, ut informet corpus, & ipſi uniatur, nec proindè indigeat aliqua formalitate ſibi ſuperaddita, indiget tamen influxu cauſæ efficientis ipſam applicantis; ideòque ceſſante illo influxu, deſinit applicari & uniri corpori.

Obji-

Objicies 4. Actio uniens animam corpori debet aliquid producere: ſed nihil poteſt producere; niſi unionem ab utroque diſtinctam: ergò datur talis unio.

Reſpondeo negando minorem: Illa enim actio non producit unionem diſtinctam ab anima, ſed diſpoſitiones quibus anima fit præſens corpori, & cum eo conſtituit totum compoſitum. Undè id quod propriè producitur per talem actionem eſt totum compoſitum.

Dices: Homo generans hominem debet attingere aliquid ipſius animæ, ut eam uniat corpori: ſed non poteſt attingere ipſam animæ entitatem; cum ſit aliquid elevatum ſupra actionem corporalem; ergò debet attingere ipſum modum unionis.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Homo generans hominem non poteſt attingere entitatem animæ, ut producendam, concedo: ut dandam materiæ, nego. Id autem quomodo fiat, facilè patebit advertendo, ultimam diſpoſitionem ad quamcunque formam neceſſariò eſſe connexam cum ipſa forma; unde hoc ipſo quod agens ponit ultimam diſpoſitionem in materia, ſimul etiam ponit formam in illa. Cùm igitur homo poſſit ponere in materia ultimam diſpoſitionem ad animam rationalem: poteſt etiam ponere ipſam animam rationalem: & ſic eam attingere, non quidem ut producendam, ſed ut dandam corpori.

Objicies 5. Informatio eſt aliquid diſtinctum ab anima; ergò & ipſa unio. Probatur antecedens: Cauſalitas diſtinguitur à cauſa: ſed informatio eſt cauſalitas formæ: ergò diſtinguitur ab ipſa.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probatio-

tionem; diſtinguo majorem. Cauſalitas eſt aliquid diſtinctum à cauſa, in cauſis efficientibus, concedo: in cauſa formali, & materiali, nego. Ratio diſparitas eſt quia materia, & forma cauſant ſe ipſas communicando: undè etiam cauſalitas non eſt aliquid diſtinctum ab ipſis, ſed eſt earum entitas ut communicata, quæ communicatio nihil aliud dicit, niſi actionem agentis unam alteri applicantis.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm Totum naturale diſtinguatur à partibus ſimul ſumptis.

CUm ex dictis conſtet materiam, & formam immediatè uniri, & eſſentialitèr conſtituere totum ſubſtantiale. Quærimus hic, utrùm illud totum ſit aliquid realitèr diſtinctum ab iſtis partibus, non quidem diviſim, ſed ſimul ſumptis, quatenùs per mutuam unionem fiunt unum: id eſt, utrùm illa totalis entitas quæ conſtituitur per materiam, & formam, addat aliquam realitatem ſuprà hujuſmodi partes.

Duplex eſt ſententia. Altera affirmativa, pro qua citatur Scotus, & quidam etiam ex Thomiſtis; licet fortè ſolùm ab aliis vocetenùs differant, ut oſtendetur in fine probationum; Altera vero eſt negativa, quæ communior habetur apud Authores; Pro qua:

Dico. Totum compoſitum non eſt tertia entitas realiter diſtincta à materia, & forma; ſed eſt ipſa materia, & forma, quatenùs ſunt unum per mutuam conjunctionem.

Pro-

Digitized by Google

Probatur primò ex Divo Thoma 4.contr.Gen. cap. 81. *Non eſt*, inquit, *intelligendum, quod humanitas ſit alia realitèr à materia, & forma, ſed* (ut inquit inferiùs) *humanitas nihil aliud dicit, quàm principia ipſa eſſentialia conjuncta*. Et D. Auguſtinus 7. de Trinitate cap. 4. *Homo*, ait, *nihil aliud eſt, quàm anima, & corpus*. Et demùm D. Pauul. 1. ad Cor. 12. *Omnia*, inquit, *membra corporis, cum ſint multa, ſunt unum corpus*, ergò etiam à fortiori materia, & forma ſunt unum totum.

Probatur ſecundò ratione. Nàm entitas totius non eſt tertia entitas realiter diſtincta ab entitate materiæ, & formæ; ergò totum non diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis: conſequentia eſt per ſe nota: ſi enim totum diſtingueretur à materia, & forma, profectò deberet addere aliquam realitatem ſupra ipſas. Probatur antecedens. Vel enim illa tertia entitas totius, ut diſtincta à partibus, eſſet tota eſſentia compoſiti, vel ſolùm pars eſſentiæ. Si eſt tota eſſentia compoſiti: ergò materia, & forma non ſunt aliquid de eſſentia compoſiti: ſi verò illa tertia entitas, ut diſtincta à materia, & forma, non eſt tota eſſentia compoſiti, ſed ſolùm pars eſſentiæ; ergo non ſequitur totum diſtingui à ſuis partibus; ſed ſolùm tres eſſe partes in compoſito ſcilicèt materiam, formam, & entitatem totius: de quibus rurſus inquiram, utrùm totum diſtinguatur ab illis tribus partibus: ſi non diſtinguitur; ergo totum non diſtinguitur ab omnibus ſuis partibus: ſi diſtinguatur, debet addere aliquam realitatem ſupra iſtas tres partes, & ſic in infinitum.

Reſpondebis, entitatem quam addit totum ſuprà partes, non eſſe totum, nec partem, ſed totalitatem, ſeu formam totius.

Sed

Sed contrà primo. Nam forma illa totius, ſi diſtinguatur à materia; & forma, v. gr. humanitas ab anima, & corpore, non eſt niſi partialis entitas; ergo componet cum aliis partibus, ac proinde redibit argumentum, utrùm totum diſtinguatur realitèr à materia, forma, & totalitate.

Contrà etiam ſecundò. Nàm, ut arguit D. Thomas, illa forma totius, ſi daretur, eſſet ſolùm accidentalis; ergo non conſtitueret totum ſubſtantiale. Probatur antecedens: Illa forma eſt accidentalis, quæ advenit enti completo: ſed forma totius, v. gr. humanitas, adveniret enti completo: ergò eſſet accidentalis. Probatur minor: Quia humanitas adveniret materiæ jam habenti animam rationalem; ſed materia habens animam rationalem eſt ens completum: ergo humanitas adveniret enti completo.

Confirmatur concluſio. Materia, & forma unitæ ſunt ipſum totum; ergo non diſtinguitur ab illis. Probatur antecedens, totum eſt præter quod nihil eſt; ſed in toto ſubſtantiali nihil eſt præter materiam, & formam: ergò materia, & forma ſunt ipſum totum. Probatur minor: Nàm omnis entitas ſubſtantialis, vel eſt forma, vel materia, vel utrumque, ergò præter utramque iſtam partem nihil ampliùs eſt in toto ſubſtantiali; undè in ejus definitione, quæ traditur per partes phyſicas, nihil ponitur niſi materia, & forma. Si qui ergo Thomiſtæ videantur dicere, totum eſſe tertiam entitatem diſtinctam à materia, & forma, explicandi ſunt de materia, & forma, non ut ſunt unum per mutuam conjunctionem, ſic enim ſunt ipſum totum: ſed ut ſingulatim ſumi poſſunt etiam in ipſa unione. Homo enim nec eſt anima unita corpori, nec eſt

cor-

Digitized by Google

corpus unitum animæ; ſed anima, & corpus quatenùs per unionem ſunt una totalis ſubſtantia.

Objicies primò. Ariſtoteles. 5. Met. 14. dicit, *ſex non eſſe bis tria, ſed ſemel ſex*, & 7. Met. c.17. *ſyllabam*, ba, *non eſſe*, b. & a.

Reſpondeo Ariſtotelem in primo loco ſolùm velle, quòd ſpecies ſenaria non conſtituitur ex duobus individuis ſpeciei ternariæ, ſed eſt unicum individuum conſtans ſex unitatibus, ſiquidem addita, vel ſubtracta unitate, ut ſuprà dictum eſt, perit præexiſtens ſpecies numeri: Undè ſi ternario addantur tres unitates, peribit ternarius, & fiet unicus numerus, ſcilicèt ſenarius.

Ad ſecundum locum dico, Ariſtotelem ſolùm velle ſyllabam, ba, non eſſe, b, & a, ſingulatim ſumptam, ſed utrumque conjunctim, ut manifeſtè patet ex textu.

Objicies 2. Quod eſt plura, non eſt unum; Sed ſi totum eſſet materia, & forma, eſſet plura, ergò non eſt unum.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, Quod eſt plura partialia, non eſt unum, nego, quod eſt plura totalia, concedo. Et diſtinctione applicata minori, nego conſequentiam, Unum enim totale poteſt eſſe plura partialia, quia pluralitas partialis non opponitur unitati totali, præcipuè quando illæ partes comparantur invicem, ſicut actus, & potentia, tunc enim faciunt perfectè unum totum.

Objicies tertiò; Effectus diſtinguitur à ſuis cauſis; Sed materia, & forma unitæ cauſant totum, ergò totum diſtinguitur ab ipſis unitis. Major conſtat, Quia nihil cauſat ſe ipſum. Minor probatur, Nàm materia, & forma, ut ſepa-

ſeparatæ, non cauſant totum, ergò cauſant ipſum, ut unitæ.

Reſpondeo conceſſa majori, diſtinguendo minorem. Materia, & forma ut unitæ cauſant totum, quatenùs ſingulatim ſumuntur, concedo; quatenùs conjunctim ſumuntur, nego ſic enim ſunt ipſum totum. Explicatur ſolutio. Materia, & forma etiam ut unitæ dupliciter ſumi poſſunt. Primò ut partes ſunt, quarum quælibet unitur alteri, itaut entitas cujuslibet conſideretur non quidem divulſa ab alia, ſed afficiens alteram, ſeu ut alii dicunt, ita ut una importetur in recto, alia in obliquo, v. g. ſi forma conſideretur ut informans materiam, & materia ut ſuſtentans formam, dicuntur ſumi ſingulatim. Secundò ſumi poſſunt quatenùs ſunt unum per ipſam unionem, ideò enim materia unitur formæ, & forma materiæ, ut ſint unum ſubſtantialitèr, & unica eſſentia, Et hoc modo dicuntur ſumi conjunctim. Dicimus ergò materiam, & formam cauſare totum, quatenùs ſingulatim ſumuntur, inquantùm ſcilicet una afficit alteram, & hoc modo, diſtinguuntur etiam realitèr à toto, nàm totum non eſt neque forma afficiens materiam, neque materia ſuſtentans formam. Cæterùm ſi ſumantur conjunctim, ideſt, ut per mutuam unionem fiunt unum ſubſtantialitèr, hoc modo non cauſant totum, ſed ſunt ipſum totum. Quod duobus verbis exprimi poſſet dicendo, totum non eſſe quamlibet partem, ſed utramque.

Inſtabis; Plura conveniunt toti, quæ non conveniunt partibus etiam in ipſa unione; ut generari, corrumpi, vivere, ſentire competit toti homini, quod tamen non convenit nec ejus materiæ, nec ejus formæ etiam unitis.

Reſpondeo ex data ſolutione, hæc omnia non con-

convenire materiæ, & formæ ſingulatim ſumptis, ut partes ſunt; benè tamen conjunctim ſumptis, inquantùm per conjunctionem fiunt unum; ſiquidem id quod generatur, & corrumpitur, non eſt niſi totalis entitas, ſeu in illud unum ſubſtantiale, quod fit ex conjunctione duarum partium, & conſiſtit in illis conjunctis; ideòque deſinit, & corrumpitur, quando illæ partes non ſunt ampliùs unum per mutuam conjunctionem.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA.

De Natura, & cauſis Entis mobilis.

IN præcedenti Diſputatione conſideravimus principia intrinſeca rerum naturalium; nunc de cauſis earum agendum eſt tùm intrinſecis, ſub quibus comprehenduntur etiam materia, & forma, tùm extrinſecis. Naturalitèr enim notum eſt, quòd omne generabile, & corruptibile non generatur, aut corrumpitur ex ſe ipſo, ſed ex aliqua cauſa: Nihil enim poteſt dare ſibi ipſi ut ſit: undè neceſſe eſt ens mobile habere cauſas, ex quibus ſicut pendet in ſuo eſſe, ſuiſque motibus, ita quoque in ſui cognitione. Hinc fit, ut notat Ariſtoteles, quòd cùm Mathematicus, in ſuis demonſtrationibus ſolùm adhibeat cauſam formalem, Phyſicus arguit ex omnibus cauſis; quia ſcilicèt motus & mobilia, de quibus diſputat Phyſica,

ſicut

Digitized by Google

ſicut pendent ab omnibus quatuor cauſis, ita quoque per eas innoteſcunt. Cùm autem natura, violentia, & ars; ſicuti etiam caſus, fortuna, & fatum videantur habere rationem cauſæ, iiſque ſæpè homines attribuant effectus, qui in mundo cernuntur; ideò de ipſis quoque hic agetur. Undè tota hæc diſputatio dividetur in ſeptem quæſtiones; quarum prima erit de natura, violentia, & arte: Secunda de cauſis in communi. Tertia de cauſis materiali, & formali: Quarta de cauſa efficienti: Quinta de cauſa finali: Sexta de comparatione effectus ad cauſas. Septima de caſu, fortuna, & fato.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura Violentia, & Arte.

HÆc tria conſultò colligimus in hac quæſtione, quia unum per aliud explicatur; ſiquidem violentia opponitur naturæ; ars verò naturam imitatur. Undè violentia, & ars nobis innoteſcunt per naturam. Hanc verò quæſtionem dividimus in tres articulos, quorum primus erit de natura, ejuſque diviſionibus: Secundus de violentia, & cauſis eam inferentibus: Tertius de arte, & ejus operibus.

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex ſit Natura.

NOmen naturæ derivatur à *naſcendo*; ita ut natura dicatur quaſi *naſcitura*, ſeu *nativitas*. Undè, ut notat D. Thomas 1. p. q. 29. art. 1. ad 4. hoc nomen primò impoſitum eſt ad ſignificandam generationem viventium; quæ dicitur *nativitas*, & quia hujuſmodi generatio eſt à principio intrinſeco; ideò nomen iſtud extenſum eſt ad ſignificandum principium intrinſecum cujuſcunque motus, & quia ejuſmodi principium intrinſecum motus eſt materiale, vel formale, ideò materia, & forma dicuntur naturæ. Et rursùs, cum omnis eſſentia conſtituatur, & diſtinguatur per formam, ideò nomen naturæ nonnunquàm ſumitur pro eſſentia, ſeu quidditate, præcipuè prout illa eſſentia eſt radix quarumdam operationum: ſic dicimus naturam humanam differre à natura leonina, naturam divinam eſſe in tribus perſonis; ſumentes naturam pro eſſentia. Immò aliquando extenditur hoc nomen ad totam collectionem eſſentiarum; ut cùm dicimus, aliquid eſſe in rerum natura, ideſt, in univerſo. Undè vides præcipuè naturam ſumi quadrupliciter. Primò pro nativitate: ſic primogenitus dicitur ex natura, ideſt, ex ipſo nativitatis jure prælatus fratribus; & Apoſtolus dicit nos *natura eſſe filios iræ*, ideſt, ex ipſa conceptione & nativitate, à qua peccatum trahimus. Secundo ſumitur pro materia, & forma: ſic homo dicitur conſtare duabus naturis partialibus. Tertio pro eſſentia rei: ſic dicimus naturam, ideſt, eſſentiam Angelicam eſſe præſtantiorem huma-

na. Quarto demùm ſumitur pro principio intrinſeco motus, & quietis entium naturalium, ideſt, pro illa radice intrinſeca, ex qua primordialitèr manant ſenſibiles iſti motus, quos cernimus in rebus naturalibus, ut dum lapis cadit deorsùm, aer aſcendit sursùm, cor animalis palpitat, aqua friget, ignis calet, &c. In hac quarta acceptione ſumitur hic natura, de qua.

Dico primo. Natura rectè definitur principium, & cauſa motus, & quietis ejus, in quo eſt, primo, & per ſe, & non ſecundùm accidens. Ita definit Ariſtoteles, & cum eo alii Philoſophi.

Explicatur definitio. Natura dicitur *principium*, ideſt, prima radix, & origo, *& cauſa*, ideſt, verè phyſicè influens; *motus*, *& quietis*, ideſt, mutationis illius ſenſibilis, quæ deprehenditur in rebus naturalibus, inquancùm aliquando quieſcunt ut lapis in centro, aliquando moventur ut lapis in centrum: Additur, *ejus in quo eſt*, ut excludantur principia motus extrinſeca, ſcilicèt violentia, & ars, quæ movent, quidem, ſed ut plurimum ab extrinſeco ut manus quæ violenter impellit ſursùm lapidem, eſt extra lapidem, & ars, quæ fabricat lectum, eſt extra ipſum lectum; Dicitur demùm, *primo & per ſe*, *& non ſecundùm accidens*: quia natura ſignificat non qualecunque, ſed radicale, & primum motus, & quietis principium, cui convenit movere id, in quo eſt, non quidem per accidens, ſicut ars medicinæ per accidens aliquando ſanat non ſolum alios, ſed etiam ipſum medicum: ſed per ſe, ita ut naturæ eſſentialitèr conveniat eſſe principium motuum rei, in qua eſt, & cujus eſt natura.

Objicies primò. Natura eſt etiam principium mo-

motus in aliis rebus: ergò malè dicitur quod eſt principium ejus in quo eſt: Probatur antecedens: nam natura ignis non modo eſt principium, cur ſit in ſe calidus, ſed etiam cur calefaciat.

Reſpond. convenire primariò naturæ, quod ſit radix motuum, quia rei ipſi quæ naturam habet conveniunt: Sed quia res indita fœcunditate poteſt id, quod habet ad alia diffundere; ideò etiam natura ſecundario eſt principium movendi alia; Reſpectu tamen aliorum quæ movet, non dicitur natura, ſed aliquando violentia. Nam ignis, dum calefacit aquam, non movet eam per modum naturæ, ſed per modum violentiæ.

Objicies ſecundò. Etiam ars poteſt eſſe principium motus ejus, in quo eſt; ut muſica eſt principium canendi in eo, qui habet Muſicam; & Medicina non modò alios, ſed etiam ipſum Medicum curat; ergò malè definitur natura, quòd ſit principium motus ejus, in quo eſt.

Reſpondeo cum Div. Thoma 2. Phyſ. lect. 1. per accidens eſſe, ut ars moveat ſubjectum, in quo eſt: inquantùm ſcilicèt reperit in eo capacitatem exequendi motus artificiales: Ars enim Hiſtrionica, & Muſica de ſe modificant ſaltum & cantum cujuſcunque ſit, ſed quia etiam habens hujuſmodi artes, eſt capax cadendi, & ſaltandi; ideò per accidens movet ſe ipſum per artem ſuam. Adde prætereà, quòd ars non eſt primum principium elicitivum talium motuum, ſed ſolùm habitus ſuperradditus naturæ ad regulandos ejus motus; Nàm ſaltus, & cantus non fiunt primario ab arte, ſed à naturali facultate per artem modificata: undè raucus, & paralyticus cum omni arte ſua non poſſunt nec canere, nec ſaltare.

Objicies tertio. Plura entia naturalia ſunt, quæ nunquàm quieſcunt, ut cœli mobiles; & alia quæ nunquàm moventur, ut cœlum empyreum; ergo in illis natura non eſt principium motus, & quietis.

Reſpondeo ex D. Th. 2. Phyſ. lect. 1. Has particulas, *motus*, *& quietis*, intelligendas eſſe in ſenſu accomodo; itaut natura in his, quæ ſemper moventur, ſit principium ſempiterni motus, in his vero, quæ ſemper quieſcunt, ſit principium perpetuæ quietis: in his demùm, quæ modò quieſcunt, modò moventur, ſit principium utriuſque.

Dico ſecundò, natura rectè dividitur in materiam; & formam. Concluſio eſt communis; &c.

Probatur. Quia omnis motus, & quies rerum naturalium ab his veluti duobus fontibus intrinſecis originatur; A materia quidem veluti à principio paſſivo, & ſuſceptivo mutationum, ut generationis, corruptionis, alterationis, &c. A forma vero veluti à principio aliquando quidem paſſivo ut forma cœli eſt principium paſſivum, quo cœlum fit capax recipiendi motum ab intelligentia motrici; aliquando verò etiam activo, ut anima eſt principium activum motuum animalium, & forma lapidis aliquomodò activè concurrit ad motum deorsùm & forma cordis eſt principium perpetuæ palpitationis.

Objicies primò: ſi materia eſſet natura, omnes mutationes eſſent cuilibet rei naturales, ut aquæ naturale eſſet calefieri, & corrumpi. Probatur ſequela; Nam materia de ſe eſt in potentia ad omnes motus.

Reſpondeo negando ſequelam. Nam materia, quando eſt ſub aliqua forma, ligatur ab illa, &

la, & ejus diſpoſitionibus. Undè reduplicative ut materia eſt pars compoſiti, & ſubjacet diſpoſitionibus alicujus formæ, violentum ipſi eſt quidquid compoſito, & formæ repugnat. Cæterùm ſi materia præcisè ſumatur reſpectu mutationum quæ fiunt in illa, ſic nullus motus eſt ipſi violentus: Undè hoc modo corruptiones etiam poſſunt dici motus naturales.

Objicies ſecundò. Nihil poteſt movere ſe ipſum juxtà celebre illud axioma, *quidquid movetur, ab alio movetur*; Sed ſi forma eſſet principium activum motus, aliquid moveret ſe ipſum: ergò forma non eſt principium activum alicujus motus: nec proinde anima in animalibus, vel forma in lapide eſt principium activum motus.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Nihil poteſt movere ſe ipſum, ſecundùm idem, concedo; ſecundùm diverſa, nego: In rebus enim, quæ propriè movent ſe ipſas, v. g. in viventibus, ſunt plures partes quarum una movet alias: ſicut oculus movetur à cibo præſentato, & imaginatio ab oculo, & appetitus ab imaginatione, & facultate progreſſiva: ſicque quibuſdam veluti gradibus fit motus in animalibus, ita tamen ut ſemper illa pars quæ movetur, ab alia moveatur. Gravia verò, & levia moventur etiam quodammodo à ſe ipſis; non quod propriè ſuos motus efficiant, ſed quia motus gravium, & levium ſunt proprietates eorum, ipſis à generante inditæ. Sed de his exactiùs agetur in fine hujus partis explicando præfatum axioma.

Dico tertiò; Etiam anima rationalis habet rationem naturæ. Concluſio eſt etiam communis, &

Probatur; Nam anima rationalis eſt princi-

pium motuum humanorum, & vera propriaque forma corporis humani, Quòd ſi habeat quaſdam operationes ſuprà naturam corpoream elevatas, ut *intelligere*, *& velle*, etiam in his operationibus non amittit rationem naturæ, quia tales operationes, quamdiù anima eſt in corpore dependent aliquomodo à motibus corporalibus. Undè etiam de illis erit ſermo in Phyſica agendo de anima: Sentimus enim, quod ira vehementer excitata rapit voluntatem: & bona imaginatio juvat ad intelligendum.

Dico quartò: Etiam tota eſſentia, ſeu compoſitum ex materia & forma, dici poteſt aliquo modo natura.

Probatur. Nàm etiam totalis eſſentia eſt radix & origo motuum ſuorum: ergo poteſt dici natura; & hoc modo ſæpè vocatur ab Ariſtotele, & D. Thoma, Dixi tamen, *aliquomodo*, nàm in rigore loquendo, ut notant Ariſtoteles & Div. Thomas 2. Phyſ. lect. 2. compoſitum eſt magis à natura, ideſt, conſtans natura, ſcilicèt materia, & forma, quàm natura. Et ſi dicas eſſentiam totalem non eſſe primum principium motuum, rurſus enim principiatur ex aliis naturis, ſcilicèt materia, & forma. Reſpondeo eſſe primum principium totale, contra cujus rationem non eſt ut conſtet partialibus principiis.

Dico quinto. Nec Angelis, nec Deo propriè competit ratio naturæ, ſicuti ſumitur à Phyſicis.

Probatur. Si quidem nec Deus, nec Angeli habent in ſe motus ſenſibiles, ſed ſunt ſupra omnem mutationem, & viciſſitudinem: ergò non habent rationem naturæ, ut à Phyſicis ſumitur: ſed potiùs ſunt ſupra naturam; undè dicuntur *entia Metaphyſica*, ideſt, ſupernaturalia. Si ergò

eorum

Digitized by Google

eorum eſſentia nonnunquam vocetur *natura*, hoc intelligendum eſt in eo ſenſu, quo Logici, & Metaphyſici ſumunt naturam, pro ipſa ſcilicèt rei quidditate, vel prout natura ſignificat radicem quarumcunque operationum; quo ſenſu Theologi quærunt, utrum eſſentia, & natura in Deo diſtinguantur ſaltem virtualitèr: ideſt, utrum radix eſſendi, & operandi ſint in Deo formalitates virtualitèr diſtinctæ. Prætereà nonnunquam Phyſici tribuunt Deo, & Angelis rationem naturæ per quamdam excellentiam, inquantùm Deus eſt author, conſervator, & moderator naturæ ideòque à quibuſdam vocatur Deus, *Natura Naturans*: Angeli verò ſunt ejus miniſtri in gubernatione naturæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

De violentia, & cauſis violentiam inferentibus.

CUm ejuſdem ſcientiæ ſit agere de contrariis (ut ſcientia, quæ agit de virtute, debet etiam agere de vitio: quæ agit de morbis; debet agere de ſanitate) ideò poſtquàm explicuimus quid, & quotuplex ſit natura, nunc de violentia ipſi oppoſita paucis agendum eſt: Circà quam primò quæremus quid ſit: Secundò, an inferri poſſit à cauſis univerſalibus: Et tertiò, an inferri poſſit ab ipſo Deo.

Dico 1. violentia rectè definitur, cujus principium eſt extrà, paſſo non conferente vim, id eſt, non cooperante.

Explicatur. In primis dicitur, *Cujus principium eſt extrà*, quia ſicut motus naturalis eſt

ab intrinſeco, ita motus violentus eſt ab ab extra, ideſt ab aliqua externa vi, non verò ab ipſis eſſentiæ principiis: Additur, *paſſo non conferente vim*, ideſt non præbente aliquam cooperationem: vel inclinationem ad talem motum, ſed potiùs renitente; ſi enim paſſum non reſiſteret, ſed ſponte obediret, motus licèt eſſet ab extrinſeco, non diceretur violentus ſicut motus, quem intelligentia motrix imprimit corpori cœleſti, non eſt ei violentus, quia non eſt contrà, ſed juxta ejus inclinationem. Undè ad violentia duo eſſentialitèr requiruntur; Primò ut principium movens ſit extrinſecum ad id, quod movetur. Secundò, ut id quod movetur, aliqualitèr reſiſtat: quæ reſiſtentia debet eſſe vel activa, vel paſſiva: itaut ſcilicèt id, quod movetur, vel activè contrarietur motori, ut dùm lapis ſursùm trahitur, activè reſiſtit gravitando; vel ſaltem paſſivè inquantùm talis motus opponitur alteri, ad quem recipiendum res dicit naturalem ordinem, ut ſi in materia ſublunari intruderetur aliqua forma, cujus non ſit capax, v. g. forma cœleſtis, diceretur materia violentiam pati, & paſſivè reſiſtere. Attamen communitèr violentia exercetur per reſiſtentiam activam; ut dum lapis pellitur ſursûm, aqua calefit, ignis deſcendit, &c. ſemper intervenit quædam reſiſtentia activa.

Dico ſecundò. Quilibet motus ab agente ſuperiori impreſſus naturæ inferiori, non eſt ipſi violentus, ſed connaturalis.

Pro intelligentia hujus concluſionis obſervandum eſt, hunc ordinem in univerſo ſtatutum à Deo eſſe, ut inferiora ſubjaceant ſuperioribus, & ab his naturam ſuam, inclinationem, naturaleſque motus habeant. Sic cœli ſubjacent Angelis, à quibus motum recipiunt: ſic ſublunaria

ſubja-

ſubjacent cœlis, & ſideribus, à quibus tanquam cauſis univerſalibus ſuas formas, inclinationes, & motus recipiunt: ſic membra animalis, ſubjacent ejus animæ, à qua moventur; ſic in eodem animali membra inferiora, & inferiores potentiæ ſubjacent ſuperioribus, ut cordi ſanguis, nervi cerebro, appetitus imaginationi, facultas motrix appetitui, &c. Hoc poſito dicimus; quod ſi aliquando contingat ejuſmodi ſuperiora movere ſua inferiora etiam præter conſuetam inclinationem, talis motus non eſt motus violentus, ſed connaturalis, ut dum ſol trahit sursùm vapores, & exhalationes: dum luna in fluxu, & refluxu maris trahit ejus aquas: dum cor in pavore trahit ad ſe ſanguinem: dum facultas motrix elevat ſursùm pedem; vel manum; dum imaginatio accendit vehementum motum iræ in appetitu, &c. tales motus licèt videantur extraordinarii, & præter conſuetam iſtarum rerum inclinationem, attamen non ſunt violenti, ſed connaturales. Concluſio ſic explicata.

Probatur ratione D. Thom. 1. p. q. 105. art.6. Illud dicitur violentum, quod fit paſſo reſiſtente: Atqui res inferiores non reſiſtunt, ſed potiùs ultrò obediunt ſuis ſuperioribus: ergò motus agentis ſuperioris non eſt violentus, rei inferiori. Major patet, probatur minor: ſicut enim politica ſubjectio fundat & exigit politicam obedientiam; ita naturalis ſubjectio fundat, & exigit naturalem obedientiam: ſed res inferiores naturalitèr ſubjiciuntur ſuis ſuperioribus: ergò etiam naturalitèr ipſis obediunt: motuſque eliciti ex hac obedientia cenſentur naturales.

Confirmatur: Nam ejuſmodi motus non ſunt contrà præcipuam inclinationem; ergò non ſunt violenti: Probatur antecedens: tùm quia res in-

ferior maximè inclinatur ad obediendum ſuperiori, cum in tali ſubjectione reperiat ſuam perfectionem, & conſiſtat bonum totius univerſi, quod omnia maximè appetunt: tùm quia inclinatio rei inferioris eſt cauſa ſuperiori; ergò ſemper remanet ſubdita cauſæ ſuperiori, itaut poſſit in quamcumque partem ab illa flecti, prout requiret bonum univerſi: ſicut ſecundùm politicam bonus civis ſubjacet, & ſpontè obedit Regi in iis, quæ concernunt bonum univerſale Reipublicæ.

Dices: Calor à Sole impreſſus aquis eſt ipſis violentus, ſicuti, & aliis rebus, ut capiti hominis quod lædit, herbis, quas ſi nimius ſit, arefacit: ſimiliter alii influxus cœleſtes ſunt ſæpè noxii rebus inferioribus; ergò falſum eſt motus ſuperiorum cauſarum non eſſe violentos inferioribus.

Reſpondeo. Non omnia corpora cœleſtia dominari omnibus ſublunaribus, ſed alia aliis: ſicuti enim in politicis Judices à Rege conſtituti partiuntur inter ſe territoria regni, nec omnes præſunt omnibus, ſed quilibet ſuis ſubditis; ita quoque in naturalibus ſidera partiuntur juriſdictionem, ut ita loquar, quam habent in hæc ſublunaria; & quodlibet aſtrum res quaſdam ſibi ſubditas habet, quæ ipſi parent, & ejus influxibus obſequuntur ſic Luna dominatur corporibus humidis, Sol dominatur quibuſdam herbis, ut Heliotropio; & alia aliis. Concluſio ergò intelligenda eſt de ſideribus dominantibus, à quibus res trahit naturam, inclinationem, & motum. Ab illis enim aſtris nunquàm violentiam patitur res, nec deſtruitur; ſed potiùs fovetur, & juvatur: undè ipſis ſpontè ſubjecta eſt; ut patet de aqua reſpectu Lunæ, de Heliotropio reſpectu Solis.

Digitized by Google

Solis. Non eſt tamen diffitendum aliquando contingere poſſe, ut aſtrorum influxus ex quibuſdam cauſis inferioribus vitietur v. gr. ex nimia humiditate, vel ſiccitate aeris, aut Solis, & tunc poteſt nocere rebus etiam quibus præeſt, ipſiſque vim inferre: ſed hoc eſt per accidens; ſicut quod in politicis dignitates, & tribunalia, quæ ad bonum publicum ex ſe tendunt, per malitiam administrantium corrupta Reipublicæ funeſta ſunt, & vim inferant.

Ex his inferes, quòd dum Angelus movet quodcunque corpus, nullam ei violentiam infert: Nam omnia corpora naturaliter ſubjecta ſunt Angelis, ſicut corpus vivum ſuæ animæ. Similitèr quando cœlum ſuperius rapit inferius, talis motus non eſt violentus, ſed naturalis. Similiter nec motus, quo aqua, lapides, & alia gravia ſursùm feruntur, ut impediant vacuum, non eſt violentus; quia non eſt contra inclinationem, ſed juxta ipſam inclinationem, qua omnis res appetit bonum univerſi, ſicut omnis pars bonum totius.

Dico tertiò. A fortiori motus à Deo cuilibet naturæ impreſſus non eſt ei violentus, ſed maximè naturalis. Hanc concluſionem docet D. Th. 1. p. quæſt. 105. art. 6. & 3. contra Gentes, cap. 100. & Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum cap. 3. dicens: *Illud eſt cuilibet rei naturale, quod fecerit ille, à quo eſt omnis motus, numerus, & ordo naturæ. Deus enim creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit.* Idem Scriptura indicat Sap. 16. dicens. *Ignis, ut nutrirentur juſti etiam ſuæ virtutis oblitus eſt; creatura enim tibi creatori deſervit* quaſi diceret, creaturam, dum movetur à Deo ad aliquid, quod eſt contra propriam inclinationem oblivi-

ſci

ſci illius inclinationis, eamque ſubjicere creatori ſuo.

Probatur concluſio rationibus Div. Thomæ. Primò, quia quidquid Deus in creaturis facit, eſt juxtà præcipuam earum inclinationem; ergò non eſt eis violentum. Probatur antecedens: Nàm præcipua, & intimior creaturæ inclinatio eſt obedire creatori ſuo, cui longè connaturaliùs ſubjicitur quam corpus animæ. ergò ſicut non eſt contra, ſed juxta inclinationem brachii, ut voluntas illud, quòd placuerit, flectat, ita nec contrà, ſed juxta inclinationem creaturæ eſt, ut in ea, quidquid voluerit Deus faciat. Undè rectè Propheta inquit, *Domine, omnia ſerviunt Tibi.*

Secundò: Illud quod fit in re ab eo, à quo data eſt, & dependet inclinatio naturalis, non eſt violentum; ſed à Deo data eſt, & dependet naturalis inclinatio creaturarum; ergò quod fit à Deo in creaturis non eſt violentum. Minor patet: Major verò probatur à Div. Thoma, tùm exemplo aquæ ſine violentia aſcendentis, quando trahitur à Luna, quæ præſidet aquis; tùm exemplo artificialium: Non enim eſt contra rationem artificii, ut artifex aliquid in eo operetur, etiam poſtquàm primam formam dedit; ergò nec erit contra naturam rei; ut Deus in ea aliquid operetur præter communem curſum: tota enim natura eſt veluti artefactum Divinæ Sapientiæ.

Ex his colliges, non fuiſſe violentum Soli, quando curſum ſuum retinuit ad vocem Joſuè; aut quando retro greſſus eſt ad imperium Iſajæ Profectæ tempore Regis Ezechiæ. Nec violentum fuiſſe aquis quando quaſi pro muro ſteterunt filiis Iſrael mare rubrum tranſeuntibus; nec Jordani,

dani, quando converſus eſt retrorsùm ad fontes ſuos: quia hæc omnia operabatur ſupremus naturæ, Dominus ex illo dominio, cui omnis creatura ſpontanea ſervitute paret.

Objicies: Deus concurrendo cum cauſis ſecundis infert violentiam: ut concurrendo cum manu vim infert lapidi eum ſursùm pellendo; ergò ſe ſolo etiam infert violentiam, quando idem præſtat.

Reſpondeo negando conſequentiam. Qnia cùm Deus agit cum cauſa ſecunda, ſeſe accommodat cauſæ ſecundæ; Deus enim in unoquoque operatur juxta propriam ejus conditionem: Undè quia conditio unius contrarii eſt, ut vim inferat ſuo contrario, ideò actio contrarii eſt quamvis ſit à Deo, tanquam à prima cauſa, eſt tamen violenta ſuo contrario, ſed quando Deus agit ſe ſolo, agit juxta modum ſuum; ideſt, ut Dominus naturæ ideòque illi ſic agenti omnia ſpontè ſua obediunt.

Inſtabis: Quod eſt contra inclinationem, eſt violentum; ſed Deus etiam dum ſe ſolo movebat ſursùm Jordanis aquas faciebat contra earum inclinationem; ergò vim illis inferebat.

Reſpondeo negando minorem; Nàm licèt conſueta inclinatio aquæ ſit ut fluat deorsùm in proclive: Attamen ſuppoſito quod Deus imperet aquis, ut ferantur ſursum, maximè naturale ipſis eſt obedire imperio ſui creatoris.

Dico quartò. Probabile tamen videtur, Deum ſi velit agere ut agens particulare, poſſe inferre violentiam creaturis.

Concluſio ſupponit Deum poſſe dupliciter movere creaturam. Primò per modum moderatoris univerſalis naturæ, rerum inclinationes interiùs mutando, & flectendo, ut placet; ſicque efficien-

efficiendo, ut aliqua res inclinetur de novo ad aliquid oppoſitum ei, ad quod antea inclinabatur. Secundò per modum agentis particularis imprimendo motum oppoſitum inclinationi rei, & ſimul cum tali inclinatione concurrendo ad expellendum hujuſmodi motum; ut ſi Deus produceret calorem in aqua ſimul conſervando naturalem inimicitiam aquæ cum calore, & concurrendo cum aqua ad expellendum talem calorem. Dicimus ergò, quod licèt primo modo Deus non inferat violentiam, poteſt tamen ſecundo modo motum violentum inferre.

Probatur concluſio, tum authoritate, Div. Thomæ dicentis, non omnia, quæ Deus facit in creaturis, eſſe illis connaturalia, ſed ſolùm ea, quæ Deus vult eſſe connaturalia; ergò Deus poteſt facere in creatura aliquem motum, quem nolit eſſe connaturalem, ſed violentùm; Tùm ratione; cùm enim Deus ſit ſupra agentia particularia, & univerſalia, poteſt utroque modo effectum producere, ut agens univerſale, & ut agens particulare; ergò poterit ad nutum ſuæ voluntatis agere ut agens particulare, ſicque inferre violentiam, non minùs quàm ignis inferat aquæ, & manus lapidi: Tùm etiam quia nulla videtur implicantia, quod Deus poſſit cauſare motum, quem velit eſſe violentum ipſi rei; ergò Deus id poteſt: Tùm demùm exemplo: Nam Deus infert violentiam Dæmonibus eos, ut inquit D. Petrus, alligando catenis igneis.

Et ſi dicas, talem alligationem non eſſe violentam naturali Dæmonum inclinationi, ſed ſolùm perverſæ eorum voluntati quæ eſt rebellis Deo. Contrà eſt: Nàm intantùm talis pœna eſt afflictiva, inquantùm eſt contraria naturæ, & inclinationi innatæ repugnat: Nemo enim quantum-

tumvis perverſus, torquetur ex eo, quod eſt conforme ſuæ inclinationi, ſed magis ex eo delectatur: Sed alligatio illa Dæmonum eſt maximè afflictiva immò ut talis à Deo intenditur; ergò eſt violenta etiam naturali inclinationi. Adde prætereà exemplum efficax: Nàm animæ Fidelium in purgatorio detentæ, quamvis non ſint rebelles Deo, ſed maximè ſubditæ per charitatem, attamen violentiam patiuntur, & maximè affliguntur ex illa detentione, & alligatione ad ignem; ergò iſta alligatio eſt violenta non modò rebelli voluntati, ſed etiam naturali inclinationi. Et ſi Deus morbum per ſe ipſum immediatè inferret alicui homini juſto, talis profectò morbus eſſet violentus, & contrarius, non quidem liberæ voluntati, quamvis ille pius ſe Divinæ diſpoſitioni ultrò ſubmitteret, ſed ipſi naturali inclinationi, quæ afflictivis, & deſtructivis rupugnat.

ARTICULUS TERTIUS.

De Arte, & operibus artificialibus.

ARs definitur, Recta ratio factibilium, id eſt, habitus reſidens in ratione, & eam rectificans ad operandum in materia externa; ut ad fabricandas domos, claves, enſes, horologia, &c. Undè opera ejuſmodi, quæ fiunt per induſtriam rationis, dicuntur artificialia, de quibus quærimus, quid ſint, & quomodo differant à naturalibus, &, violentis. Secundò: An formæ rerum artificialium poſſint cauſare motum; Tertiò: An aliquod opus naturæ poſſit fieri per artem.

Dico

Dico primò: Artificiale; eſt cujus principium eſt extra, ſcilicèt in ratione practica externam materiam diſponente. Declaratur hæc definitio. Artificiale enim procedit ab arte: ſed ars eſt extra, ſcilicèt in ratione practica ipſius operantis; ergò arrtificiale, eſt, cujus principium eſt extra: ſcilicèt in ratione.

Ex hac definitione facilè deduci poteſt diſcrimen naturalis, violenti, & artificialis. Naturale eſt, cujus principium eſt intra ipſam rem: Artificiale verò cujus principium eſt extrinſecum, in ratione ſcilicèt fabricantis: Violentum demum, cujus principium eſt non ſolum extrinſecum, ſed etiam naturali inclinationi oppoſitum. Undè violentum inimicatur naturæ, ipſique opponitur: Artificiale quatenùs tale non opponitur naturæ, ſed magis eam imitatur; Idcircò ars dicitur *ſimia*, & *imitatrix naturæ*, cujus ratio eſt, quia natura eſt veluti artefactum Divinæ ſapientiæ, ut dicit Div. Thomas; & ideò ut ſicut homo, ut ſit perfectus, debet imitari Deum, & humana ratio Divinam rationem; ita quoque artificialia, ut ſint perfecta, debent imitari naturam. Cujus atiam aliam rationem tradit S. Doctor. 2. Phyſic. lect. 4. *Quia omnis noſtra cognitio eſt à rebus ſenſibilibus, & naturalibus accepta, undè ad ſimilitudinem naturalium operamur in artificialibus*.

Ars autem imitatur naturam præcipuè ſecundùm quatuor. Primò ex parte principii: Nam naturalia, & artificialia in hoc conveniunt, ut ſint ab aliqua ratione: Naturalia quidem à ratione Divina, artificialia vero à ratione humana; Et quidem de artificialibus hoc patet ex ipſa definitione; de naturalibus verò, quod procedant ab aliqua ratione, manifeſtum ſignum eſt:

perfe-

perfectiſſimus ordo, qui cernitur in natura : Cùm igitur ſolius rationis proprium opus ſit ordinare, neceſſe eſt opus ita perfectè ordinatum, quale eſt opus naturæ, eſſe opus cujuſdam rationis perfectiſſimæ. Undè etiam apud Gentiles abiit in Proverbium, *Opus naturæ eſſe opus intelligentiæ*.

Secundò : Ars imitatur naturam ex parte ſubjecti ; Nam ſicut natura præſupponit materiam ex qua agat : ita quoque ars præſupponit materiam ſuorum operum, ut Lanifica ſupponit lanam, ex qua conficit pannum ; undè, & in arte, & in natura *ex nihilo nihil fit*.

Tertiò ex parte modi procedendi. Quia ſicut natura ordinatè procedit, aptando, & aſſumendo media congrua ad finem, quem intendit ; ut os, dentes, guttur, ſtomachum aptiſſima fecit ad mandendum, deglutiendum, & coquendum cibum ; linguam ad loquendum, oculos ad videndum, &c. ita quoque ars in ſuis operibus ordinatè procedit coaptando inſtrumenta ad finem, & opus intentum; ut gladium acuit ad perfodiendum, limam in dentes exaſperat ad corrodendum, malleum ſolidum efficit. & gravem ad contundendum. Ratio autem hujus eſt, quia tùm naturalia, tùm artificialia procedunt à ratione, ut mox diximus : Ratio autem ordinatè procedit, & media congrua fini intento adhibet, agit enim propter finem.

Quartò demùm ex parte termini ; Nàm ſicut natura agit propter aliquem finem, quem ſibi proponit ut terminum operis, ita quoque, & ars finem intendit, ex quo deſumit operationis regulas. Undè, ut advertit Ariſtoteles, in natura, & arte inveniuntur peccatum, quia peccatum eſt deviatio à fine ; Cùm ergo, & natura

pro-

Digitized by Google

propter defectabilitatem cauſarum inferiorum, & ars propter inexperientiam artificis, vel defectum materiæ, & inſtrumentorum, nonnunquam à ſuo fine deficiant: ideò in illis locum habet peccatum, quod in natura dicitur monſtrum, in artem verò retinet nomen peccati.

Cæterum, licèt ars imitetur naturam, attamen natura longè ſuperat artem, idque præcipuè in tribus. Primò ex parte principii, quia procedit à ratione univerſaliori, ſapientiori, & efficaciori: Undè opera naturæ ſunt univerſaliora, ordinatiora, & efficaciora, ſiquidem formæ naturales ſunt principia ſuorum motuum, & producunt ſibi ſimile, ut equus equum, planta plantam. Sed formæ artificiales ſunt ſteriles, & inefficaces, undè non poſſunt cauſare motum, ut jam dicemus; nihilque ſibi ſimile producunt: Non enim lectus lectum, aut enſis enſem generare poteſt. Secundò ex parte modi; Nam natura procedit modo magis certo & minus errori obnoxio. Tertiò ex parte finis: Nam natura intendit majus bonum, ſcilicèt bonum ſubſtantiale, & totius univerſi ars verò minus bonum intendit, ſcilicèt vel commoditatem, vel delectationem, vel conſervationem, vel neceſſitatem hominum: Ut enim dicit D. Tho. 2. Phyſ. lect. 4. *Nos ſumus finis omnium artificialium*.

Dico 2. Formæ artificiales non poſſunt eſſe principia motuum aliquorum, quamvis poſſint aliqualitèr eos adiuvare: ut patet experientia, qua videmus ferrum adiuvari ad vulnerandum, ſcindendum, rodendum per figuras artificiales.

Probatur concluſio ratione D. Tho. Opuſc. 34. Nàm formæ artificiales conſiſtunt, vel in figura, ut forma ſtatuæ, imaginis, pilei, &c. Vel in

com-

compoſitione, ut formæ unguentorum, & rerum per artem mixtarum: Vel in ordine ut formæ horologiorum, & domorum, navium, &c. Sed figura, compoſitio, & ordo non ſunt per ſe principia motus alicujus; ergo formæ artificiales non poſſunt eſſe principia motus alicujus. Major patet: Probatur minor: Nàm figura, & ordo non ſunt aliquid cauſativum motus etiam in naturalibus; ergò à fortiori ordo, & figura artificialis non cauſant motum. Compoſitio verò non dat efficaciam movendi, ſed eam ſupponit: Undè ſi quædam nullam prorsùs efficaciam habentia ſimul componantur, non magis fiet ex illis aliquid activum, quam ex pluribus frigidis fieret aliud calidum.

Confirmatur ex diſcrimine, quod eſt inter intellectum divinum, qui eſt author naturæ, & intellectum humanum, qui eſt principium rerum artificialium. Divinus enim intellectus eſt efficacitate pleniſſimus: at verò intellectus humanus eſt ſterilis & inefficax ad extrà: ut enim ait Ariſtoteles, propter noſtrum intelligere nihil mutatur in rebus: Undè formæ naturales quæ procedunt à Divino intellectu, ſapiunt conditionem ſui principii, & ideò ſunt efficaces; & activæ, ita, ut poſſint producere ſibi ſimile, ut forma ignis producit aliam formam ignis: at verò formæ artificiales, quæ procedunt ab intellectu humano, ſapiunt conditionem ejus, & ideò ſteriles ſunt, & inefficaces ad movendum; & propterea non producunt ſibi ſimile: Non enim horologium producit aliud horologium; vel pileus alium pileum.

Objici ſolent plura artefacta, quæ motus habuiſſe feruntur: ut Archytæ Tarentini columba lignea, quæ volabat, cœlum vitreum Archi-

meme-

memedis, quod rotabatur: aurei picernæ Hyrarchæ Brachmanorum Regis, qui convivio miniſtrabant, ut Philoſtratus in vita Appollonii.

Reſpond. hæc omnia facta fuiſſe per naturales res ſecretis quibuſdam machinis temperatas, veluti fieri cernim. in horologiis, quorum rotæ moventur vel à gravitate ponderis centrum naturaliter repetentis, vel à lamina chalybea violentèr complicata, & paulatim ſeſe explicante.

Objicies ſecundò: Figuras artificiales eſſe efficaces ad plura opera, ut ad ſanandás ægritudines; ad conciliandam gratiam, & fælicitatem, ad expellendos ſerpentes: Undè Marſilius Ficinus de vita cœlitus comparanda cap. 13. refert Antiquos fabricaſſe imagines ſub certis conſtellationibus omninò efficaces; ut luna ſerpentarium ſubeunte fabricabant ſerpentis figuram utilem ad fugandos veros ſerpentes; Et Magi ad ſanandas ægritudines characteribus uti ſolunt ex quibus ſequitur effectus. Inter illas autem imagines præcipuè celebres ſunt ſtatuæ illæ cereæ, quibus hominis repræſentati fata ita adhærent, ut quidquid in imagine fit, ſentiat ipſe prototypus.

Reſpondeo in primis, Authores, qui his vanitatibus patrocinantur, fateri non vi figuræ artificioſæ, ſed cęleſtis influxus per figuram tanquàm per conditionem attracti hæc omnia fieri. Sed addendum cum D. Thoma Opuſc. 34. ejuſmodi characteres, figuras, & imagines eſſe meras ſuperſtitiones. Vel enim nihil ad præfatos effectus conferunt; vel ſi juvent, hoc non eſt ex virtute naturali, ſed ex virtute dæmonis: qui tacitis iſtis pactis evocatur, & ſeſe ſponte his figuris alligavit ad decipiendos homines. Undè peccatum eſt his vanitatibus, uti vel in illis confidere.

Diço

Dico tertiò. Ars poteſt efficere opera, & motus naturæ non quidem virtute propria, & formas artificiales, ſed utendo virtutibus naturalibus, ſeu ut dici ſolet, applicando activa naturalia poſſit.

Probatur concluſio tùm ratione, tùm experientia. Ratione quidem. Nàm virtus naturalis quantùm ad applicationem plerumque ſubjacet arti; ergò ars poteſt illam applicare, ſicque effectus producere. Experientia quoque: ſic enim Medicus ſanat adhibendo naturalia remedia per artem ſuam: Sic unguenta, liquores odoriferi, colores varii, efficiuntur miſcendo artificiosè res naturales: Sic etiam Dæmones, qui exactè norunt omnes animantium, herbarum, lapillorum, metallorum, & mineralium vires varia, & mira producunt per ejuſmodi virtutes naturales; ut dum in Ægypto per miniſterium Magorum conficiebant ſerpentes, ranas, & alia hujuſmodi.

Dico quartò. Plura tamen naturalia ſunt, quorum virtutes effectrices non ſubjacent arti humanæ; undè illa per artem non poſſunt effici, & inter illa præcipuè eſt aurum, licèt aliquid ſimile auro per metallorum mixtionem forti effici poſſit.

Probatur concluſio, præcipuè de auro, de quo quidam dubitant. Nàm virtus auri productiva non ſubjacet arti; ergò aurum non poteſt effici per artem. Probatur antecedens. Nam virtus auri productiva eſt calor Solis in loco determinato, ubi viget virtutis mineralis; undè, ut de floribus, dicebat Anaxagoras reſpectu formationis auri, fodina eſt veluti mater, & Sol veluti pater, ſed iſta principia non ſubjacent induſtriæ noſtræ, ergò. Probatur minor; non enim poſſumus

mus diſponere de virtute Solis, aut efficere locum aliquem eſſe feracem auri. Hæc ratio eſt D. Thomæ in 2. diſt. 7. quæſt. 3. art. 1. ad 5. quæ adhuc magis.

Confirmatur; Nàm virtus Solis, etiam in locis aptis, ferè integra ſæcula conſumit in formando auro, ergò ridiculum eſt hominem id velle attentare in modico temporis ſpatio, in quo perficiendo efficacior natura tamdiu laborat. Undè nemo dives hac arte effectus, eſt, ſed qui fictitium iſtud aurum quæſivere, verum aurum in fumos converterunt.

Objicies: Poteſt homo ſubſtituere calorem ignis qui promptior eſt, & ardentior quàm ſolaris, ergò poteſt per ipſum efficere aurum; & lentas Solis in hoc opere moras corrigere.

Reſpondeo cum D. Thoma loco jam citato, calorem ignis eſſe omnino ineptum ad formandum aurum: calor enim producit aurum in virtute Solis, cujus eſt virtus inſtrumentaria: undè ſolus calor ſolaris poteſt id præſtare: ſicut ſolus calor cordis, & jecoris poteſt ſanguinem, ſpiritus, & carnem producere. Adde præterea non ſolùm calorem Solis, ſed etiam alias hujus aſtri influentias, quæ ſenſu non percipiuntur, concurrere ad productionem auri, quas ignis, & ars ſupplere non poſſunt

Inſtabis: longè difficilius opus eſt productio animalis, quam productio metalli, quale eſt aurum: ſed calor ignis ſupplere poteſt calorem naturalem, & producere ex ovo animal, v. gr. pullum: ergò à fortiori poterit ſupplere vicem caloris ſolaris, & producere metallum, ſcilicèt aurum.

Reſpondeo negando minorem, quòd ſcilicèt ex ovo calor ignis producat animal; dum enim

pulli

pulli excluduntur ad ignem, & ex ovis formantur, cauſa productionis eorum non eſt calor ignis, ſed virtus ſeminalis incluſa in ovo, & reſidens in quibuſdam ſpiritibus, qui agunt in alias ovi partes & ex eis animal formant, calore extrinſeco ſive avis incubantis, ſive ignis admoti, ſe habente ſolum per modum foventis, & excitantis ejuſmodi ſpiritus; qui, & ab externo frigore enecarentur ſine tali fomento, & ad opus ſuum torpeſcerent, niſi blande caloris extrinſecus admoti ſtimulis urgerentur.

Urgebis poſſumus ſaltem auri ſemina jam vi ſolis diſpoſita colligere, puta ſulphur purum & mercurium, eaque ad calorem ignis maturare, ſicuti virtus ſeminalis latens in ovo eodem calore adjuvatur: ergò, & verum aurum producere.

Reſpondeo aurum non habere ſemen ex quo producatur, proprium enim eſt rerum viventium naſci ex ſemine. Deindè quamquàm ex mixtione ſulphuris, & mercurii; aut alterius ejuſmodi rei, tanquam ex quibuſdam quaſi ſeminibus, fieret aurum, hæc tamen mixtio debet fieri in loco apto, ac longa annorum ſerie à calore ſolari maturari quem ſi ars velit in chymica fornace ſupplere, nihil magis proficiet, quam ſi quis è ſuo ramo decerptum pomum adhuc acerbum ad culinæ focum maturaræ tentaret.

Dices cauſæ ejuſdem ſpeciei poſſunt eoſdem effectus producere: ſed calor ignis, & Solis ſunt ejuſdem ſpeciei: ergò poſſunt eoſdem effectus producere, ac proinde uterque indifferenter poterit concurrere ad productionem auri.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: calor ſolis, & ignis ſunt ejuſdem ſpeciei, in ratione qualitatis, concedo; in ratione virtutis inſtru-

mentariæ, nego. Ratio diſtinctionis eſt, quia virtus inſtrumentaria deſumit ſuam naturam, & efficaciam à cauſa principali cujus eſt virtus, cui ſubordinatur, & deſervit; undè quia Sol eſt longè nobilior in agendo quàm ignis, calor etiam ſolis, qui eſt ejus virtus inſtrumentaria, eſt in ratione virtutis activæ longè nobilior, & efficacior quàm calor ignis. Addendum prætereà, ut jam diximus, non ſolùm calorem Solis, ſed alias hujus aſtri influentias ad formationem auri concurrere, quas calor ignis ſupplere nequit.

Objici præterea ſolent variæ experientiæ; Sed reſpondeo eas omnes eſſe falſas: nec niſi adulterrinum aurum ex iis prodiiſſe: Undè prohibet Eccleſia ejuſmodi aurum pro vero divendere: & qui divendunt ad reſtitutionem tenentur. Immò Beatus Albertus Magnus, qui hac in parte videtur favere Chymicis, attamen fatetur ejuſmodi aurum artificioſum non habere omnes veri, & naturalis auri proprietates: ergò nec naturam habet, ſed ſolùm in fuco conſiſtit, meritòque vocatur à Divo Thoma p. 2. q. 77. art. 2. ad 1. *aurum ſophiſticatum*. Undè dum Sanctus Doctor ibidem dicit, quòd ſi per artem chymicam fieret verum aurum, licitum eſſet ipſum divendere, loquitur in ſuppoſitione, quam tamen reputatur impoſſibilem; ſed qua data venditio eſſet licita, quia tale aurum eſſet ejuſdem naturæ cum auro naturali produceretur enim à quibuſdam virtutibus naturalibus per artem applicatis, ut ibidem dicit. Cæterùm, utrum verum iſtud aurum fiat abſolutè numquam dicit, ſed oppoſitum ibi tradit, & in 2. diſt. 1. quæſt. 3. art. 1. efficaci ratione probat.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De Cauſis in Communi.

PRæcipua ſcientiarum cura occupatur in inveſtigandis rerum cauſis, in quarum cognitione repoſitam eſſe hujus vitæ fælicitatem indicat Eſiodus, dum dixit.

Fælix, qui rerum potuit cognoſcere cauſas.

Undè, ut omnium ſcientiarum ſtudium adiuvetur, hic de ipſis cauſis agendum eſt, per quas omnia innoteſcunt: prius quidem in communi in hac quæſtione: deinde de qualibet ſpecialitèr in ſequentibus. Circa cauſas in communi: Primò, quæretur quid, & quotuplex ſit cauſa. Secundò agetur de proprietate, & nobilitate cauſarum, tùm reſpectu effectus: tùm ad invicem comparatarum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex ſit Cauſa.

CAuſæ vocabulum tripliciter ſumi poteſt Primò pro omni principio: itaut generalitèr omne, à quo aliquid originatur, & procedit, dicatur cauſa. In hoc ſenſu Ariſtoteles appellat privationem *cauſam generationis*. Et Patres Græci hoc modo dicunt Patrem Æternum eſſe *cauſam* Filii à ſumentes *cauſam* pro principio, ut notat Div. Thomas Opuſc. 1. cap. 1. Patres verò Latini dicunt Patrem Æternum non eſſe cauſam, ſed ſolùm principium Filii, quia propriè ſumunt cauſam. Secundò nomen cauſæ ſtrictiſſimè aliquando ſumitur pro ſola cauſa efficienti, utpotè quæ eſt præcipua, & princeps cauſarum in eſſecutione: undè ab ea tanquam manifeſtiori, id, quod cauſatur, dicitur *effectus*. Tertiò demùm cauſa ſumitur medico modo, prout eſt id, quod cauſat, quocunque modo influendo eſſe effectui: Et in hoc ſenſu ſumendo cauſam.

Dico primò: Cauſa rectè definitur, ad quam ſequitur eſſe alterius; ſeu, ex cujus eſſe ſequitur aliud. Ita definiunt cauſam D. Thomas 2. Phyſic. lect. 10. & Opuſc. 31. ubi ly *ſequitur*, debet intelligi non de conſecutione logicali, & ordinis, ſicut linea ſequitur ad punctum, & conſequens ad antecedens; ſed de conſecutione phyſico, quæ fit per influxum phyſicum, realem. Undè ex iſtis definitionibus poteſt elici tertia, dicendo: cauſa eſt principium influens eſſe in aliud.

Explicatur hæc definitio, in qua *principium* tenet

tenet locum generis; cæteræ verò particulæ locum differentiæ: ſiquidem ex communi animi notione cauſa, & effectus ſunt correlativa. Patet autem quòd effectus dicitur id, quod ab alio pendet tanquam a dante ſibi eſſe. Undè ad rationem cauſæ duo requiruntur, ſcilicèt influxus ex parte cauſæ, & diſtinctio cum dependentia ex parte effectus: ſeu ut cauſa realitèr influat eſſe, & illud eſſe realitèr dependeat, proindeque diſtinguatur à cauſa, ut dicit Divus Thomas par. qu. 33. art. 1. ad 1. Hæc autem duo exprimit definitio tradita; influxum quidem, dum cauſa dicitur, *principium influens*: diſtinctionem verò cum dependentia, dum dicitur *in aliud*.

Objicies: Filius æternus ſequitur ad Patrem etiam per realem influxum, & veluti Perſona ab alio diſtincta: & tamen Pater Æternus non eſt propriè cauſa Filii; ergò male definitur cauſa ad quam ſequitur eſſe alterius, ſeu, influens eſſe in aliud.

Reſpondeo primò, quod Filius æternus propriè non ſequitur ad Patrem; quia ſequi eſt poſterioris; Filius autem æternus non eſt poſterior Patre: ut enim docet fides, in Trinitate nihil eſt prius, aut poſterius.

Reſpondeo ſecundò ex Divo Thoma 1. parte, quæſtione 30. articulo 2. ad 2. Filium æternum non procedere à Patre ut *aliud* ab ipſo, ſed ſolùm procedit ut *alius* ab ipſo: ideſt, ut perſonaliter diſtinctus, non tamen ut eſſentialitèr diviſus; Nàm ut advertit Divus Thomas 1. parte, quæſtione 31. articulo 2. ad 4. Genus neutrum, utpotè informe, & minus determinatum, ſignificat perſonam; Undè quærenti, quis eſt iſte, qui vicit Darium: Reſpondemus aſſi-

gnando perſonam, Alexander. Si verò quæritur, quid eſt Alexander: Reſpondemus, aſſignando eſſentiam, ipſum eſſe animal rationale. Ex quo patet quod *aliud* in maſculino ſignificat diſtinctionem perſonæ *aliud* verò in neutro ſignificat diviſionem eſſentiæ. Ad rationem autem cauſæ non ſufficit diſtinctio perſonæ, ſed requiritur diviſio eſſentiæ cauſatæ à cauſante.

Inſtabis; Ad auroram ſequitur dies: ad juventutem adoleſcentia: ad vitam mors: & tamen nec aurora, nec inventus, nec vita habent rationem cauſæ: ergò male dicitur, cauſam eſſe principium, ad quod ſequitur eſſe alterius.

Reſpondeo, hæc omnia ſequi ſolùm impropriè, & conſecutione ordinis, inquantùm unum eſt poſt aliud, non tamen conſecutione propria, & phyſica, quæ eſt per realem influxum; effectus autem debet ſequi ad cauſam conſecutione phyſica.

Dico ſecundò. Quadruplex eſt entis mobilis cauſa, ſcilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis. Ita communiter omnes, meritò; nam ad has quatuor cauſas reduci poteſt quidquid influit eſſe in aliud.

Probatur concluſio: Nàm cauſa eſt principium influens eſſe in aliud, ſed quatuor influunt eſſe enti mobili: ergò ſunt quatuor cauſæ entis mobilis; Probatur minor. In primis enim requiritur materia, ex qua fiat ens mobile, quia ex nihilo nihil fit. Secundò, requiritur forma, per quam fiat, & conſtituatur in ſpecie determinata: Nam materia de ſe indifferens eſt ad omnes rerum ſpecies Tertiò requiritur agens, à quo fiat: Nàm nihil fit à ſe ipſo. Quarto requiritur finis, propter quem fiat: Nàm res naturales non fiunt temerè, ſed propter finem, ut dentes ad inciden-

dos

Digitized by Google

dos cibos, pedes ad ambulandum, &c. ergò quatuor influunt eſſe enti mobili, ſcilicèt materia ex qua fit, forma, per quam fit, agens à quo fit, finis propter quem fit.

Confirmatur concluſio ex D. Thoma 2. Phyſicæ lect. 10. Nam eſſe cauſatum poteſt duplicitèr ſumi; Uno modo abſolutè, & ut eſt conſtitutum in tali ſpecie entis, ut hominis, vel plantæ, & ſic cauſa eſſendi eſt forma, per quam aliquid conſtituitur in determinato modo eſſendi; Alio modo ſecundùm quod eſſe cauſatum reducitur de potentia ad actum, ut ſulphur quod erat in potentia ignis, fit actu ignis; & ſic neceſſe eſt ipſum habere duas alias cauſas ſcilicèt materiam, in cujus potentia præcontineatur antequam fiat, & agentem, quæ reducit materiam de potentia ad actum: nàm quod eſt in potentia, non poteſt ſe reducere ad actum, ſed reduci debet per aliquid exiſtens in actu: ut ſulphur, quod eſt in potentia ignis, fit ignis ab eo, quòd jam eſt actu ignis: Actio autem agentis, ſicut procedit ab aliquo determinato, ita intendit aliquid determinatum, ut facere ſibi ſimile, aut aſſequi id, quod ſibi conveniens eſt; Id autem quod intendit actio agentis dicitur finis; ergò dantur quatuor iſtæ cauſæ, ſcilicèt formalis, materialis, efficiens, & finalis.

Objicies: Objectum eſt aliquomodo cauſa ſcientiæ, & idea cauſa domus, & eſſentia cauſa proprietatum, & malleus cauſa horologii, & fundamentum cauſa relationis; ſed non apparet ad quod genus cauſæ ex prædictis iſta reduci poſſint; ergò ſunt pluſquam quatuor genera cauſarum.

Reſpondeo, hæc omnia reduci ad quatuor cauſas prædictas; objectum quidem reducitur,

vel ad cauſam formalem extrinſecam, quia determinat ſcientiam ad certum genus rei, vel etiam reducitur ad cauſam finalem, quia ſcientia eſt propter objectum. Idea etiam pertinet ad cauſam formalem extrinſecam, ut dicetur quæſtione ſequenti, eſt enim ipſa rei forma in mente artificis præconcepta, eſſentia verò habet quaſi rationem cauſæ efficientis reſpectu ſuarum proprietatum, ut dicit D. Thomas: quia proprietates dimanant ab eſſentia tanquam à fonte ſuo: ut infrà explicabitur. Similitèr fundamentum reducitur ad genus cauſæ efficientis propter eandem rationem: inſtrumenta verò pertinent ad cauſam efficientem, cui miniſterialitèr deſerviunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De proprietate, & nobilitate Cauſarum tùm ad effectum, tùm ad ſe invicem comparatarum.

DIco primò; Omnis cauſa eſt prior ſuo effectu non quidem ſemper prioritate temporis, ſed prioritate naturæ, & dependentiæ. Ita D. Thom. qu. 28. de veritate, art. 7. & communiter alii. Quid autem ſit prioritas naturæ, ſuprà explicatum eſt in Logica, agendo de poſt prædicamentis.

Probatur concluſio, & in primis, quòd cauſa non ſit ſemper prior tempore, conſtat: Nàm Sol non eſt tempore prior luce, quam cauſat, nec materia prior compoſito, ſub quo creata eſt. Quod autem cauſa ſit prior natura ſuo effectu, probatur; Nam prioritas naturæ in eo conſiſtit, ut unum dependeat ab alio, & ab

illo

Digitized by Google

illo procedat: Atqui omnis effectus realitèr dependet à ſua cauſa, & ab illa ut à principio ſuo procedit: ergò omnis cauſa eſt prior effectus prioritate naturæ.

Objicies; Correlativa ſunt ſimul natura, ut dictum eſt in Logica; Sed effectus, & cauſa ſunt invicem correlativa; ergò ſunt ſimul natura: ac proindè cauſa non eſt prior natura ſuo effectu.

Reſpondeo diſtinguendo majorem; Correlativa ſunt ſimul natura, quantùm ad ipſos reſpectus formales, concedo; quantùm ad entitates fundantes iſtos reſpectus, nego. Et ſimilitèr, conceſſa minori, diſtinguo conſequens; ergò cauſa, & effectus ſunt ſimul natura, quantùm ad, ipſam relationem formalem, concedo: quantùm ad ipſam entitatem, nego. Explicatur: Cauſa, & effectus poſſunt dupliciter ſumi: Primò, relativè; ſeu quantùm ad ipſam relationem mutuam, quam dicunt ad invicem; & hoc modo non ſe præcedunt, ſed ſunt ſimul etiam natura, Nàm impoſſibile eſt, ut cauſa referatur ad effectum, niſi effectus etiam referatur ad cauſam. Secundo modo ſumi poſſunt entitativè, ideſt ſecundùm proprias entitates; & hoc modo cauſa debet eſſe prior effectu, quia entitas effectus procedit ab entitate cauſæ, tanquam à principio, à quo pendet; ac proindè tanquam à priori.

Dico ſecundò; Cauſa materialis, & formalis ſunt minùs nobiles quàm effectus.

Concluſio facilè probatur; Nàm pars eſt minùs nobilis quàm totum: ſed cauſa materialis & formalis (ſaltem intrinſeca, de qua ſolùm loquimur) cauſant per modum partis componendo totum; ergò ſunt minùs nobiles quàm effectus, ſcilicèt totum compoſitum. Dixi autem, cauſa formalis ſaltem intrinſeca, quia

cauſa idealis, quæ vocatur *forma extrinſeca*, eſt ut plurimùm nobilior ſuo effectu. Sic enim ideæ Divinæ ſunt nobiliores creaturis, & exemplar nobilius exemplato.

Dico tertiò: Cauſa finalis principalis in agentibus benè ordinatis debet eſſe nobilior effectu; Aliquando tamen ex de ordinatione operantis poteſt eſſe ignobilior.

Probatur prima pars; Quia, ut dicit D. Tho. in 2. diſt. 15. art. 1. *inconveniens eſt, quod aliquid ſit propter utilius ſe* (intellige principalitèr, ut ipſe ſtatim ſe explicat: nam ſecundariò, & minùs principaliter poteſt aliquid eſſe propter ignobilius, ut Rex eſt etiam propter ruſticos proregendos.) Atqui effectus eſt propter ſuum finem ergò inconveniens eſt, ut effectus ſit nobilior fine. Undè natura, quæ ordinatè agit, ſemper refert ignobiliora ab nobiliora, tanquam ad finem, ut pluvias ordinat ad plantas, plantas ad pecudes, pecudes ad hominem hominem ad Deum.

Secunda verò pars patet experientia, qua videmus homines inordinatè agentes nobiliora referre ad viliora, ut mali politici referunt religionem ad regnandum; mali ſacerdotes diſpenſant ſacra propter lucrum, vani homines referunt eleemoſynam ad vanagloriam.

Dico quartò. Cauſa efficiens principalis eſt, vel nobilior effectu, vel æquè nobilis. Ita communitèr omnes.

Probatur concluſio ex D. Thom. 1. p. q. 4. ar. 2. Omnis enim cauſa efficiens, vel eſt cauſa univoca, vel cauſa æquivoca; ideſt, vel eſt ejuſdem ſpeciei cum ſuo effectu ut homo generans hominem univocè convenit cum illo; vel eſt ſublimioris ordinis, ut Sol producens aurum, & gem-

gemmas non eſt ejuſdem ſpeciei cum illis, ſed ſublimioris. Si cauſa efficiens ſit univoca, patet quod eſt æquè nobilis, & ejuſdem ſpeciei cum effectu; ſi ſit æquivoca, eſt nobilioris ſpeciei; ergò ſemper cauſa efficiens, vel eſt æquè nobilis, vel nobilior effectu.

Confirmatur; Quod præhabet in ſua virtute omnem perfectionem alterius, eſt ſaltem æquè perfectus; ſed cauſa efficiens præhabet in ſua virtute omnem perfectionem effectus; ergò eſt ſaltem æquè perfecta: Minor patet: cùm enim nemo det, quod non habet, neceſſe eſt cauſam efficientem præhabere in ſua virtute perfectiones effectus, Major verò conſtat; *Nam*, ut dicit D. Thom. 1. p. qu. 4. artic. 2. *præexiſtere in virtute cauſæ agentis, non eſt præexiſtere modo imperfectiori, ſed perfectiori; Agens enim inquantùm ejuſmodi eſt perfectum.*

Objicies: ſæpè homo ſtupidus generat filium ingenioſum, deformis pulcrum: infirmus robuſtum: ergò aliquando cauſa efficiens eſt ignobilior effectu.

Reſpondeo primò has omnes perfectiones eſſe ſolùm accidentales homini; Concluſio autem intelligitur de perfectione eſſentiali.

Reſpondeo ſecundò, aliquando hominem in aliis dotibus imperfectum, eſſe tamen in ratione cauſæ perfectum; inquantùm habet virtutem productivam efficacem: ſicut è contra contingit aliquem in cæteris dotibus perfectum, eſſe tamen in ratione cauſæ perfectiſſimum, inquantùm vis ejus productiva eſt languida, & exhauſta: Indè ſæpè contingit homines perfectiſſimos, & ingenioſos gignere filios ſtupidos, eò quòd operationes animales conſumant omnes ſpiritus ad miniſtrandum ingenium: undè facultas genera-

tiva remanet exhauſta, languida, & inefficax. Sic Salomon ſapientiſſimus genuit unicum filium, ſcilicet Roboam, eumque ſtultiſſimum: Cicero ingenioſiſſimus filium reliquit hebetem; Africanus fortiſſimus filium ignavum, &c.

Reſpondeo tertiò: Non ſolùm patrem, & matrem, ſed etiam aſtra conferre ad perfectionem prolis: undè fit, ut qui naſcuntur ſub meliori ſiderum aſpectu, ſint etiam feliciori indolis.

Inſtabis: Aſinus cum equa producunt mulum: ſed mulus eſt etiam ſpecificè perfectior aſino: ergò effectus poteſt eſſe perfectior cauſa.

Reſpondeo, aſinum non eſſe cauſam totalem muli: undè mirum non eſt, ſi mulus ſuperet aſinum, quia in quo excellit, trahit à matre equa; mulus enim eſt medius inter equam, & aſinum; Ab aſino habet duritiem carnis, patientiam laboris tarditatem, & ſtupiditatem complexionis: ab equa verò habet magnitudinem, & robur corporis, & aliquid generoſitatis præ aſino. Cæterùm utrum id habeat equa per concurſum, vel activum, vel paſſivum, nihil refert; certum enim, eſt habere aliquomodo ſaltem effectivè; nam etiam mater reducitur ad genus cauſæ efficientis.

Dices: Aſtra ſunt cauſæ efficientes rerum viventur, nam *ſol, & homo generant hominem*, inquit Ariſtoteles; immò Sol ſe ſolo generat ſerpentes, & herbas: ſed viventia ſunt perfectiora cœlis, & aſtris, utpotè inanimitatis, ergò effectus eſt perfectior cauſa.

Reſpondeo cum D. Th. 1. p. q. 70. art. 3. ad 3. corpus cœleſte, cùm ſit movens motum, habere rationem inſtrumenti, quod agit in virtute cauſæ principalis. Undè cœli, & Aſtra non habent præcisè ex ſe ipſis, ſed ex virtute Angeli moto-

ris,

ris, quod poſſunt cauſare vitam; conſtat autem cælum cum Angelo motores eſſe quid perfectius viventibus ſublunaribus.

Dico quintò; Cauſæ ita invicem diſponuntur, & ut cauſalitas materiæ præcedat cauſalitatem formæ: Cauſalitas verò agentis præcedit utramque: & demùm cauſalitas finis eſt prior omnibus aliis.

Probatur concluſio quod omnes partes ſimul: Nàm in cauſando is ordo ſervatur, ut agens motus à fine reducat materiam ad actum, ipſi communicando formam; ergò finis eſt primus in cauſando; ſiquidem movet ipſum agens, à quo movetur materia, quæ proindè eſt poſterior agente, ſed tamen præcedit formam inquantùm eſt ejus ſubjectum receptivum. Undè forma eſt ultima in cauſando, ideòque dicitur à D. Thom. *terminus generationis*.

Dices; Actio agentis ſupponit materiam ex qua agat; ergò materia eſt prior cauſalitate agentis.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens; Actio agentis ſupponit materiam, quantùm ad ejus entitatem concedo; quantùm ad cauſalitatem ipſius, nego: Ideſt, entitas quidem materiæ ſupponitur ad actionem agentis; attamen illa entitas nunquam ſit cauſans niſi priùs agens agat, ipſamque materiam reducat ad actum.

Dico ſextò. Cauſalitas formalis eſt nobilior materiali; efficiens verò nobilior utraque: & tandem cauſalitas finalis eſt omnium nobiliſſima. Concluſio eſt communis, & deſumitur ex D. Th. Opuſc. 31.

Probatur quantùm ad omnes ſuas partes & quidem quod forma ſit nobilior materia, patet. Nam forma eſt perfectio, & actus materiæ;

ut autem dicit D. Thomas, *in omnibus, quæ dividuntur per formam, & actum, actus eſt nobilior ſua potentia.* Quòd verò cauſa efficiens ſit nobilior materia, & formam etiam conſtat ex dictis; nam cauſa efficiens eſt ad minus æquè nobilis, ac totum compoſitum, quod eſt ipſius effectus; ſed materia, & forma ſunt ignobiliores compoſito, ut ſupra dictum eſt ergò materia, & forma ſunt ignobiliores cauſa efficiente. Quòd demùm finis habeat modum cauſandi omnium præſtantiſſimum, probatur: tùm quia modus ejus cauſandi eſt ſpiritualior; tùm quia ipſa movet immota, qui modus movendi videtur maximè nobilis & divinus: tùm demùm quia eſt veluti regina cæterarum cauſarum: ut enim dicit Div. Tho. 2. Phyſ. lect. 5. cauſa finalis eſt cauſa omnium aliarum, ſiquidem agens non agit niſi motum à fine, ipſaque forma ordinatur ad finem; v. g. forma navis ad navigationem: undè finis dicitur cauſa cauſarum cùm ſit cauſa omnium aliarum cauſalitatum, & ejus cauſalitas à nulla alia cauſetur, ſicut dicit, & oſtendit Div. Thom. Opuſ. 30.

Objicies; Finis ſæpè producitur ab ipſo efficiente, ut ſanitas quæ eſt finis Medici, cauſatur à Medico: ergò cauſa efficiens eſt nobilior finali.

Reſpondeo ex D. Thoma diſtinguendo antecedens: finis cauſatur ab agente, quantùm ad ſuam entitatem, concedo: quantùm ad ſuam cauſalitatem, nego: quæ diſtinctio applicanda eſt etiam conſequentiæ: licèt enim Medicus cauſet ſanitatem non eſt tamen cauſa, ut ſanitas ſit finis, ſed potiùs ipſa ſanitas eſt finis faciens Medicum eſſe Medicum, quia Medicus non exercet Medicum niſi propter ſanitatem.

Quæ-

Quæres, quomodo intelligatur illud axioma, *cauſæ ſunt ſibi invicem cauſæ*.

Reſpondeo ex D. Thoma 5. Metap. lect. 2. quod cùm ſint quatuor cauſæ, earum duæ ſibi invicem correſpondent, ſcilicèt materia cum forma, & efficiens cum finali. Cujus ratio eſt, quia efficiens eſt principium motus, finis verò eſt terminus motus. Similiter forma dat eſſe materiæ, & materia recepit eſſe à forma; Terminus autem, & principium, dare, & accipere ſibi correſpondent. Cùm ergò dicitur, quòd cauſæ ſunt ſibi invicem cauſæ, hoc intelligendum eſt de cauſis ſibi correſpondentibus, itaut materia, & forma ſint ſibi invicem cauſę, & forma ſimiliter cauſa efficiens, & finalis. Hoc autem ita explicari poteſt, quia materia ſuſtentat formam, forma verò actuat materiam, ſuſtentare autem, & actuare eſt cauſare; undè forma eſt cauſa materiæ, inquantùm illam actuat; materia verò eſt cauſa formæ, inquantùm eam ſuſtentat: Finis autem dupliciter conſiderari poteſt, vel in intentione, vel in executione, ſeu ut loquitur D. Thomas, ſecundùm cauſalitatem, & ſecundùm eſſe; finis, ut intentus movet cauſam efficientem, finis verò ut obtentus cauſatur ab ipſo agente: Et ideò finis eſt cauſa ipſius cauſæ efficientis: cauſa verò efficiens cauſat ipſum finem quantum ad eſſe. Sic Medicus, cujus filius ægrotat, movetur à ſanitate filii, quam intendit ad applicanda remedia; & per applicationem remediorum obtinet ſanitatem: undè ſanitas intenta cauſat movendo Medicum, ſanitas verò ut obtenta cauſatur à Medico.

Digitized by Google

QUÆSTIO TERTIA.

De Cauſis Materiali, & Formali.

LEgimus in prima diſputatione de materia, & forma, ut ſunt principia, & partes entis naturalis, nunc de illis agendum eſt, ut ſunt cauſæ; non enim ſolùm habent rationem principii, ſed etiam rationem cauſæ influentis in eſſe rerum naturalium. Sed quia graviores difficultates, quæ circa materiam, & formam diſcuti ſolent, ſupra expeditæ ſunt, ideò ſolum agendum ſupereſt de modo, quo cauſant: Præcipuè verò forma extrinſeca, ſeu idea, de qua ſpecialitèr ſermo fieri ſolet in hac diſputatione. Undè præſens quæſtio dividitur in duos articulos, quorum primus erit de modo cauſandi materiæ, & formæ; ſecundus de idea, ſeu de forma extrinſeca.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Materia, & Forma cauſent.

CIrca modum cauſandi materiæ, & formæ quatuor quæri poſſunt. Primo per quid conſtituantur in ratione cauſæ. Secundò, quænam ſit earum cauſalitas. Tertiò, quæ conditiones requirantur, ut cauſent. Quartò, quiſnam ſit proprius utriuſque effectus.

Dico primò: Materia, & forma conſtituuntur in ratione cauſæ per propriam entitatem.

Probatur concluſio; Nam materia, & forma ſunt cauſæ inquantùm poſſunt influere in effectum, ſcilicèt in compoſitum: materia quidem per modum potentiæ recipientis, forma verò per modum actus conſtituentis in ſpecie determinata; Sed materia per propriam entitatem habet, quod poſſit recipere formam, & forma per propriam entitatem eſt actus materiæ; ergò ſunt cauſæ per propriam entitatem.

Dico ſecundò: Cauſalitas materiæ, & formæ non conſiſtit in aliquid utrique ſuperaddito, ſed præcisè in communicatione propriæ entitatis.

Declaratur concluſio, Cauſalitas enim materiæ & formæ eſt id, per quod fiunt actu cauſantes: atqui cauſant actu compoſitum communicando propriam entitatem; ergò cauſalitas materiæ, & formæ ſolùm conſiſtit in communicatione propriæ entitatis. Probatur minor: Nàm materia, & forma cauſant per modum partis; ſed cauſalitas partis conſiſtit in hoc, quòd communicet ſe ipſam, toti: ergò etiam cauſalitas

mate-

Digitized by Google

materiæ, & formæ conſiſtit in tali communicatione. Adde prætereà, quòd cauſalitas, formæ conſiſtit in eo, quòd informet materiam, cauſalitas verò materiæ, in eo, quod ſubſtentet formam; ſed per ſe ipſam forma eſt actus materiæ, & materia eſt potentia ſuſtentativa formæ; ergò cauſant per ſe ipſas.

Dico tertiò; Conditiones requiſitæ ad hoc ut materia; & forma cauſent, ſunt primò quidem influxus cauſæ efficientis formam materiæ applicantis: Secundò, diſpoſitiones tùm præviæ, quibus materia præparetur ad recipiendam formam, tùm concomitantes, quæ redant materiam capacem retinendi formam.

Concluſio patet: Et in primis, quòd requiratur influxus cauſæ agentis; manifeſtum eſt; Nam materia, & forma in ſua cauſalitate dependent à cauſa efficiente. Uudè videmus lucem non informare aerem, niſi per influxum Solis, quo ſublato lux amplius non informat aerem; Quod verò requirantur etiam diſpoſitiones, ex eo patet; quod materia non recipit formam, niſi ad ſint diſpoſitiones ad talem formam, quibus ſublatis tollitur & ipſa forma. Sic in homine tandiù ſolùm remanet anima in corpore, quandiù corpus eſt ſufficienter diſpoſitum ad animam: & quando per modum tolluntur diſpoſitiones à corpore, ſtatim recedit anima.

Ex his infertur, quod in cauſa formali, & materiali, eſſe cauſativum in actu ſecundo non addit aliquam formalitatem intrinſecam ſuprà ſe cauſativum in actu primo, ſed ſolùm ipſam actionem agentis formam materiæ applicantis; ut anima, quæ de ſe eſt informativa corporis in actu primo; adhoc ut informet in actu ſecundo; nihil ampliùs requirit niſi actio agentis eam applican-

plican-

plicantis corpori, & producentis diſpoſitiones ad talem unionem requiſitas: Et hoc eſt quod D. Thomas intendit, dum ſæpè repetit, *nihil aliud requiri, ut forma actuet materiam præter actionem agentis reducentis materiam de potentia ad actum*.

Dico quartò; Effectus ultimus materiæ, & formæ eſt totum compoſitum.

Concluſio patet: nàm materia, & forma ad hoc uniuntur, ut conſtituant ipſum compoſitum; ergò reſpiciunt illud tanquam effectum ſuum. Attamen præterea diſtingui poſſunt plura munera, ſeu plures inadæquatæ cauſalitates materiæ, & formæ; In primis enim materia cauſat generationem per modum ſubjecti ipſius: cauſat etiam formam per modum potentiæ, ex qua educitur, & in qua recipitur, fovetur, & ſubſiſtit: forma etiam cauſat generationem per modum termini ipſam complentis cauſat materiam per modum actus dantis ipſis exiſtentiam; & demùm præterea expellit veterem formam à materia, ut eam poſſit occupare.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

De Cauſa Formali extrinſeca, ſcilicèt Idea.

FOrma ſolet dividi in intrinſecam, & extrinſecam. Forma intrinſeca eſt, quæ conſtituit rem per modum partis componentis; extrinſeca eſt, quam res imitatur. Hæc à Græcis vocatur : ideſt latinè, *forma*, ſeu *ſpecies*, eò quòd ab illa ideatum ſortiatur ſpeciem non quidem per modum compoſitionis, ſed per modum imitationis. Circa ejuſmodi ideam tria quæruntur, Primò, an detur; Secundò, quid ſit: Tertiò, ad quod genus cauſæ reducatur.

Dico primò: Neceſſe eſt dari cauſam idealem. Ita communiter tenent omnes. Et quidem dari in Deo ejuſmodi ideas, probant Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 15. art. 1. univerſalitèr autem ideas eſſe admittendas.

Probatur ratione D. Thomæ. Idea eſt forma intelligibilis rei faciendæ in mente artificis præconcepta: ſed neceſſe eſt dari talem formam in mente artificis præconceptam, ergò datur idea. Minorem probat D. Thomas quadruplicitèr variis in locis; primò quia agens intellectuale debet habere apud ſe rationem ſui operis, aliàs enim ageret ignorantèr, & cæco modo, quod eſt contrà rationem agentis intellectualis; Sed iſta ratio operis faciendi eſt ipſa idea, ſeu forma intelligibilis; ergò neceſſe eſt artificem habere ideam.

Secundò: Quia artifex non agit temerè, & caſu, ſe ex intentione formandi ſuum opus ad certam entis ſpeciem, atqui non poteſt habere talem intentionem, niſi habeat formam intelligibi-

gibi-

gibilem operis faciendi, nihil enim eſt intentum quin ſit præcognitum: ergò debet habere formam intelligibilem ſui operis, ad quam veluti ad ſcopum intendat.

Tertiò. Quia artifex de ſe eſt indeterminatus ad plura operum genera: ut ad navim, domum, turrim, & alia ejuſmodi; ergò debet determinari interius per aliquam formam intelligibilem; ſicuti, & materia de ſe indifferens ad hoc, ut ſit in certa ſpecie entis debet determinari per aliquam formam intrinſecam. Conſequentia patet: nam ab indifferenti, ut tali nihil determinatum poteſt procedere.

Quartò: Quia omne agens intendit producere ſibi ſimile, ut probat Ariſtoteles ſive de agentibus naturalibus, ſive de intellectualibus; ergò neceſſe eſt ut ſimilitudo rei faciendæ, præexiſtat in agente; naturalitèr quidem, ſi agens ſit naturale, ut ſimilitudo filii geniti præexiſtit naturalitèr in parte, intelligibilitèr verò, ſi ſit agens intellectuale: Et hæc ſimilitudo intelligibilis vocatur idea.

Dices: Ariſtoteles primo Metaph. ait; *Dicere exemplaria* ideſt; ideas *eſſe vaniloquium eſt, & Poetica metaphora*; ergò ſecundùm Ariſtotelem non datur ideæ.

Reſpondeo cum D. Thoma, Ariſtotelem ibi ſolùm rejicere ideas, quales ſupponebat poni à Platone, ideſt quæ eſſent ſubſtantiæ extra res ipſas, & Divinum intellectum exiſtentes non enim idea eſt ſubſtantia, ſed forma exiſtens in mente artificis. Undè Ariſtoteles dicit, modum loquendi Platonis eſſe hac in parte ſimilem Poeticis metaphoris, quia ſicut Poetæ fingunt fortunam, vel virtutem, vel gloriam, vel famam, vel furiam eſſe quaſdam res ſubſiſtentes, & quædam

dam Numinum, à quibus producantur effectus qui tribuuntur talibus rebus; ita quoque Plato videbatur loqui de ſuis ideis, tanquàm de rebus ſubſiſtentibus: undè hunc loquendi modum tanquam poeticum, & fabuloſum rejicit Ariſtoteles.

Dico ſecundò: Idea rectè definitur, forma, quam aliquis imitatur ex intentione agentis ſibi finem determinantis, ſeu ad quam reſpiciens artifex operatur. Utraque definitio deſumitur ex D. Th. q. 3. de ver. art. 1. & ex Auguſtino 12. de Civit. cap. 25.

Explicatur, *Forma*, tenet locum generis, cæteræ verò particulæ diſtinguunt ideam ab aliis formis: Nàm idea non format compoſitivè: ſed imitativè, inquantùm ad illam reſpiciens artifex ſuum opus ad inſtar ejus efficit. Ubi obſervandum, quod quia unus artifex adjuvatur ex operibus alterius peritioris ad formandam illam ſimilitudinem intelligibilem operis faciendi; ut Pictor ex tabella famoſioris Pictoris, v.g. Michaelis Angeli, aut Urbini, format ſibi ideam interiorem quam imitatur: ideò exemplar ſeu idea non ſolum dicitur de illa ſimilitudine, quam artifex in mente ſua præconcipit, ſed etiam de objecto externo elegantiori, quod ſibi proponit imitandum.

Colliges primò ex hac definitione, ideam non eſſe ſpeciem impreſſam ab objectis, ſed ſpeciem ab intellectu artificis expreſſam, ſeu excogitatam ut loquitur D. Thomas quæſt. 3. de verit, art. 2. Duplex enim in intellectu eſt ſpecies, altera impreſſa ab objectis, altera expreſſa ab intellectu, in qua rem contemplatur, ut dicetur in lib. de anima. Idea ergo non eſt illa ſpecies, quam imprimunt objecta, ſed quam exprimit, & for-

& format artifex adiutus aliquãdo ab objectis externis: Et ratio eſt, quia ſpecies impreſſa non eſt id, quod cognoſcitur, ſed ſolùm id, quo cognoſcimus; ergò non poteſt eſſe id, quod artifex reſpicit, nec proinde idea.

Colliges ſecundò ideam non eſſe qualemcunque ſpeciem expreſſam ab intellectu, ſed ſolùm eam, quæ dicit reſpectum imitabilitatis, ſeu ſecundùm quam artifex intendit aliquid formare, ut dicit D. Th. qu. 3. de verit. artic. 2. undè dum concipio, immò intra me exprimo conceptum floris, equi; cœli, aut alterius rei naturalis, talis conceptus non eſt idea, quia non dicit ordinem ad opus Non enim poſſum reducere hunc conceptum ad praxim, & illum imitando producere floris, vel cœli ſubſtantiam: ſed dum intendo conſtituere domum, cujus formam in mente mea excogito, ut illam ad opus applicem, talis conceptus eſt idea.

Dico tertiò. Idea magis propriè reducitur ad genus cauſæ formalis. Ita communiter omnes, qui diſtinguunt duplex genus cauſæ formalis, quorum Prima informat per inhærentiam, & dicitur forma intrinſeca; altera informat per imitationem, & dicitur exemplar ſeu idea.

Probatur concluſio, tùm ex communi loquendi uſu: Nam idea præconcepta operis faciendi ſolet à nobis vocari forma, ſeu ſpecies operis; ergò ſi cauſet, cauſat per modum formæ: tùm quia forma eſt, quæ determinat rem ad certum eſſendi genus; ſed idea determinat rem ad certum eſſendi genus: ergò, &c. Probatur minor: Idea enim determinat agens intellectuale, à quo res ideata procedit: ergò determinat etiam ipſum opus non quidem intrinſecè ipſum componendo, ſed veluti in ſuo fonte, & radice; non per intrin-

ſecam

ſecam conſtitutionem ſicut forma inhærens, ſed per imitationem, inquantum ipſum opus ſpeciem ſortitur ex imitatione ſuæ ideæ.

Objicies: Idea non format opus; ergò non cauſat ipſum per modum formæ? Probatur conſequentia: Nàm cauſalitas formæ conſiſtit in informando.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Idea non informat opus, per ſe ipſam componendo, concedo; per ſui imitationem, nego. Ut enim obſervat D. Tho. q. 3. de verit. art. 3. duplicitèr poteſt aliquid informare; primò, per inhærentiam: ſecundò; per imitationem, & hoc modo idea informat, quia opus nihil aliud eſt, quàm imitatio ideæ.

Dico quartò; Idea etiam pertinere poteſt aliquomodò ad cauſam efficientem, & finalem. Probatur prima pars, quæ eſt D. Thom. q. 3. de ver. art. 1. tùm quia per ideam ipſe artifex, qui eſt cauſa efficiens, completur, determinatur, & dirigitur ad faciendum opus; ergò idea pertinet aliquomodò ad cauſam efficientem; undè Div. Dionyſius dicit, *ideas divinas eſſe rerum omnium productivas:* tum quia ut ſæpe dicit Div. Thomas, forma illa intelligibilis ita ſe habet ad agens naturale: ſed forma agentis naturalis eſt principium effectivum, quo agens agit: ergò etiam forma intelligibilis aliquomodo eſt principium effectivum, quo agens agit.

Probatur etiam ſecunda pars: tùm quia ut dicit D. Thomas 3. contr. Gent. c. 19. *Ideatum eſt propter ideam; ſi quidem perfectio ideati, & exemplati eſt, ut aſſequatur ſimilitudinem ſui exemplaris*: ergò idea, ſeu exemplar habet rationem finis: tùm quia ipſe artifex per ſuam actionem intendit exprimere exteriùs, & veluti

par-

Digitized by Google

parturire ſuam ideam; ergò idea ut exterius exprimenda eſt veluti finis agentis. Undè idea dicitur, ad quem intendens artifex operatur, quæ verba, ut obſervat Divus Thomas quæſt. 3. de verit. exprimunt aliquam cauſalitatem finis.

Quæres, in quibus operibus, & agentibus locum habeat idea?

Reſpondeo, ideam habere locum reſpectu omnium agentium intellectualium; & ideò omnia artificialia procedunt ab aliqua idea, quam ſibi artifex proponit in opere imitandam. In naturalibus verò idea non habet locum, quatenùs opus naturale procedit à cauſa ſecunda; non enim ignis ignem, aut quercus quercum producit per ideam priùs excogitatam; Quia tamen, ut notat D. Thomas, opus naturæ eſt opus alicujus intelligentiæ, ſcilicèt Divinæ: & totus ordo univerſi comparatur ad Deum veluti artefactum ad ſuum artificem: ideò in omnibus etiam naturalibus locum habet idea, quatenùs totus mundus productus eſt à Deo, cujus ideam in ſuo intellectu ab æterno præconceperat. Undè Div. Dionyſius dicit: *Omnium rerum, quæ in hoc mundo fiunt, ideas exiſtere apud Deum.* Et Boetius Deum alloquens ait.

——— *Tu cuncta ſuperno.*
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe.
Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans.

QUÆSTIO
QUARTA.

De Cauſa Efficiente.

CIrcà cauſam efficientem quinque conſiderari poſſunt. 1. Quid, & quotuplex ſit: 2. Quodnam ſit principium radicale cauſandi. 3. Quodnam ſit principium proximum cauſandi. 4. Quid ſit cauſalitas cauſæ efficientis: Et 5. Agi poteſt de inſtrumentis: quibus utitur cauſa efficiens. Undè tota hæc quæſtio dividitur in quinque articulis, in quorum primo explicatur quid, & quotuplex ſit cauſa efficiens: ſecundo, agitur de principio, quo cauſa efficiens agit: in tertio, an forma ſubſtantialis ſit immediatum principium agendi, vel egeat miniſterio accidentium: in quarto, quid ſit cauſalitas cauſæ efficientis, ubi etiam agitur de reſultantia, ſeu dimanatione; in quinto, demùm agitur de inſtrumentis.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex ſit Cauſa Efficiens.

DIco primò: Cauſa efficiens rectè definitur, principium extrinſecum à quo primò profluit motus, ſeu rei productio. Definitio deſumitur ex Ariſtotele lib. 2. phyſ. cap. 3.

Explicatur: Dicitur in primis *Principium*, per quod convenit cum aliis cauſis, additur *extrinſecum*, per quòd diſtinguitur à materia, & forma, quæ ſunt principia intrinſeca, additur *à quo primo profluit motus*, ut diſtinguatur à privatione, & termino à quo, qui licèt ſit principium, attamen non influit in motum, ſed potiùs derelinquitur in motu.

Objicies: Hæc definitio convenit cauſæ finali: ergò non eſt bona. Probatur antecedens: quia à fine tanquàm à principio extrinſeco incipit motus, ſiquidem agens non agit, niſi quatenùs movetur à fine: ergo motus prius incipit à fine, quam agente.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem dico cauſam finalem non incipere motum, ſed ſolùm excitare agens ad illum incipiendum, ut oblata Pictori pecunia nec movet penicillos, nec Colores applicat, nec imaginem format, ſed ſolùm excitat Artificem ad incipiendum motum, per quem hæc omnia fiunt: Undè ipſe Artifex eſt, à quo primò profluit, & incipit motus: finis verò ſolùm incitat ad incipiendum. In forma verò diſtinguo: finis eſt, à quo

Digitized by Google

incipit motus, executivè, nego: intentivè, concedo: ideſt finis eſt, qui cauſat intentionem incipiendi motum, ſed cauſa efficiens eſt, quæ prima exequitur talem motum.

Inſtabis; ergò Deus ſolus eſt cauſa efficiens: Probatur conſequentia: nam ab illo ſolo incipiunt omnes motus, cum ipſe ſit primus motor.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ad probationem dico ly *primo*, intelligi debere non quidem abſolutè, ſed reſpectu aliarum cauſarum alterius ordinis, ſcilicèt, & formalem, & materialem. Licèt autem cauſa efficiens ſit inter alias prima, quæ incipit motum, attamen rurſus inter cauſas efficientes datur ordo, inquantùm inferiores non movent, niſi priùs moveantur à ſuperioribus, ut Deus movet Angelos, Angeli movent cælos, cœli plantam, planta ſemen ſuum, ſemen verò producit aliam plantam.

Dividitur autem cauſa efficiens, primò in cauſam per ſe, & cauſam per accidens: Cauſa per ſe eſt, à qua ut tali procedit effectus, ſeu quæ ex ſe habet connexionem cum effectu, ut ignis dicitur per ſe cauſa combuſtionis, quia combuſtio eſt per ſe connexa cum igne; cauſa verò per accidens eſt, cui accidit conjungi cum effectu producto: hoc autem duplicitèr contingere poteſt; primò ex parte cauſæ, quando ſcilicèt aliquid eſt accidentalitèr conjunctum rationi agendi, ut quando aliquis eſt ſimul Medicus, & Muſicus, Medicus per accidens eſt cauſa cantus, inquantùm ſcilicèt accidentale eſt, ut medicina conjungatur muſicæ; quæ eſt ratio canendi, ſecundò ex parte effectus; quando ſcilicèt effectui per ſe conjungitur accidentalitèr alius effectus, tunc enim cauſa dicitur accidentalitèr pro-

Digitized by Google

producere talem effectum conjunctim; ſic dum aliquis effodiendo ſepulchrum invenit theſaurum, dicitur cauſa per accidens inventionis theſauri, quia talis inventio accidentalitèr fuit conjuncta effuſſioni, quam per ſe intendebat.

Dividitur ſecundò in cauſam principalem, & inſtrumentalem. Cauſa principalis eſt, quæ agit in virtute propria, ut arbor eſt cauſa principalis alterius arboris, quia virtus generativa eſt propria arbori producenti. Inſtrumentalis verò eſt, quæ agit in virtute alterius: undè non ſibi, ſed alteri operatur, ſicut ſervus non ſibi laborat, ſed domino. Sic maleus producens horologium eſt ſolum cauſa inſtrumentalis, quia motio artificioſa, qua producit horologium, non eſt propria malei, ſed artificis.

Tertiò, cauſa principalis dividitur in primam, ſcilicèt Deum, & ſecundam, ſcilicèt agens creatum. Cauſa prima efficiens eſt, quæ nec virtutem ſuam: nec uſum illius virtutis ab alia cauſa recipit. Cauſa verò ſecunda eſt, quæ propriam virtutem, & ejus uſum recipit ab alia. Sic omnes creaturæ proprias virtutes activas recipiunt à Deo, à quo etiam moventur, & applicantur, quando agunt.

Quartò, dividitur in cauſam univerſalem, & cauſam particularem. Cauſa particularis eſt, quæ unam duntaxat ſpeciem effectus producit, ut ignis ignem, animal aliud animal. Cauſa verò univerſalis, eſt cujus virtus ſe extendit ad varias effectuum ſpecies, ut Sol producit plantas, metalla, animantia, &c.

Quintò, dividitur in cauſam univocam, quæ ſcilicèt producit effectum ſibi in ſpecie ſimilem; ut leo leonem: & æquivocam, quæ produ-

Digitized by Google

cit effectum ſibi in ſpecie diſſimilem, ut Luna producit argentum ſibi ſolùm imperfectè ſimile, ſed diverſum ſecundùm ſpeciem.

Sextò; dividitur in cauſam proximam, & cauſam remotam; unius enim effectus ſæpè duplex eſt cauſa; una immediata, quæ proximè influit ipſum, alia radicalis, quæ ſolùm remotè ipſum cauſat. Sic turbatio pulſus eſt proximè ab immoderato calore cordis, radicaliter verò cauſatur a febri, vel humore maligno.

Septimò, dividitur in cauſam liberam & neceſſariam. Neceſſaria eſt, quæ agit ex impetu naturæ, nec actionem ſuam ad libitum moderari poteſt: ſic Sol neceſſariò profundit lucem, & ignis calorem; Cauſa libera eſt, quæ agit ex electione propria, ſuæque actioni dominatur: itaut poſſit eam vel ponere, vel ſuſpendere: prout viſum fuerit.

Octavò, dividitur in cauſam totalem, quæ totalitèr, & ſola in ſuo genere producit effectum: ut ignis eſt cauſa totalis alterius ignis, & cauſam partialem, quæ alterius ſocietate indiget: ut dum plures equi trahunt rhedam quilibet eſt cauſa partialis.

Nono dividitur in cauſam phyſicam, & moralem: Cauſa phyſica eſt, quæ agit per verum motum (ut ignis eſt cauſa phyſica comburendi domum: Cauſa verò moralis eſt quæ ſolùm cooperatur excitando; ut ille, qui conſulvit, vel perſuaſit domum comburendam, dicitur cauſa moralis hujus combuſtionis.

Decimò, dividitur cauſa in cauſam, quæ agit ut quod, & cauſam, quæ agit ut quo. Cauſa ut quod eſt id, quod producit effectum: cauſa ut quo eſt ipſa virtus agendi. Sic artifex eſt cauſa ut quod operis, ars verò,

Digitized by Google

rò, & induſtria ipſius ſunt cauſæ ut quo.

His omnibus addi poteſt alia diviſio, quam habet D. Thomas ſecundo Phyſ. lect. 5. ubi dividit cauſam in perficientem, præparantem, adjuvantem, & conſiliantem: Perficiens eſt, quæ dat complementum operi: præparans eſt, quæ diſponit materiam: adjuvans eſt, quæ non operatur ad proprium finem, ſed trahitur ad finem alterius, conſilians eſt, quæ dat ſcientiam agendi: nam agens intellectivum agit per ſuam ſcientiam, quæ dum ipſi ab alio traditur, talis dicitur conſilians.

ARTICULUS SECUNDUS.

De principio, quo Cauſa Efficiens agit.

CErtum eſt totum ſubſtantiale eſſe principium quod effectivum: ejus enim eſt operari, cujus eſt eſſe. Undè ſicut ſola ſubſtantia totalis, ſeu totum compoſitum eſt illud, quod habet eſſe, ita, quoque eſt id, quod operatur; Et ideò ſive homo per muſicam cantet; ſive per charitatem diligat Deum, ſive per robur vincat: non dicimus nec muſicam canere, nec charitatem amare, nec robur vincere, ſed homo ipſe eſt, qui cantat, qui amat, qui vincit: Attamen compoſitum ut agat indiget aliquo principio *quo*, ut muſicus ad canendum indiget muſica, arteria, pulmone, & anima. Quærimus ergo quodnam ſit principium agendi in ſubſtantiis, ubi obſervandum, ſubſtantiam producere duo genera effectuum, ſcilicèt accidentales, & ſub-

ſtantiales: ut ignis producit non ſolùm calorem, ſed etiam ignem: quærimus; ergò, quodnam ſit principium utriuſque effectus.

Dico 1. forma accidentalis eſt virtus principalis producendi aliam formam accidentalem, ut calor eſt principium principale producendi calorem. Ita tenent communiter omnes.

Probatur facilè concluſio: tùm experientia qua videmus calorem in quocunque ſubjecto ſit, ſive in aqua, ſive in ferro producere alium calorem; ergò ſignum eſt calorem eſſe de ſe virtutem principalem producendi alium calorem; tùm ratione; nam una forma accidentalis eſt æquè nobilis, ac alia: ergò poteſt principaliter producere aliàm: tùm demùm, quia intantùm aliquid poteſt v. g. calefacere inquantùm eſt calidum; ſed calor eſt principium principale eſſendi calidum, ergò eſt etiam principium principale producendi calorem.

Dico 2. ſola forma ſubſtantialis eſt principium, & virtus principalis producendi aliam formam ſubſtantialem. Ita communitèr tenent omnes contrà paucos, qui putant formas ſubſtantiales eſſe penitus otioſas ſolaque accidentia omnia facere.

Probatur concluſio in primis Authoritate D. Thomæ, qui ſæpè repetit formam ſubſtantialem eſſe primum principium agendi, & expreſſe cont. Gent. cap. 69. diſtinguit duplicem actionem: ſcilicèt alterationem, qua producitur accidens; & generationem qua producitur forma ſubſtantialis: & poſtea dicit, *quod ad alterationem ſufficiunt formæ accidentales, ſed forma ſubſtantialis generantis eſt principium introducendi formam ſubſtantialem geniti*. Et Ariſtoteles expreſſe idem docet, cum hic dicit *formam eſſe primum*

prin-

principium, & cauſam motus, & actionum; Undè in 2. de anima definit animam eſſe primum principium operationum vitalium inter quas eſt generatio animalis.

Probatur prætereà rationibus D. Thomæ, 1. quia inconveniens eſt ut actus perfectior deſtituatur actione, quam habet actus imperfectior: ſed forma accidentalis per ſuam actionem poteſt producere aliam formam accidentalem: ergò à fortiori forma ſubſtantialis poterit producere aliam formam ſubſtantialem.

Secundò: Idem eſt principium eſſendi actu, & agendi: ſed forma ſubſtantialis eſt principium eſſendi actu: ergò eſt etiam principium agendi. Minor patet: Major verò probatur: Nàm operari ſequitur ad eſſe veluti radius à Sole, & rivus à fonte: Undè, ut, ſæpè dicit D. Thoma: *Intantùm aliquid agit, inquantùm eſt in actu*; actio enim eſt quædam diffuſio, & communicatio ipſius actus: ergò neceſſe eſt illud eſſe primum principium operandi, quod eſt principium eſſendi, inquantùm ſcilicèt quodlibet *eſſe* eſt diffuſivum per productionem ſui ſimilis, ſicut abundè oſtenſum eſt diſp. 1. q. 3. art. 1. in fine.

Tertiò: Omne agens producit ſibi ſimile formalitèr inquantùm eſt agens, ideſt, in eo quod eſt principium agendi; ſed ſubſtantia producens, & producta aſſimilantùr in forma ſubſtantiali ergò ſubſtantia producens agit per formam ſubſtantialem. Minor patet: ſic enim ignis producens, & productus ſunt ſimiles ſecundùm formam ſubſtantialem; Major verò eſt axioma Philoſophicum, quod conſtat, tùm inductione, qua videmus in mundo cuncta agentia producere ſibi ſimile quantùm poſſunt; tùm ra-

tione: nam actio eſt quaſi actus diffuſio; undè virtus activa nihil aliud intendit niſi diffundere ſe ipſam, ac proindè producere ſibi ſimile.

Confirmatur efficaciter; nam formæ accidentales non poſſunt eſſe cauſæ principales productionis ſubſtantiarum, ut dum ignis producit ignem, calor, & ſiccitas non poſſunt eſſe virtutes principales talis productionis, ergò ſola forma ſubſtantialis eſt principalis virtus productionis ſubſtantialis, Conſequentia patet: Probatur antecedens; nam res ignobilior non poteſt eſſe cauſa principalis rei nobilioris, ſed forma accidentalis eſt ignobilior ſubſtantiali; ergò non poteſt eſſe cauſa principalis ejus productionis: Minor patet: Major verò videtur certa; Nàm cauſa principalis debet eſſe æquè nobilis, ac ſuus effectus, ut ſuprà oſtenſum eſt q. 2. a. 2.

Reſpondebis, formam accidentalem eſſe æquè nobilem, ac formam ſubſtantialem, non quidem in eſſendo, ſed in operando.

Contrà tamen facilè inſtari poteſt; nam operari ſequitur ad eſſe, ipſique proportionatur, ergò quod eſt nobilius in operando, debet eſſe nobilius in eſſendo: ac proindè ſi forma ſubſtantialis eſt in eſſendo nobilior quàm forma accidentalis, erit etiam nobilior in operando: Antecedens probatur; Ut enim diximus, operatio eſt quædam diffuſio, & commemoratio ipſius eſſe: undè intantùm aliquid operatur, inquantùm eſt perfectum in eſſendo, ac proindè per illud operatur, per quod habet eſſe perfectum.

Objicies: ſola accidentia producunt ſubſtantiam; ergò forma ſubſtantialis non eſt principale principium producendi formam ſubſtantialem. Probatur antecedens; Tùm in ſacro Myſterio

Eu-

Euchariſtiæ, in quo ſola vini accidentia convertere poſſunt guttam aquæ in vinum eadem facilitate, qua illam converterent, ſi forma ſubſtantialis vini adeſſet; Tùm etiam in grano, quod quamvis non contineat formam ſubſtantialem arboris, ſed ſolùm quædam accidentia ejus, ſcilicèt virtutem ſeminalem, attamen producere poteſt aliam arborem.

Reſpondeo ejuſmodi accidentia producere quidem formam ſubſtantialem; non tamen in propriam virtute, & tanquam cauſæ principales; ſed in virtute formæ ſubſtantialis, à qua derivata ſunt, & cujus ſunt veluti inſtrumenta; undè in ejus abſentia poſſunt operari, ſicut horologium ſemel regularum ab artifice deſignat horas etiam abſente artifice, & motus ordinatiſſimos producit; non quidem in virtute propria, ſed in virtute participata ab artifice, cujus eſt inſtrumentum: ſed de his amplior ſermo redibit articulo ſequenti.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm forma ſubſtantialis ad operandum egeat accidentalibus tanquàm principiis immediatis agendi.

PAtet ex præcedenti articulo formam ſubſtantialem eſſe primum principium agendi; quod intelligendum eſt non ſolùm de actione, qua producitur alia ſubſtantia, de qua ſuprà locuti ſumus ſed etiam de actionibus immanentibus; ut v. gr. anima noſtra eſt radicale, & primum principium intelligendi, volendi, ſentiendi, vegetandi: & in hoc convenit utraque ſchola D. Thomæ, & Schoti. Sed gravis controverſia eſt, an forma ſubſtantialis ita ſit primum principium, ut etiam ſit principium proximum agendi: ut non egeat miniſterio accidentium, quibus mediantibus eliciat actionem, Duplex enim eſt agendi principium, ſcilicèt proximum, quod elicit actionem, & remotum, quod non elicit quidem ipſam actionem, ſed eſt radix facultatis, à qua elicitur actio; ſicut v. g. radix non eſt id, quod profert fructum, ſed eſt principium radicale remotum, à quibus profertur fructus, In hac difficultate Scotus, & quidam alii tenent, ſubſtantiam non ſolùm eſſe primum, ſed etiam immediatum principium agendi; Undè in ſententia Scoti, in generatione ſubſtantiali, quamvis accidentia concurrant ad diſponendam materiam, ut calor diſponit materiam ligni ad formam ignis, attamen ipſa forma ſubſtantialis immediatè per ſe ipſam producit aliam formam ſubſtantialem in materia jam præpara-

ta:

ta: In actionibus autem immanentibus, ut ſunt intelligere, & velle, dicit ipſam ſubſtantiam animæ eſſe immediatum principium earum: ex quo infert intellectum, & voluntatem non eſſe potentias realiter ab anima diſtinctas, ſed eſſe ipſam animæ ſubſtantiam, quæ quatenùs intelligit, vocatur intellectus, quatenùs vult, dicitur voluntas.

E contrà D. Thomas. Thomiſtæ omnes, & plures alii docent, ſolius ſubſtantiæ Divinæ proprium eſſe immediatè operari, eò quod actio Dei ſit ipſum eſſe Dei; undè in illo potentia eſſendi, & operandi ſunt unum, ut probant Theologi; Cæterùm omnes ſubſtantias creatas egere aliquo ſuperaddito ad operandum, ipſa ſcilicèt facultate operatricè, quæ eſt immediatum principium actionis. Undè ſicut radix non profert fructum niſi mediantibus ramis, licèt ipſa ſit fons, & origo totius fructificationis: ita quoque forma ſubſtantialis non profert immediatè actiones, ſed ſolùm mediis potentiis operativis, quamvis ipſa ſit fons, & origo totius efficacitatis: v. gr. anima noſtra licèt ſic principium radicale intelligendi, volendi, ſentiendi; attamen non intelligit, nec vult, nec ſentit per ſe ipſam, ſed per intellectum, voluntatem, & ſenſum, quæ ſunt accidentia ab ipſa diſtincta. Sequendo hanc ſententiam.

Dico: Nulla ſubſtantia creata poteſt eſſe immediatum, & proximum principium agendi; ſed quidquid agit, id præſtat mediantibus potentiis ſibi adventitiis.

Concluſio eſt D. Thom. 1. p. qu. 54. artic. 3. & ſumitur ex Div. Dionyſio, qui dicit capit. 11. cœleſtis Hierarch. *Virtutem ſupra ſubſtantiam radicari, quia eſt quid medium inter ſubſtantiam,*

Digitized by Google

tiam, & operationem. Undè primates etiam Angelos dicit dividi in ſubſtantiam, virtutem, & operationem.

Probatur primò concluſio ratione D. Th. Potentia proximè operativa realitèr diſtinguitur à ſubſtantia; ergò ſubſtantia non eſt per ſe proximè operativa. Conſequentia patet; probatur antecedens, nam accidens realitèr diſtinguitur à ſubſtantia: ſed omnis potentia operativa creaturæ eſt accidens, ergò diſtinguitur à ſubſtantia. Major patet: probatur minor: Potentia eſſentialitèr ordinata ad actum accidentalem, ut ad complementum, & ſpecificativum ſuum, eſt accidens: ſed potentia operativa eſſentialitèr ordinatur ad actum accidentalem ut ad complementum, & ſpecificativum ſuum; ergò potentia operativa eſt accidens. Minor patet; Nàm potentia operativa eſſentialitèr ordinatur ad operationem ut ad actum ſuum, per quem completur, & ſpecificatur; undè potentiæ operativæ ſpecie diſtinguuntur per ordinem ad actus, ut etiam oſtendetur in 4. parte; ſed operatio in creaturis eſt accidens, ut patet in homine, cui accidentale eſt intelligere, videre, velle, &c. ergò potentia operativa eſſentialitèr ordinatur ad actum accidentalem ut ad ſpecificativum ſuum. Major verò, quòd ſcilicèt potentia ordinata ad actum accidentalem ſit accidens, probatur triplicitèr. Primò, quia actus, & potentia ad illum eſſentialiter ordinata ſunt ejuſdem ordinis, ut dicit Ariſtoteles, cui radicalis ratio eſt, quia potentia, & actus ſunt idem, quamvis diverſimodè: nam potentia eſt id potentialitèr, quod actus eſt actualitèr, immò ipſe actus eſt ſemper nobilior potentia ad ipſum eſſentialitèr ordinata, cum ipſe ſit complementum, & perfectio ipſius; ergò

gò potentia eſſentialitèr reſpiciens actum accidentalem eſt eſſentialitèr aliquid accidentale. Secundò, quia impoſſibile eſt ut ſubſtantia ordinetur ad accidens, ut ad ſuum ſpecificativum: ergò potentia ordinata ad actum accidentalem, ut ad ſuum ſpecificativum, non eſt ſubſtantia, ſed accidens. Probatur antecedens; Nàm accidentia intenduntur à natura propter ſubſtantiam: ergò ſubſtantia non poteſt intendì propter accidentia, nec proindè ab illis ſpecificari. Tertiò, quia ut rectè dicit Sanctus Thomas 1. quæſt. 59. artic. 2. ſubſtantia cujuslibet rei intra rem ipſam concluditur: undè quidquid ſe extendit ad aliquid extrinſecum, non poteſt eſſe de ſubſtantia rei: ergò potentia reſpiciens actum accidentalem, non eſt de ipſa rei ſubſtantia.

Probatur ſecundò; Forma ſubſtantialis reſpicit exiſtentiam ut ultimam ſuam actualitatem; ergò non poteſt reſpicere actualitatem operandi, niſi per aliquid ſibi ſuperadditum. Conſequentia patet: cum enim operari ſit poſt exiſtentiam: ſi forma ſubſtantialis ex ſe reſpiceret operationem ut actum ſuum immediatum, non ſiſteret in exiſtentia tanquam in ſua ultima actualitate Antecedens verò probatur, tùm ex definitione exiſtentiæ, quæ dicitur, ultima ſubſtantię actualitas, ſeu ultimus terminus ſubſtantialis, in quo ſiſtit, & requieſcit totus ordo ſubſtantialis; ergò forma ſubſtantialis reſpicit exiſtentiam ut ultimum actum ſuum: Tùm etiam ex ipſa definitione formæ ſubſtantialis, quæ eſt actus materiæ, id eſt, deſtinatus ad actuandam materiam; ergò cum materia ſit tantùm potentia eſſendi, forma quoque ſubſtantialis erit tantùm actus eſſendi, & non operandi.

Reſpondebis ad utramque rationem: Formam ſub-

ſubſtantialem habere duplex munus, primarium ſcilicèt, & ſecundarium munus: primarium eſt dare eſſe; munus verò ſecundarium eſt dare operari: quantùm ad primum munus totum conſumatur per exiſtentiam, quæ eſt ultima entis actualitas: quantum verò ad munus ſecundarium adhuc ſe extendit vel ad diffuſionem ipſius eſſe per generationem ſui ſimilis, vel ad aliquam operationem propriam: ut ad intelligendum, aut ad volendum: Undè ſubſtantia reſpicit operationem tanquàm ſuum actum ſecundarium.

Sed contrà: Nàm forma ſubſtantialis non poteſt reſpicere operari etiam tanquàm munus, & actum ſecundarium per ſe ipſam immediatè exercendum: ergò nulla reſponſio. Probatur antecedens: tùm rationibus ſupra factis, quibus oſtendimus ſubſtantiam non poſſe ordinari ad actum accidentalem tanquàm ad ſuum ſpecificativum, atqui potentia operandi reſpicit ipſum operari tanquàm proprium ſpecificativum: ergò: Tùm quia operari eſt quædam extenſio ipſius eſſe; ergò ut principium eſſendi, ſcilicèt forma ſubſtantialis reſpiciat operationem, indiget extendi, & compleri per aliquam adventitiam perfectionem, quæ vocatur facultas operativa.

Probatur 3. Quæ ſunt unita in Deo propter excellentiam, & illimitationem ipſius, debent diſtingui in creaturis: ſed principium proximum operandi, & eſſendi unitur in Deo propter excellentiam, & illimitationem ejus: ergò debet diſtingui in creaturis. Major patet ex illo Theologorum affato, *quæ ſunt unum in ſuperioribus, diſtinguuntur in inferioribus*; undè quanto magis creaturæ recedunt à Deo, tantò limitatiores

ſunt,

ſunt, & ad pauciora ſe extendentes: ſicuti Judex quanto inferior eſt, & à Rege remotior tanto limitatiorem ſortitur juriſdictionem, & ad pauciora ſe extendentem, Et ideò quæ fiunt per pauciora in ſuperioribus, debent fieri per plura in inferioribus. Minor verò probatur: Nàm lineæ diverſiſſimæ non adunantur in Deo niſi propter excellentiam, & illimitationem ejus: ſed lineæ eſſendi; & operandi ſunt diverſiſſimæ: ergò non adunantur in Deo niſi propter excellentiam, & illimitationem ipſius. Major patet: nam ratio cur Deus in ſe uniat ea, quæ ſunt diverſa, eſt ſublimitas, & illimitatio ejus, qua fit, ut cum ſit, in vertice rerum, & infinitus, in unica ſimplici entitate adunat perfectiones quantumvis diverſas. Minor verò probatur tripliciter; Primò, quia eſſe ſimpliciter, & eſſe ſecundum quid ſunt diverſæ lineæ; ſed eſſe operativum eſt quoddam eſſe ſecundùm quid, ergò eſt diverſum ab eſſe ſubſtantiali, quod eſt eſſe ſimpliciter. Probatur minor: Nàm eſſe productivum alterius hominis non conſtituit ſimpliciter hominem ergò ſe habet ſolùm ſecundum quid ad ipſum hominem.

Secundò, quia eſſe operativum eſt poſterius quàm eſſe ſubſtantiale; ergò eſt diverſum ab ipſo, probatur antecedens: ſiquidem priùs eſt ſubſiſtere per ſe, quam reſpicere aliud: ſed per eſſe ſubſtantiale res ſubſiſtit in ſe, per eſſe operativum tendit ad aliud, ſcilicet ad operationem; ergò &c.

Tertiò demùm: nam eſſe ver. grat. productivum alterius ignis, tàm videtur diverſum à ſubſtantia ignis; quàm eſſe lucidum: eſſe calidum, eſſe leve; ſed eſſe lucidum, eſſe calidum, & eſſe leve ſunt lineæ diverſæ à ſubſtantia ignis: ergò

ergò etiam eſſe productivum: Undè ſicut ignis non habet per ſubſtantiam ſuam, quod ſit formalitèr levis; calidus, & lucidus; ſed indiget aliquam forma accidentali, qua fiat talis; ita quoque nec homo per ſubſtantiam ſuam habet formalitèr, & proximè quod ſit generativus, & intellectivus, volitivus, &c. ſed eget accidentibus ſuperadditis: Hanc rationem egregiè expreſſit D. Thomas, dum ait, ſubſtantiam creatam habere quidem ex ſe primam perfectionem, & ſcilicèt eſſe ſimplicitèr; cæterùm egere formis accidentalibus quantum ad alias ſecundarias perfectiones, & inter quas eſt eſſe operativum.

Dices contrà hanc rationem: Primò forma accidentalis iſtas duas lineas adunat in ſe, ſcilicèt lineam eſſendi, & operandi; nàm calor eſt principium proximum calendi, & calefaciendi: quidni ergò forma ſubſtantialis iſta duo poterit adunare, & eſſe ſimul principium proximum eſſendi v. g. & producendi ignem? Secundò eſſe ſubſtantialem, & eſſe repræſentativum videntur res diverſæ, & tamen adunantur in ſubſtantia Angelica: Ut enim docent Theologi, Angelus per eſſentiam ſuam ſe ipſum intelligit; unde eſſentia Angeli habet duplex munus, ſcilicèt eſſendi, & repræſentandi ſe ipſum intellectui proprio.

Reſpondeo ad primum cum Div. Thom. negando paritatem: nam forma accidentalis eſt ipſa virtus ſubſtantiæ: Undè non indiget alia virtute ut operetur, ſicut ſervus non indiget alio ſervo, ſed facit per ſe ipſum ea, quæ Domini ſunt, & etiam propria negotia. Sed de hoc redibit ſermo in ſolutione primi argumenti.

Reſpondeo ad ſecundum, eſſe ſubſtantiale, & eſſe repræſentativum non diſtingui in rebus ſpiri-

ſpiritualibus niſi per accidens, inquantùm ſcilicèt ſubſtantia intellectualis non eſt unita intelligenti, indiget vicaria ſpecie, ut ei repræſentetur: Undè omnis ſubſtantia ſpiritualis per ſe intelligibilis eſt, & poteſt ſe ipſam repræſentare intellectui, cui per ſe unitur.

Confirmatur tandèm conglobatis rationibus. Primò, quia ut dicit D. Thomas in 1. diſt. 3. qu. 4. art. 2. oportet proprium effectum proportionari propriæ cauſe, ſed effectus proprius formæ ſubſtantialis eſt eſſe ſubſtantiale; effectus verò prius potentiæ operativæ eſt operari; ergò in illis ſolum ſubſtantia erit potentia operativa, in quibus eſſe, & operari ſunt unum, ſcilicèt in Deo in creaturis verò, in quibus operatio eſt accidens, potentia etiam operativa erit accidens.

Secundò oportet perfectibilia diverſimodè diſpoſita recipere diverſas perfectiones; ſed in animali videmus integrum exercitium organorum diverſimodè diſpoſitorum, ut oculos, aures, cerebrum, cor, jecur; ergò oportet ut illa omnia diverſas perfectiones recipiant ab anima: Atqui diverſitas illa perfectionum non poteſt eſſe ſecundùm eſſe ſubſtantiale, quod eſt unum & ejuſdem rationis in omnibus partibus, ergò attenditur quantum ad aliquid diſtinctum ab ipſo eſſe ſcilicèt quantùm ad principium operandi, quod in diverſis membris eſt diverſum; ut in oculis eſt prncipium videndi, in auribus audiendi, in corde palpitandi, & producendi vitales ſpiritus.

Tertiò demùm experientia: nàm ſubſtantia producit aliam ſubſtantiam mediis accidentibus; ergò non eſt immediatè operativa. Probatur antecedens: nàm per id ſubſtantia producit effectum per quod eſt præſens effectui non enim datur actio in diſtans, ut infra oſtenditur: atqui

ſub-

ſubſtantia ſæpè non eſt præſens per ſe ipſam alteri ſubſtantiæ, quam producit, ſed ſolùm per ſua accidentia; ergò illam producit mediis accidentibus. Probatur minor: ſic enim Sol maximè diſtans à terra producit in ea aurum, plantas, & animantia, quibus ſolùm præſens eſt per ſuum calorem, & qualitates à ſe immiſſas, ſic arbor producit aliam arborem, cui ſolùm præſens eſt per virtutem relictam in ſemine, & generaliter videmus virtutes accidentales à ſubſtantia diffuſas etiam in ejus abſentia, immò poſt ejus ruinam, poſſe producere effectus, ipſi proprios; ergò ex his omnibus conſtat ſubſtantiam non agere niſi mediis accidentibus, veluti ſuæ efficaciæ miniſtris, ac proindè formam ſubſtantialem non eſſe immediatum principium operandi, ſed ſolùm radicale, & remotum, in quantùm ipſa radix potentiarum, per quas immediatè operatur.

Objicies primò. Idem eſt principium eſſendi, & operandi, ſed forma ſubſtantialis eſt immediatè principium eſſendi; ergò, & operandi; Minor patet. Major etiam eſt certa: tùm quia operari ſequitur ad eſſe: tùm quia intantùm aliquid agit, inquantùm eſt in actu: ergò idem eſt principium eſſendi tale actu, & producendi tale.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, idem eſt principium radicale, concedo: principium proximum, nego. Cum enim operari ſequatur ad eſſe oportet ut operatio, & eſſe fundentur in eodem principio, ſed quia operari eſt actus accidentalis, & aliqua perfectio ſecundùm, quid, oportet ut principium proximè ordinatum ad operationem non ſit ſubſtantia, quæ dat ſolùm eſſe ſimplicitèr & non reſpicit aliquid accidentale,

tale, ſed accidens originalitèr procedens à ſubſtantia.

Inſtabis: Forma ſubſtantialis per ſe ipſam immediate poteſt producere aliam formam ſubſtantialem: ergò eſt principium immediatum agendi. Conſequentia patet: Probatur antecedens; nam quodlibet poteſt producere ſibi ſimile: ſed forma ſubſtantialis eſt ſimilis alteri formæ ſubſtantiali ergò forma ſubſtantialis poteſt de ſe producere aliam formam ſubſtantialem.

Reſpondeo negando antecedens; ad probationem diſtinguo; quodlibet poteſt producere ſibi ſimile, ut cauſa principalis, concedo ut cauſa proxima, nego, ſaltem loquendo de forma ſubſtantiali, non enim negamus, quod ſubſtantia poſſit producere ſubſtantiam, ſed ſolum dicimus quod non poteſt eam producere per modum principii proximi, & immediati.

Urgebis: Forma accidentalis poteſt producere aliam formam accidentalem, ut calor calorem, per modum cauſæ nedum principalis, ſed etiam proximæ; ergò etiam forme ſubſtantialis: idem poterit præſtare.

Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia ut dicit D. Thomas quæſt. de ſpirit. crea. artic. 11. ad 10. accidens eſt ipſa virtus operativa ſubſtantiæ: undè licèt ſubſtantia indigeat virtute ad operandum; attamen ipſa virtus operandi non indiget alia virtute, ne procedatur in infinitum: Adde prætereà, quod accidens ex natura ſua datur ſubſtantiæ ad operandum: undè ut reſpiciat operationem, non indiget aliquo ſuperaddito: at verò forma ſubſtantialis non eſt propter operationem, ſed propter ipſum eſſe: undè indiget aliquo ſuperaddito

dito ut poſſit operari. Quod illuſtratur magis ex eò, quòd forma ſubſtantialis ſit propter ſe ipſam. Unde ſolum ſe extendit ad id, per quod completur in ſe ipſa, ſcilicèt ad eſſendum: at verò accidens eſt propter ſubſtantiam, ut eam adjuvet & perficiat in ordine ad ea, quæ ſunt extra lineam ſubſtantialem. Et ideò cum operatio ſit extra lineam ſubſtantialem, data ſunt certa accidentia, per quæ ſubſtantia poſſit attingere operationem, ut calor datus eſt igni, ut eſſet ornamentum ejus, & virtus ipſius operativa; undè mirum non eſt ſi accidens per ſe immediatè operetur.

Dices: Quod forma ſubſtantialis non poſſit immediatè producere formam ſubſtantialem, ſed egeat ſubſidio accidentium, vel eſt propter perfectionem, vel propter imperfectionem: Propter neutrum; ergò propter nullum. Probatur minor non enim eſt propter imperfectionem, nàm accidens licèt imperfectius, immediatè operatur: non etiam propter perfectionem; nam Deus, qui eſt perfectiſſimus, immediatè operatur.

Reſpondeo hoc eſſe propter perfectionem limitatam, quia ſcilicèt ſubſtantia nec eſt adeò perfecta, ut poſſit actus ita diverſos, quales ſunt operari, & ſubſtantialitèr eſſe, reſpicere, nec adeò imperfecta, ut ad minorem ſcilicèt ad operationem tantùm ordinetur; Undè ſicut Rex qui non poteſt omnia per ſe facere, majora per ſe ipſum præſtat, ut eſt leges condere, tributa inducere, magiſtratus creare: minora verò facit per ſuos miniſtros: ita forma ſubſtantialis per ſe dat ſubſiſtere, quod eſt præcipuum; operatur verò mediis miniſtris, ſcilicèt accidentibus.

Objicies 2. Accidens non poteſt producere

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantiam, ergò ſubſtantia producitur immediatè ab alia ſubſtantia. Conſequentia patet; Probatur antecedens: nàm virtus minùs nobilis nequit producere rem nobiliorem; ſed ſubſtantia eſt nobilior accidente; ergò accidens non poteſt producere ſubſtantiam.

Reſpondeo negando antecedens; ad probationem, diſtinguo majorem: virtus ignobilior non poteſt producere rem nobiliorem per modum principii radicalis, & principalis, concedo; per modum virtutis proximæ, & inſtrumentariæ, negò: Dicimus enim, quòd accidens cum ſit veluti miniſter ſubſtantiæ, poteſt producere inſtrumentalitèr alia ſubſtantiam, ſicut ſervus poteſt inſtrumentalitèr facere ea, quæ pertinent principalitèr ad Dominum:

Inſtabis: Inſtrumentum debet aliquid recipere à virtute principali; ſed accidens nihil recipit à ſubſtantia: ergò non eſt inſtrumentum ſubſtantiæ. Major patet: Minor verò probatur: nam vel reciperet aliud accidens, vel ſubſtantiam; non poteſt recipere aliquid ſubſtantiale, ſiquidem explicari non poteſt quid ſit illud: non etiam poteſt recipere aliud accidens, quia ſcilicèt de illo accidente idem diceretur, quod de priori: ergò &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Inſtrumentum debet recipere aliquid à cauſa principali, ſi non ſit ipſa virtus cauſæ principalis, concedo: ſi ſit ipſa virtus cauſæ principalis, negò. Accidens autem eſt ipſa virtus inſtrumentaria ſubſtantiæ; undè non eget alia virtute, quam recipiat à ſubſtantia, ſed ſicut malleus indiget quidem moveri ab artifice ipſa tamen motio, qua artifex movet malleum, non indiget alia motione ſed per ſe ipſam inſtrumentariè producit arte-

artefactum eò quòd de ſe ſit virtus artificis ita quoque accidens non indiget alia virtute, cùm ſit ipſa virtus ſubſtantiæ.

Urgebis: Accidens de ſe eſt impotens attingendi ſubſtantiam: ergò debet recipere aliquid ſuperadditum, quo fiat potens vel nunquam ea producet. Probatur antecedens, quia inferius eſt impotens ad attingendum, & cauſandum aliquid ſuperius.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Accidens eſt impotens ad attingendum ſubſtantiam, per modum cauſæ principalis: concedo: per modũ virtutis inſtrumentalis; nego; non enim oportet virtutem inſtrumentalem eſſe æquè nobilem, ac effectum; ſic enim; motio mallei procedens ab artifice, licèt ſit ignobilior, poteſt tamen inſtrumentalitèr formare horologium.

Dices: undè habet accidens, ut poſſit attingere etiam inſtrumentalitèr effectum tam nobilem, qualis eſt forma ſubſtantialis?

Reſpondeo, hoc habere præcipuè ex duobus: Primò ex ipſa natura ſua: Cùm enim accidens ſit propter ſubſtantiam, & veluti virtus ejus activa, ſortitur etiam naturalitèr capacitatem eliciendi inſtrumentalitèr actiones, quarum ſubſtantia eſt cauſa principalis, ſicuti eſt productio ſubſtantiæ: Natura enim ea, quæ deſtinat ad aliquid, debet apta efficere ad illud peragendum. Secundò ex conjunctione, quam habet cum ſubſtantia à qua oritur; ſicuti enim naturalitèr ſummus calor connexus eſt cum igne ita quoque productio ſummi caloris eſt connexa cum productione ignis; Et ideò quia ſummus calor poteſt producere ſummum calorem, poteſt quoque producere ignem cum illo connexum. Radicalis autem ratio, cur ſummus ille calor eſt connexus

cum

cum ſubſtantia ignis, eſt quia procedit ab ipſa, & in illa radicatur, tanquam proprietas ejus: undè ratio radicalis, cur calor producit ignem, tandem refunditur in ipſam ſubſtantiam ignis, tanquàm in cauſam principalem.

Objicies 3. Actio generativa ſubſtantiæ non poteſt elici ab accidente: ergò elicitur à forma ſubſtantiali immediatè. Conſequentia patet; Probatur antecedens: Actio non poteſt eſſe nobilior ſuo principio, totum enim quod habet, recipit à principio: ſed actio productiva ſubſtantiæ eſt nobilior accidente; ergò non poteſt elici ab eo.

Reſp. jam data ſolutione: Actio nobilior non poteſt elici à principio ignobiliori, ut à virtute inſtrumentaria, nego: ut à virtute, & cauſa principali, concedo; non enim neceſſe eſt ut principium proximum, & inſtrumentarium ſit æquè nobile, ac ipſa actio, & effectus, quem producit.

Inſtabis: Si accidens etiam inſtrumentalitèr produceret ſubſtantiam, v. gr. calor produceret ignem in ligno, vel talis ignis produceretur à calore, qui eſt in ligno, vel à calore, qui eſt in igne comburente lignum: non primum; quia nullum accidens deſtruit ſuum ſubjectum, & agit in ipſum; ergò calor, qui eſt in ligno, non poteſt producere formam ignis, qua lignum corrumpitur: non etiam ſecundum dici poteſt, nàm nihil agit in diſtans: ſed aliquando ignis comburens diſtat à ligno, ergò calor, qui eſt in igne comburente, non poteſt producere formam ſubſtantialem ignis in ligno.

Reſpondeo formam ignis de novò producti cauſari à calore, qui eſt in ligno diſpoſitivè: efficientèr verò cauſatur à calore ignis comburentis, non quidem immediatè ſemper, ſed mediatè: inquantùm calor ignis comburentis primò

Digitized by Google

calefacit partem ſibi contiguam, donec igneſcat; & illa pars aliam, donec gradatim diffundatur ſummus calor, & cum eo forma ignis in omnem ligni materiam.

Objicies 4. argumentum Theologicum: Subſtantia Angeli concurrit effectivè cum ipſo intellectu ad producendam intellectionem, qua Angelus ſe ipſum cognoſcit: ergò ſubſtantia ſaltem aliquomodò eſt immediatum principium, effectivum. Probatur antecedens: nam ſpecies impreſſa concurrit effectivè, & immediatè ad intellectionem: ſed ſubſtantia Angeli gerit vicem ſpeciei impreſſæ reſpectu cognitionis, qua Angelus ſe ipſum cognoſcit: ergò concurrit effectivè, & immediatè ad talem cognitionem.

Reſpondeo pro nunc remiſſa fuſiori explicatione ad Theologos, ſubſtantiam Angelicam non concurrere ad illam cognitionem per modum potentiæ elicitivæ: ſed ſolùm per modum objecti complentis ipſam potentiam; non autem repugnat ſubſtantiæ, quòd per ſe ipſam immediatè objiciatur intellectui, & cum eo concurrat per modum objecti, benè tamen quòd immediatè eliciat actionem, propter rationes quas ſupra expendimus. Undè in forma diſtinguo antecedens: ſubſtantia Angeli concurrit effectivè ad ſui intellectionem, efficientia propria, & per modum principii elicientis immediatè actionem, nego, efficientia impropria, per modum objecti determinantis, & complentis potentiam effectivam, quæque ſolùm reductivè pertinet ad genus cauſæ efficientis, concedo.

Objicies ultimò: ſaltem eſſentia immediatè producit, ſuas proprietates, ut forma ignis producit ſuam lucem calorem, ſiccitatem, & levitatem: ergò ſubſtantia eſt immediatè productiva.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo proprietates non produci ab eſſentia ut à principio propriè effectivo, ſic enim producuntur à generante, juxta illud, *qui dat eſſe dat conſequentia ad eſſe*, ideſt proprietates: Solùm ergò proprietates dicuntur procedere ab eſſentia per reſultantiam inquantùm ſunt neceſſariò colligatæ cum eſſentia. Unde poſita eſſentia, ponuntur per naturalem ſequelam; & ideò non ſequitùr formam ſubſtantialem eſſe immediatè activam, ſed ſolùm delativam actionis agentis, ut explicabitur ſequenti articulo.

Inſtabis: ſaltem dum aqua v. g. calida recuperat ſuam frigiditatem, illa frigiditas eſt propriè effectivè ab ipſa aqua: ergò ſubſtantia aquæ eſt immediatè operativa etiam operatione propria. Probatur antecedens: à quo enim agente propriè produceretur talis frigiditas?

Reſpondeo illam frigiditatem, quam aqua recuperat, poſtquam violentèr calefacta eſt dimanare quidem ab ipſa ſubſtantia aquę, ad quam naturaliter ſequitur tanquam ejus proprietas: produci verò propriè ab ipſa cauſa conſervante aquam, cujus ratio eſt; quia ſicut cauſa, quæ dat eſſe; dat conſequentia ad eſſe; ita quoque quæ conſervat; eſſe, conſervat omnia, quæ conſequuntur ad eſſe; & ſi contingat ea violenter tolli, remoto impedimento, ea reſtituit. Cùm, igitur frigiditas naturalitèr ſequatur ſubſtantiam aquæ, generans ipſam aquam, generat etiam frigiditatem, & conſervans aquam conſervat quoque in ea frigiditatem: ideoque ſi contingat illam deperdi per violentiam remota violentia, debet eam reſtituere.

Digitized by Google

ARTICULUS QUARTUS.

Quæ ſit cauſalitas Cauſæ Efficientis, & quid ſit dimanatio.

IN cauſa Efficiente duo diſtingui ſolent, ſcilicèt virtus cauſandi, quæ dicitur actus primus, & ipſa cauſalitas, ſeu cauſatio, quæ dicitur actus ſecundus. De virtute cauſandi tùm proxima, tùm remota egimus ſuprà, nunc agendum eſt de cauſalitate. Et quia dimanatio proprietatum ab eſſentia ſolet reduci ad cauſalitatem efficientem, ſępèque de illa fit mentio in Philoſophia, & Theologia, ideò etiam breviter, & clarè explicandum eſt, quid ſit illa dimanatio. Undè.

Dico primò: Cauſalitas cauſæ efficientis eſt ipſa actio ſeu potiùs ipſum agere, ut cauſalitas ignis eſt ipſum calefacere, & ignire; cauſalitas arboris eſt fructificare; Ità omnes, licèt quidam dicant cauſalitatem illam meliùs exprimi per *actionem*; quidam verò per *agere*; ſed quæſtio eſt de nomine; licèt agere, videatur meliùs exprimere, quia agere exprimit ipſam actionem ut exercitam quo modo conſtituit agens actu ſecundo; ac proindè eſt ejus cauſalitas.

Probatur facilè concluſio; nàm cauſalitas cauſæ eſt id, per quod conſtituitur cauſans in actu ſecundo; ſed per agere cauſa efficiens conſtituitur formalitèr cauſans in actu ſecundo: ergò agere eſt ejus cauſalitas. Quid verò ſit agere, ſeu actio, commodiùs explicabitur diſputatio 3. quæſt. 1. artic. 2.

Dicò ſecundò: Dimanatio ſeù reſultantia (de qua toties reddit ſermo in Philoſophia, & Theologia) nihil aliud eſt, quàm productio unius

rei

rei ad productionem alterius ex vi naturalis connexionis, quam habet cum illa, undè illa dicuntur ab aliquo dimanare & reſultare, quæ ad ejus productionem producuntur per quamdam naturalem ſequelam, & connexionem, quam habent cum illo.

Explicatur concluſio advertendo in rerum natura quædam eſſe naturali colligatione cum aliis connexa, itaut unum naturalitèr eſſe non poſſit, abſque eo quòd aliud ſequitur. Sic videmus lumen naturalitèr connecti cum Sole, ſummum calorem cum igne, frigiditatem, & humiditatem cum aqua, inclinationem deorſum cum gravitate, & generalitèr omnes proprietates naturalitèr connectuntur cum ſua eſſentia; itaut eſſentiæ rerum nonnunquàm habeant integrum agmen potentiarum, qualitatum, diſpoſitionum, & inclinationum cum iis connexarum, veluti rami connectuntur cum trunco, & ſequentes annuli cum primò; ſicut ergò qui trahit truncum, ſimul etiam trahit ramos, qui trahit annulum primum, ſimul trahit alios; qui trahit clavum infixum trabi, ſimul trahit trabem, propter harum rerum colligationem, qua fit ut actio motiva ex uno deducatur ad alia cum illo connexa; ita quoque contingit in rerum natura, ut quicumque producit aliquam rem, producat etiam omnia naturalitèr cum iſta re connexa, juxta illud, *qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*, inquantùm ſcilicèt propter naturalem connexionem actio productiva unius defertur ad omnia, quæ cum illo connectuntur, v. gr. qui producit ignem, per eandem actionem producit calorem, & ſiccitatem, & qui ponit animam in corpore, per eandem actionem ponit integrum exercitum potentiarum eam conſequentium. Et

hoc eſt quod vocamus reſultantiam, ſeu dimanationem: ideſt productionem unius ad productionem alterius, fundatam in mutua, & naturali rerum concatenatione.

Ex his infertur primò, dimanationem non eſſe actionem diſtinctam à productione eſſentiæ, ſed ſicut qui dat eſſe, dat conſequentia adeſſe, ita quoque eadem actione, qua producitur eſſentia, producuntur proprietates eſſentiam conſequentes. Undè eſſentia eſt terminus primarius illius actionis, proprietates verò ſunt terminus ſecundarius; ſicuti unica motione trahitur tota catena, inquantùm illa motio trahit primum annulum tanquàm terminum primarium; ſecundariò verò omnes alios cum illo connexos.

Infertur ſecundò, eſſentiam quodam modo poſſe dici cauſam efficientem reſpectu proprietatum ab ea dimanantium, ut dicit Div. Thom. 1. p. quæſt. 77. non quidem propriè, quaſi ipſa eſſentia eliciat actionem productivam talium proprietatum: ſed reductivè, inquantùm ipſa defert actionem generantis ac proprietates, ſicut primus annulus defert motum ad alios, vel ut loquitur Joannes à Sancto Thoma, inquantùm ipſa eſt ratio, cur actio agentis ulteriùs tranſeat ad proprietates, propter connexionem, quam habet cum illis: deferre autem actionem agentis, & eſſe ratio, cur ipſa ulteriùs progrediatur, reductivè pertinet ad genus cauſæ efficientis.

AR-

ARTICULUS QUINTUS.

De Inſtrumentis Cauſæ Efficientis.

UT in politica unus homo utitur alio tanquàm miniſtro, ita quoque in cauſis una utitur alia ad ſuum effectum, ut artifex malleo, arbor ſemine, anima brachio, Deus ipſe Sacramentis, quibus nos ſanctificat. Hæc cauſa, qua alia ſuperior utitur, eſt ejus inſtrumentum, de quo quatuor quæri poſſunt: Primò, quid ſit: Secundò, quotuplex ſit; Tertiò, an egeat motione derivata à cauſa principali: Et quartò, an debeat habere actionem ſibi propriam, per quam cooperetur cauſæ principali. Undè.

Dico primò: Inſtrumentum rectè definitur, cauſa agens in virtute alterius, ſcilicèt cauſæ principalis hæc definitio receptiſſima eſt, & colligitur ex D. Thoma in variis locis.

Explicatur; In ea *cauſa agens*, tenet locum generis: nam inſtrumentum convenit cum efficiente principali, inquantum eſt cauſa: cæteræ particulæ tenent locum differentiæ: nam inſtrumentum diſtinguitur à cauſa principali, quod hæc agat in virtute ſibi propria, inſtrumentum verò in virtute aliena: ideſt: non ſua ſed cauſæ principalis.

Et ſi quæras, quomodo virtus agendi dicatur propria, & quid ſit agere in virtute propria.

Reſpondeo, tripliciter aliquid poſſe dici agere in virtute propria: Primò, inquantum virtus agendi eſt ejus proprietas, ut calor eſt proprietas ignis, lux Solis, virtus generativa viventis; & hic eſt modus perfectiſſimus; quo aliquid dicitur agere in virtute propria, ideſt, quando

virtus, per quam agit, eſt ejus proprietas.

Secundò, hæc appropriatio fieri poteſt per ſubordinationem, inquantùm ſcilicèt, quamvis virtus proxima agendi non ſit proprietas, attamen ſubordinatur alteri virtuti radicali, quæ eſt proprietas: ſic lumen gloriæ, quod eſt proxima virtus qua Deus videtur: & charitas, quæ eſt virtus proxima qua Deus amatur, non ſunt quidem proprietates animæ, ſed tamen ſubordinantur: illud quidem intellectui, hæc verò voluntati tanquam radicalibus principiis iſtarum actionum; & per hanc ſubordinationem utraque hæc virtus ita appropriatur homini, ut quidquid homo agit, ſeu per lumen gloriæ, ſeu per charitatem dicatur agere in propria virtute, & ut cauſa principalis.

Tertiò demum, iſta appropriatio fit per ſuſtentationem inquantùm ſcilicèt ipſa virtus principalis agendi recipitur in aliquo tanquam in ſubjecto: tunc enim ipſi appropriatur: quia omne accidens eſt ſui objecti; ideò quidquid ſubjectum agit, per tale accidens dicitur agere principalitèr: ſic Luna principalitèr illuminat, & aqua jam calida principalitèr calefacit, quia Luna recipit à *Sole*, & aqua ab igne ipſam virtutem principalem illuminandi, & calefaciendi: ex quo patet, tunc aliquid cenſeri agere in virtute aliena, quando virtus per quam agit, nec eſt ejus proprietas; nec aliquid ſubordinatum virtuti radicali agenti, quam in ſe habeat, nec ipſa virtus principalis agendi, quam recipiat, & ſuſtentet, ſed ſolum quædam participatio incompleta, & vialis, derivata à virtute cauſæ principalis, ſicut malleus facit artefactum, non per artem, quam in ſe habeat, ſed per motionem ab artifice derivatam.

Dico

Dico ſecundò, inſtrumentum variè dividitur: variis enim modis unum poteſt agere in virtute alterius. Undè primò dividitur in morale, & phyſicum; Morale eſt, quod ſolùm vel agit moralitèr, vel movetur moralitèr à cauſa principali, ut ſervus movetur ſolum moralitèr à Domino per mandatum ejus, & pacta, ſcripturæ, monetæ agunt ſolum moralitèr ad obligandos, inſtruendos, & excitandos homines: Phyſicum eſt, quod movetur phyſicè, & Phyſicè operatur, ut maleus ab artificè.

Secundò, inſtrumentum phyſicum dividitur in inſtrumentum *quod*, & in inſtrumentum *quo* Inſtrumentum *quod* eſt ipſum ſuppoſitum agens, & ſerviens alteri, ut baculus homini, & granum arbori: Inſtrumentum *quo* eſt ipſa virtus inſtrumentaria, quæ vel eſt in cauſa principali, tanquam accidens ipſi datum ad agendum, ut calor in igne vel derivatur à cauſa principali ad ipſum inſtrumentum ejus, ut motio in malleo.

Tertiò inſtrumentum dividitur in conjunctum quod ſcilicèt unitur cauſæ principali, ut manus animæ: Et ſeparatum, quod ſcilicèt non unitur cauſæ principali, ut ſemen eſt inſtrumentum ſeparatum arboris, à qua deciſum eſt.

Quartò, inſtrumentum dividitur in artificiale, quo utitur artifex ad ſua artefacta, ut eſt ſerra, & malleus: In naturale, quod deſervit cauſis naturalibus ut manus, pedes, oculi, dentes, lingua deſerviunt animæ; & in ſupernaturale, quo Deus utitur ad producendos effectus ſupernaturales, ut Deus per aquam Baptiſmalem, per Chriſma, per verba Sacramentalia producit in nobis ſanctitatem, & per reliquias Sanctorum miracula operatur. Hæ ſunt celebriores inſtrumenti diviſiones.

Dico 3. Inſtrumentum indiget virtute, ſeu motione derivata à cauſa principali, per quam elevetur ad attingendum ejus effectum Concluſio intelligenda eſt de inſtrumentis phyſicis, quæ agunt ut quod; ut eſt malleus, ſemen, aqua Baptiſmalis, &c. Eſt autem contrà quoſdam extraneos, quàm tamen expreſsè docet D. Thom. pluribus in locis, præcipuè verò 3 p. q. 62. art. 1. ubi inquit *Cauſa inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolùm per motum, quo movetur à principali agente*; Undè 2. cont. Gent. cap. 21. dicit, *Inſtrumentum nunquàm adhibetur ad cauſandum, niſi per viam motus, eſt enim ratio inſtrumenti, ut ſit movens motum*, Per motionem autem intelligitur non ſolùm motio corporalis, qualis cernitur in inſtrumentis artis, ſed aliquis influxus vialis, qui ſit participatio virtutis cauſæ principalis: ſicut ſemen ab arbore recipit quaſdam qualitates viales, & per modum tranſeuntis, quibus elevatur ad producendam arborem.

Probatur primò concluſio ex definitione inſtrumenti; qua dicitur, id quod agit in virtute cauſæ principalis; ergò debet recipere virtutem agendi à cauſa principali. Antecedens eſt definitio inſtrumenti recepta communiter ab omnibus, quæ ſupra à nobis explicata eſt: conſequentia verò videtur legitima; non enim agere poteſt in virtute cauſæ principalis, niſi ab ea recipiat quamdam participationem vialem illius virtutis: ſi enim ex ſe haberet virtutem, qua agit, non diceretur agere in virtute alterius, ſed in virtute propria.

Probatur 2. Quod non eſt de ſe productivum alicujus effectus, non poteſt illum producere, niſi recipiat virtutem ab alio; ſed inſtrumentum

non

non eſt de ſe productivum effectus cauſæ principalis; ergò ut illum producat indiget virtute derivata à cauſa principali. Major patet ex eo axiomate, *quod non eſt de ſe tale, debet fieri tale per aliud*. Minor probatur tùm ratione, tùm inductione; Ratione quidem, nulla enim natura poteſt ultrà virtutem ſuæ formæ, niſi recipiat virtutem ab alia. Sed inſtrumentum producit effectum excedentem virtutem ſuæ formæ, ergò ex ſe non poteſt illum producere. Major eſt Div. Thomæ 1. 2. quæſt. 109. art. 9. minor verò de ſe conſtat.

Neque dicas in re poſſe eſſe quædam accidentia, quæ poſſint producere aliquid nobilius, inquantùm ſerviunt ſubſtantiæ nobiliori: v. gr. in grano naturalitèr ineſſe quædam accidentia ei propria, quibus poſſit producere arborem ſerviendo ipſi arbori, à qua deciſum eſt.

Contrà enim eſt: Tùm quia nullum accidens proprium rei deſtruit ipſam; ſed accidentia ſeminalia deſtruunt formam ipſam grani, ut ex eo efficiant arborem; ergò ejuſmodi accidentia non ſunt propria grano, ſed derivata ab ipſa arbore, quæ eſt cauſa principalis, & recepta in grano ſolùm per modum tranſeuntis. Tùm quia proprietates ſunt propter eſſentiam, & non propter extraneas ſubſtantias: ergò accidentia propria cujuslibet naturæ nihil poſſunt ultrà limites talis naturæ, ac proindè virtus, per quam talis natura inſtrumentaliter agendo producit effectum ſe nobiliorem, debet eſſe derivata ab ipſa cauſa principali, cujus eſt effectus ille.

Inductione quoque probatur eadem minor, ſic enim manus, & pedes, quæ ſunt inſtrumenta animæ, de ſe non ſunt productiva motus vitalis, niſi inquantum moventur ab anima, qua ceſſante

langueſcunt omnia corporis organa; ſic ſemen non eſt productivum plantæ, niſi ex virtute derivata à planta, cujus eſt ſemen undè evaneſcente illa virtute, ſemen eſt ſterile; ſic in artificialibus, malleus de ſe non eſt productivus horologii, nec penicillus imaginis, niſi moveantur ab artifice; ſic in inſtrumentis Divinæ virtutis, aqua de ſe non eſt ſanctificata animæ, niſi recipiat à Deo virtutem ſanctificandi: ergò patet inſtrumenta de ſe non habere virtutem producendi effectum cauſæ principalis.

Reſpondebis, inſtrumentum de ſe eſſe productivum effectus cauſæ principalis, inſtrumentum quidem naturale ex virtute activa naturali, quam habet ad cooperandum cauſæ principali; inſtrumentum verò ſupernaturale ex virtute activa obedientiali, quæ eſt in omni creatura ad cooperandum Deo circa omnes effectus ſupernaturales, ad quos eam voluerit adhibere. Cæterùm ejuſmodi virtutem activam inſtrumenti agere cooperatione extrinſeca cauſæ principalis, non verò intrinſeca motione; ideoque dicitur agere in virtute cauſæ principalis, non quam ab ea recipiat, cui ſubordinatur, & ſervit, & quæ ipſi cooperatur. Sed.

Contrà primò: Nàm per illam cooperationem extrinſecam cauſæ principalis inſtrumentum non poteſt dici agere in virtute cauſæ principalis: ergò talis cooperatio non ſufficit. Probatur antecedens; Vel enim ex illa cooperatione inſtrumentum recipit aliquam virtutem à cauſa principali, vel non: ſi nihil recipit; ergò non poteſt dici agere in virtute cauſæ principalis, ſed in virtute propria; quia virtutem agendi non recipit ab illo, ſed eam habet à ſe: ſi verò aliquid recipiat ex illa cooperatione; ergò habemus in-

ten-

Digitized by Google

tentum, quod ſcilicèt inſtrumentum debet aliquid recipere à Cauſa principali per modum motionis tranſeuntis.

Contrà 2. Nàm falſum eſt quod in inſtrumentis ſit aliqua virtus productiva effectus cauſæ principalis. Et in primis, quod talis virtus obedientialis activa non ſit in inſtrumentis Divinæ virtutis, v. gr. in aqua Baptiſmali, fusè probant Theologi; Tùm quia ſine fundamento, & neceſſitate ponitur, non enim requiritur ad naturam aquæ, cum ſufficiant ſolæ virtutes naturales ad perfectionem cujuſcunque rei naturalis. Tùm quia illa virtus activa obedientialis, qualem ponunt Adverſarii, eſſet infinita, cum ſe extenderet ad omnia, ad quæ Deus poteſt adhibere creaturam, quæ ſine dubio ſunt infinita. Tùm demum quia talis virtus eſſet ſupernaturalis, eò quod reſpiceret effectus ſupernaturales, ut v.g. productionem gratiæ; repugnat autem in rebus naturaliter eſſe aliquid poſitivum ordinis ſupernaturalis. Quòd verò inſtrumenta naturalia ex ſe non habeant virtutem productivam effectus cauſæ principalis etiam probatur; cum enim, ut mox dicebamus, virtus activa cujuslibet rei ſit propter ipſam rem, talis virtus activa debet proportionari ipſi rei: ergò repugnat in aliqua re eſſe virtutem activam ſe extendentem ad effectus nobiliores, quàm ſit ipſa res.

Tertiò demùm idem impugnatur: nàm ſæpè inſtrumentum agit ſine actuali cooperatione cauſæ principalis per ſolam mutationem, quam ab illa recipit, ergò inſtrumentum non elevatur per ſolam cooperationem cauſæ principalis; probatur antecedens; ſic enim granum, quod eſt inſtrumentum arboris, producit arborem ſine actuali cooperatione arboris, à qua deciſum eſt.

Objii-

Objicies 1. Ratio inſtrumenti non eſt in eo ſita, ut recipiat motionem ab alio: ergò non debet illam recipere. Probatur antecedens, nam etiam cauſa principalis aliquando recipit motionem ab alia ſuperiori: ergò in tali motione non conſiſtit ratio inſtrumenti; Conſequentia patet; Probatur antecedens. Sic enim arbor non fructificat niſi mota, & adjuta per virtutem cæli, immò nulla creatura agit niſi mota, & applicata à Deo, & tamen arbor eſt cauſa principalis fructuum, & creatura ſuorum operum.

Reſpondeo negando antecedens; Ad probationem diſtinguo antecedens: Cauſa principalis recipit motionem ab alia ſuperiori, quæ motio ſit ipſa virtus agendi, & attingendi effectum, nego; quæ motio ſit tantùm applicatio virtutis agendi, concedo: Similitèr diſtinguó conſequens. Ergò ratio inſtrumenti non conſiſtit in eo, quod recipiat motionem, quæ ſit purè applicativa, concedo: quæ ſit ipſa virtus agendi, nego. Explicatur ſolutio. Cauſa principalis differt ab inſtrumento, quia agit in virtute propria: undè de ratione cauſæ principalis eſt, quod habeat ex ſe virtutem agendi, & ideò dum cauſa principalis movetur ab alia ſuperiori, ut arbor à cœlo, creatura à Deo, per talem motionem non recipit ipſam virtutem agendi, quia illam jam habet; ſed ſolùm virtus ejus applicatur, & reducitur ad actum: At verò inſtrumentum agit in virtute aliena: & ideò motio cauſæ principalis non ſolùm applicat inſtrumentum, ſed etiam dat ipſi virtutem agendi: ut motio, qua artifex movet malleum, non ſolùm ipſum applicat; ſed etiam ipſi confert, quòd poſſit producere artefactum.

Inſta-

Digitized by Google

Inſtabis; Vel inſtrumentum per illam motionem redditur proportionatum effectui, vel non; ſi redditur proportionatum: ergò tranſit in cauſam principalem: ſi verò non redditur proportionatum: ergò ſuperfluit talis motio.

Reſpondeo reddi proportionatum inſtrumentalitèr, & per modum tranſeuntis: non verò principalitèr, & per modum permanentis, id eſt, non virtute ſuæ formæ permanentèr inhærenti, ſed virtute fluente participata à cauſa principali.

Urgebis, in inſtrumentis naturalibus, v. g. in grano, quo arbor producit arborem, vel illa motio à cauſa principali derivata eſſet quædam motio localis, vel quædam qualitas: non primum: ſiquidem arbor non movet localiter granum ſuum: non etiam ſecundum; nam nullum accidens deſtruit ſubjectum ſuum: qualitas autem illa producendo ex grano arborem, deſtrueret ſuum ſubjectum, ſcilicèt granum, ergò nulla prorſus eſt talis motio.

Reſpondeo: In inſtrumentis quidem artificialibus motionem inſtrumenti à cauſa principali conſiſtere in motione locali artificiosè diſpenſata, ut patet ad oculum: In inſtrumentis verò naturalibus, ut eſt granum reſpectu arboris, conſiſtit in quadam qualitate viali, & per modum tranſeuntis à cauſa principali derivata: quæ qualitas eſt quædam participatio tranſiens virtutis principalis, ut virtutis generativæ arboris in grano: Neque illa virtus deſtruit ſuum ſubjectum: quia, ut notant Ariſtoteles, & Divus Thomas virtus illa non reſidet in illa portione ſeminis, quam convertit in arborem,

ſed

ſed in quibuſdam ſpiritibus, ideſt ſubtilioribus partibus, qui non agunt in ſeipſos, in craſſiores grani partes, quas reſolvunt in plantam, qua reſolutione facta ipſi veluti miniſterio ſuo functi, ſeparantur, à maſſa diſſipantur.

Objicies 2. Inſtrumenta Divinæ virtutis; ut aqua & chriſma, non recipiunt virtutem à Deo, ſeu motionem illam virtuoſam; ergò non eſt de ratione inſtrumenti recipere talem motionem. Probatur antecedens: nam illa virtus vel eſſet ſpiritualis, vel corporea: non corporea, quia nequiret attingere effectum ſpiritualem, qualis eſt gratia, nec etiam ſpiritualis, alias non poſſet recipi in ſubjecto corporeo, quale eſt aqua: ergò nulla eſt.

Reſpondeo, illam virtutem impreſſam à Deo Sacramentis eſſe ſpiritualem; neque mirum, quòd poſſit recipi in corpore, cum anima rationalis, licèt ſit entitativè ſpiritualis, corpus tamen informet: cum virtutes morales infuſæ, licèt ſint ſpirituales, attamen recipiantur in potentiis corporeis, ſcilicèt in appetitu ſenſitivo, ut docent Theologi 2. 2. Undè Spiritus Sanctus dicitur habitare in corporibus noſtris mediantibus ſcilicèt ſpiritualibus donis, quæ etiam corpori communicat.

Inſtabis: Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: ſed virtus ſpiritualis non poteſt recipi ad modum corporis, ergò nec in corpore.

Reſpondeo, axioma intelligendum eſſe de iis quæ connaturaliter, & permanenter recipiuntur; non verò de iis, quæ fiunt divinitùs, & per modum tranſeuntis infunduntur, ut explicat D. Th. 3. p. q. 62. art. 4. ad 1.

Dico

Dico 4. Inſtrumentum, ut ſit verè inſtrumentum, debere habere actionem, ſeu vim activam ſibi propriam, qua aliquomodo ex ſe agat. Ita Div. Thomas 3. part. quæſt. 62. artic. 1. ubi inquit, *Inſtrumentum non perficit actionem inſtrumentalem, niſi exercendo propriam*; ut aqua abluendo corpus ſanctificat animam in Baptiſmo.

Probatur concluſio dupliciter; Primò ex diſcrimine, quod eſt inter medium & inſtrumentum; Medium enim dicitur, quod defert alterius virtutem, ſed nihil ex ſe agit; ut aer eſt tantùm medium deferens ſpecies viſibiles, quia ad earum productionem nihil cooperatur; ergò ſi aliquid ſolùm deferat virtutem activam, & nihil ex ſe agat, non erit inſtrumentum, ſed purum medium; ac proindè ad rationem inſtrumenti neceſſe eſt, ut aliquam actionem ex ſe habeat. Secundò, quia inſtrumentum pertinet ad genus cauſæ efficientis, cujus eſt veluti miniſter, ergò debet habere aliquam vim cauſandi, quæ elevatur à principali agente.

Objicies: Actio illa, quam per ſe elicit inſtrumentum vel eſt diſtincta ab actione cauſæ principalis, vel non? neutrum dici poteſt; ergò non datur.

Reſpondeo talem actionem inſtrumenti aliquando eſſe penitùs diverſam ab actione cauſæ principalis, ut ablutio aquæ eſt totaliter diverſa à ſanctificatione animæ; aliquando verò ſolùm modaliter diſtingui, ut dum quis malleo facit clavum, contuſio eſt actio mallei propria, ſed modificatio artificioſa, cum qua contunditur ferrum, eſt actio ipſius artificis, elicita per malleum tanquam per inſtrumentum.

In-

Digitized by Google

Inſtabis: Saltem inſtrumenta Divinæ virtutis non debent habere actionem ſibi propriam, Deus enim non eget horum actione.

Reſpondeo præfatam actionem non requiri in inſtrumentis Divinæ virtutis ex indigentia; Deus enim non indiget ablutione aquæ ad ſanctificandam animam; ſed ſolùm requiritur ad ſalvandam rationem inſtrumenti, quod eſſet purum medium, niſi aliquomodo cooperaretur.

QUÆ.

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA.

De Cauſa Finali.

FInalis eſt poſtrema cauſarum in ordine executionis: adepto enim fine ceſſat actio agentis; in ordine tamen intentionis eſt prima: Nàm ſicuti finis obtentus terminat omnem actionem, ita finis intentus excitat ad actionem; ſic ægrotus ex intentione ſanitatis movetur ad quærenda remedia, adepta verò ſanitate ceſſat ab uſu remediorum, & ideò ſanitas intenta eſt prior, obtenta verò eſt poſteriori uſu remediorum. Circa finem quatuor quærimus: Primò & quid, & quotuplex ſit; Secundò, quodnam ſit principium finalizandi: Tertiò, quæ ſit cauſalitas finis. Quartò, quænam agant propter finem; his enim quatuor comprehenditur quidquid circa finem hic agitari ſolet.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex ſit Finis.

FInis vocabulum variè ſumitur: 1. pro termino continui, ut punctum eſt finis lineæ: Secundò pro limitibus: ut Pyrenæi verſus Occidentem, & Alpes verſus Meridiem ſunt fines Galliæ. Tertiò pro completione operis, ut navis dicitur finita, quando completa eſt, apta navigationi. Quartò, pro conſumptione: ut vinum dicitur finitum quando exhauſtum eſt: Quintò pro definitione, ut mors dicitur finis vitæ. Sed miſſis his omnibus acceptionibus, ſumitur hìc finis pro una cauſarum, quæ allicit, & invitat agens ad agendum. Undè.

Dico primò: Finis eſt id, cujus gratia aliquid fit.

Hæc definitio communis eſt, & patet: Nam in ea rectè aſſignatur proprius character cauſæ finalis diſtinguens ipſam ab aliis cauſis; Cùm enim efficiens ſit à qua incipit motus: materialis, ex qua aliquid fit: formalis, qua aliquid fit: finalis eſt, quæ allicit agens ad agendum, ac proindè cujus gratia agens agit: ſolùm advertendum eſt ly *gratia*, in præſenti duplicitèr ſumi: 1. objectivè pro ipſa gratioſitate, & amabilitate, ſicut ſumitur à Propheta dicente; *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis* ideſt gratioſitas eloquii: Secundò, gratia ſumitur quaſi formalitèr pro amore, & propenſione ad rem gratam, in quo ſenſu dixiſſe videtur Angelus Mariæ, *Inveniſti gratiam apud Deum*, ideſt, amorem, & dilectionem, qua te præ cæteris eligit; In utroque ſenſu ſumitur gratia in prædicta definitione: nam finis

per

per ſuam bonitatem & gratioſitatem excitat ad ſui amorem; & per illum amorem deindè excitamur ad alia propter finem facienda: ſic amamus Deum propter ipſius bonitatem, & poſtea quæ placita ſunt ipſi, facimus propter ejus amorem.

Dico 2. Finis eſt vera, & realis cauſa.

Probatur: Tùm quia verè, & realitèr movet: non quidem motu phyſico, ſed morali, & intentionali: attamen reali: Realitèr enim finis allicit ad agendum, quæ allicientia dicitur motus moralis; Tùm quia quærenti propter quid aliquid fit, v. g. propter quid Alexander pugnavit contrà Darium, cauſam finalem aſſignamus, dicentes, ut dominaretur, & tunc putamus, nos aſſignaſſe veram & realem cauſam, Tùm demùm quia cauſa eſt, ad quam ſequitur effectus, ſeu, quæ influit in ipſum: ſed finis verè influit in effectum, movet enim agens, ut agat, & effectum producat: ergò finis eſt vera, & realis cauſa.

Objicies. Cauſa eſt principium influens: atqui finis non eſt principium, ſed potiùs terminus ultimus; ergò non eſt cauſa.

Reſpondeo diſtinguendo minorem; Finis non eſt principium, ſed terminus, in executione, concedo: in intentione, nego; quamvis enim finis obtentus ſit terminus, & ultima quies actionis; attamen ut intentus eſt primum principium excitans ad agendum.

Inſtabis: Quod non eſt, non cauſat; ſed finis ſæpè non eſt ante actionem, v. g. ſanitas, quæ eſt finis ægroti, non eſt ante uſum remediorum; ergò non poteſt realitèr cauſare.

Reſpondeo diſtinguendo minorem; Finis ante actionem non eſt in re, concedo: in apprehenſione,

ſione, nego: ſpeciale autem eſt, & proprium finis, ut cauſet quando apprehenditur: v. g. ſanitas apprehenſa movet, & excitat ægrotum ad quærenda remedia.

Dividitur autem finis ſic explicatus; Primò in finem, *cujus gratia* ſpecialiter dictum; & finem, *cui*: Finis, *cujus gratia*, eſt bonum, quod volumus: Finis, *cui*, eſt perſona, cui tale bonum volumus: ut dum pater laborat ad ditandum filium, divitiæ ſunt finis, cujus gratia pater laborat, & filius eſt finis cui pater laborat.

Dividitur ſecundò in finem ultimum, & intermedium; Finis ultimus eſt, propter quem cætera volumus, ipſum verò propter ſe tantùm; Finis intermedius eſt, propter quem aliquid volumus, ipſum verò ulteriùs ordinamus; ut dum quis affligit corpus propter virtutem, quam quęrit, ut placeat Deo, Deus eſt finis ultimus hujus afflictionis, virtus verò finis intermedius.

Dividitur tertiò in finem objectivum, & finem formalem; Finis objectivus eſt res, quam volumus: Finis verò formalis eſt actus, quo poſſidemus rem volitam; ut pecuniæ ſunt finis objectivus avari; poſſeſſio verò divitarum eſt finis ejus formalis, & Deus eſt finis objectivus juſtorum, poſſeſſio autem Dei eſt finis formalis.

Dividitur quartò in finem operis, & finem operantis: Finis operis eſt, ad quem ex natura ſua opus tendit: Finis verò operantis eſt quem ſibi ad libitum operans præfigit, ut finis operis in eleemoſyna eſt ſubventio pauperis; finis operantis aliquando Deus, aliquando vana gloria.

Dividitur quintò in finem principalem, & finem ſecundarium: finis principalis eſt, qui primariò, & directè intenditur: ſecundarius verò, qui ſolùm intenditur, quaſi ex conſequenti; ut

finis

finis primarius recitationis officii debet eſſe cultus Dei, finis verò ſecundarius poteſt eſſe perceptio ſtipendii.

Dividitur ultimò in finem naturalem, & ſupernaturalem: Finis naturalis eſt, qui vires naturæ non excedit: ſupernaturalis verò, qui ſola Divinæ gratiæ ope acquiri poteſt; Sic ſanitas eſt finis naturalis Medici, qui eam per remedia naturalia cauſat: Deus verò clare viſus eſt finis ſupernaturalis hominis: quia non niſi per Dei gratiam ad viſionem Dei pervenire poſſumus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid ſit principium finalizandi, ſeu utrùm ſolum bonum finalizet.

IN qualibet cauſa reperitur virtus ipſa cauſandi, v. g. in cauſa efficiente forma ſubſtantialis eſt principium, & virtus radicalis agendi. Quærimus ergò in cauſa finali, quodnam ſit principium cauſandi, an ſolum bonum, quidam tenent etiam malum quà malum poſſe finalizare: Pro hac ſententia referuntur Olea, Major, Almainus, immò ipſe Scotus, quamvis plures illum excuſent, itaut voluerit ſolùm vera mala, etiam cognita ut talia, poſſe finalizare; inquantùm aliqualem boni apparentiam ſubeunt, ſaltem quatenùs in iis exercetur libertas: Communis tamen ſententia eſt, ſolum bonum ſub ratione boni poſſe finalizare, pro cujus eſplicatione.

Obſervandum eſt, bonum eſſe duplex, verum ſcilicèt, & apparens. Bonum verum eſt, quod de facto in re eſt tale: bonum avem apparens eſt, quod cùm in ſe malum ſit, attamen apprehen-

prehenditur ut bonum. Sicut enim videmus res omninò inſipidas, ut carbones, & cineres, aliquando videri ſapidas guſtui depravato ægrotantium: itaque aliquando contingit, ut voluntas corrupta judicet bona ea, quæ re ipſa ſunt mala; ut ebrietas, & vindicta, quæ ſecundùm ſe mala ſunt, & certiſſima peccatoris pernicies; attamen à malis hominibus appetuntur ut bona, inquantùm delectant. Undè in Scriptura dicitur: *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*: quia ſcilicèt ſibi procurat verum malum, aliqua tamen boni apparentia, ſcilicèt voluptate fucatum. Undè ſimilis eſt ſtulto, qui bibens venenum melle perfuſum, inter apparentem dulcedinem veram ſibi perniciem procurat. Hoc prænotato.

Dico primò; Sola bonitas vera vel apparens eſt principium; & ratio finalizandi, malum vero ſub ratione mali non poteſt habere rationem finis. Concluſio in primis inquantùm ad hoc, quod dicit bonitatem etiam apparentem poſſe finalizare, recipitur ab omnibus. Cùm enim voluntas feratur in bonum ſibi ab intellectu propoſitum, ſi contingat intellectum proponere ut bonum id, quod revera eſt malum, voluntas poterit ferri ad illud bonum apparens; quantum verò ad id, quod dicit ſolam bonitatem poſſe finalizare, non verò malum quatenus malum.

Probatur primò authoritate, tùm D. Dionyſii, qui dicit, *nemo intendens, quod malum operatur*: Tùm Ariſtotelis, qui definit bonum *id quod omnia appetunt*; malum verò, *id, quod omnia fugiunt*. Tùm demùm D. Th. qui pluribus rationibus demonſtrat, omne agens agere propter bonum, 3. contra Gent. cap. 3. & 1. 2. q. 8. art. 1. ſpecialiter probat voluntatem ſolùm poſſe tendere in bonum.

Pro-

Digitized by Google

Probatur ſecundò ratione: Intantùm aliquid finalizat, inquantum eſt appetibile: ſed ſolum bonum eſt appetibile; ergò ſolum bonum poteſt finalizare. Major patet Finis enim eſt, quem agens appetit, & cujus gratia operatur. Minor verò probatur; Appetitus enim eſt inclinatio ad id, quod ſibi conveniens eſt: ſed ſolum bonum conveniens eſt appetitui: ergò ſolum bonum eſt appetibile. Probatur minor. Tum ex definitione boni, quod eſt id, quod eſt cōveniens appetitui: contrà verò malum id, quod eſt diſconveniens: Tùm etiam quia, ut arguit D. Th. 1. 2. q. 8. a. 1. Simile non eſt conveniens niſi ſimili; ſed omne ens quatenus tale, eſt bonum, ergò nihil poteſt eſſe conveniens alicui enti niſi ſub ratione boni; Tùm demùm experientia, qua videmus omnia inclinari ad id, quod ſibi bonum eſt, aut ſaltem bonum videtur: ea verò, quæ mala ſunt, fugere, & abhorrere.

Confirmatur: Nàm finis eſt, cujus gratia aliquid fit: ſed gratia mali, ut malum eſt, nihil fit: ergo malum quatenus malum non poteſt eſſe finis. Probatur minor: Siquidem malum quatenus malum non eſt gratum, ſed nocivum, ingratum, & abominabile; Undè definitur malum, id quod omnia fugiunt.

Objicies primò; Eadem eſt potentia oppoſitorum: ſed bonum, & malum ſunt oppoſita; ergò pertinent ad eamdem potentiam: atqui voluntas fertur ad bonum, ut ad finem: ergò etiam poteſt ferri ad malum.

Reſpondeo cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 8. art. 1. ad 1. diſtinguendo ma orem; Eadem eſt potentia oppoſitorum, & eodem modo tendens in illa, negò: diverſimodè tendens in illa, concedo: Et conceſſa minori, diſtinguo conſequens: bo-

num, & malum pertinent ad eandem potentiam, eodem modo, nego; diverſimodè, concedo. Voluntas enim reſpicit quidem bonum, & malum; ſed bonum appetendo, & ut finem: malum verò fugiendo; ſicut intellectus reſpicit verum, & falſum, verum aſſentiendo, & falſum diſſentiendo.

Inſtabis; Potentia libera fertur ad oppoſita etiam proſequendo; ſed voluntas eſt potentia libera: ergò debet ferri ad oppoſita etiam proſequendo, ſcilicèt ad bonum, & malum. Minor patet: Major verò probatur: Nàm potentia libera eſt verſatilis, & indifferens ad utrumlibet.

Reſpondeo cum D. Tho. ibidem diſtinguendo majorem, Potentia libera fertur ad oppoſita etiam proſequendo, quatenùs illa oppoſita poſſunt ſubire rationem formalem objecti talis petantiæ, concedo: alio modo, nego. Nulla enim potentia fertur extra ſuum objectum; Objectum autem voluntatis eſt bonum: Undè intantùm voluntas poteſt ferri ad oppoſita, inquantùm, in illis reperiri poteſt aliqua ratio boni, v. gr. voluntas ferri poteſt ad amorem & odium ad loquendum & tacendum, inquantùm in utroque poteſt reperiri aliqua ratio boni, vel veri, vel apparentis. Cæterùm ad malum ſub ratione mali ferri nequit actu proſecutionis, quia non continetur ſub ratione appetibilis.

Urgebis. Etiam aliqua voluntas ferri poteſt ad id, in quo nulla reperitur ratio boni; ergò nulla ſolutio; Probatur antecedens; *non eſſe* non poteſt habere aliquam rationem boni: ſed voluntas v. g. damnatorum appetit *non eſſe*; ergò.

Reſpondeo negando ſubſumptum ad probationem diſtinguo majorem: *Non eſſe* non poteſt habere rationem boni, quatenùs eſt deſtructi-

vum

vum naturæ, concedo: ut eſt terminativum pœnæ, nego. Nàm in ſumma miſeria excluſa omni ſpe boni, aliqualitèr bonum videtur id, quod finit miſeriam; Damnati autem non vident aliam viam evadendi ſummam miſeriam, niſi propriam deſtructionem, & ideò appetunt proprium *non eſſe*, ut eſt terminativum ſuæ miſeriæ: ſicut videmus animantia ſummis malis oppreſſa mortem ſibi inferre, ut finiant miſerias vitæ, licèt enim mors in ſe ſit mala, attamen videtur bona, inquantum finit miſeriam.

Inſtabis; Diabolus appetit peccatum etiam ut malum, ergò malum quatenùs malum appeti poteſt. Probatur antecedens; Nàm Diabolus appetit peccatum, ut injuria Dei eſt; ſed peccatum ut injuria Dei eſt malum: ergò.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem, diſtinguo majorem. Diabolus appetit peccatum ut eſt injuria Dei, præcisè, nego; ut ex illa injuria redundat aliqua vindicta inimici; concedo. Diabolus enim eſt inimicus Dei; undè procurat injuriam Deo ad vindictam ſumendam de inimico; inferre autem injuriam, & ſumere vindictam de inimico eſt aliquod bonum apparens.

Objicies ſecundò. In eo differt, qui peccat ex certa malitia, ab eo, qui peccat ex infirmitate, quia primus vult peccatum; quatenùs malum morale; alter verò vult peccatum; quatenùs bonum ſenſibile: ergò qui peccat ex certa malitia, intendit malum ut malum.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Qui peccat ex certa malitia, vult peccatum ut malum morale præcisè, nego: quatenus in illo malo morali percipit aliquam delectationem, & independentiam à lege Dei, concedo. Explicatur; Il-

le qui peccat ex certa malitia, vult quidem peccatum, quatenùs eſt malum morale; ideſt, ut tranſgreſſivum legis; attamen tranſgredi legem ſibi bonum, ac jucundum reputat, inquantùm per conſuetudinem tranſgreſſio non ſolùm facilis, ſed etiam dulcis ei facta eſt; & per eam oſtendit ſe legi non eſſe ſubjectum. Undè qui peccat ſive ex infirmitate, ſivè ex malitia intendit pro fine aliquod bonum apparens, cum eo diſcrimine, quod peccans ex infirmitate judicat peccatum ſibi bonum, non quidem ut eſt tranſgreſſivum legis, ſed ut eſt ſatiativum paſſionis prædominantis: undè dicitur peccare ex infirmitate, quia in eo amor præcepti non eſt ſatis fortis, ut vincat paſſionem; in eo verò, qui peccat ex certa malitia, etiam ipſa tranſgreſſio apparet bona, inquantùm perditiſſima voluntas aſſueta tranſgreſſionibus in illis delectatur.

Inſtabis Poteſt aliquis ad exercendam libertatem formare hunc actum Volo malum purè ut malum eſt, ergò talis habebit pro fine malum ut malum.

Reſpondeo negando conſequentiam. Nàm in illo actu etiam quærit aliquid boni, ſcilicèt exercere ſuam libertatem, quod eſt aliquid boni. Undè impoſſibile eſt, ut voluntas effugiat rationem boni, vel veri, vel apparentis.

Dico ſecundò Ratio formalis finalizandi in actu primò eſt realis bonitas finis: apprehenſio verò illius bonitatis eſt tantum conditio, & applicatio requiſita ad finalizandum.

Concluſio ſupponit in cauſis duo diſtinguenda eſſe, ſcilicet rationem cauſandi, & conditiones ad cauſandum requiſitas, ſic dum ignis calefacit, ratio calefaciendi eſt ipſe calor, ſed conditiones requiſitæ ad calefaciendum ſunt exiſtentia illius calo-

caloris; (Nam quod non eſt, non poteſt cauſare.) Deindè applicatio talis caloris, non enim calefacit niſi corpora propinqua. Sic igitur dicimus, dum finis finalizat, v. g. dum ſanitas allicit ægrotum ad quærenda remedia, realis bonitas ſanitatis eſt ratio finalizandi, at verò apprehenſio illius bonitatis eſt ſolum conditio ſine qua non; nec enim ægrotus moveretur à ſanitate, niſi bonitas illius exiſteret in ejus apprehenſione ægroti. Sic explicata concluſio eſt communis inter Thomiſtas, quamvis quidam dicant etiam ipſam apprehenſionem eſſe rationem formalem per quàm bonitas finalizat, ſicut illuminatio non eſt tantùm conditio, ſed etiam ratio formalis ſub qua colores videntur.

Probatur autem primò; Quod eſt commune fini, & non fini, non poteſt eſſe ratio finalizandi, ſed apprehenſio eſt aliquid commune fini, & non fini; ergò non eſt ratio finalizandi. Major patet. Nam ratio finalizandi conſtituit finem; undè non poteſt competere niſi fini; ſicut quia lux conſtituit objecta viſibilia, non poteſt illuminatio competere niſi objectis viſibilibus. Minor verò patet; Nàm commune eſt omni quod objicitur voluntati, ſeu ut finis, ſeu ut medium, ſeu ut indifferens, ſeu ut malum, quod ſit apprehenſum: ergò apprehenſio eſt communis tàm fini, quàm non fini.

Probatur ſecundò; Nàm ratio formalis finalizandi eſt, quæ movet appetitum, quem agens intendit, cujus gratia agit, & qua adepta quieſcit; ſed hæc omnia non competunt ipſi apprehenſioni, ſeu bonitati reduplicativè ut apprehenſæ, ſeu ut realitèr poſſidendæ, ergò ipſa apprehenſio non eſt ratio formalis finalizandi.

Digitized by Google

[illegible]; Hæc enim ſunt ipſiſſima finis munera: ergò ratio præſtandi hæc omnia, erit etiam ratio finalizandi. Minor verò declaratur; non enim apprehenſio divitiarum excitat avarum, ſed bonitas realis, quæ relucet in objecto apprehenſo: nec avarus intendit bonitatem divitiarum prout eſt apprehenſam, ſed ut realitèr habendam: nec gaudet illius apprehenſionis labore, ſed gaudet realis poſſeſſione; nec quieſcit [illegible] in diverſis apprehenſis, ſed realitèr poſſeſſis; ergò ipſa realitas bonitatis, & non apprehenſio, eſt ratio finalizandi.

Objicies: Diverſus modus apprehendendi diverſificat potentias appetitivas, & actus, quibus appetitur bonum: ergò pertinet ad rationem [illegible], ac proindè finis. Probatur antecedens: Nam bonitas apprehenſa per imaginationem ſpecificat appetitum ſenſitivum, bonitas apprehenſa per intellectum ſpecificat appetitum rationalem; ſimilitèr bonitas apprehenſa ut præſens ſpecificat gaudium; ut abſens deſiderium; ut adepta poſſibilis actus ſpei.

Reſpondeo, tales apprehenſiones diverſificare actus, & potentias appetitivas, non quidem [illegible] ratione ſui, ſed inquantùm applicant diverſam bonitatem realem, vel diverſos ſtatus bonitatis realis. Nàm bonum ſenſitivum, & bonum intelligibile realitèr differunt in ratione boni, & non ſolùm in modo apprehendendi; Et ſimilitèr bonum abſens habet diverſum modum à bonitate præſenti. Undè tota diverſitas actuum, & potentiarum appetitivarum per ſe refunditur in varietatem bonitatis realis.

Inſtabis: Plura finalizant, quæ nullam habent bonitatem realem; ergò ratio finalizandi non eſt bonitas realis. Probatur antecedens:

Nàm

Nàm Turcæ agunt propter Paradiſum Mahometis, qui nullam habet bonitatem realem, ſed totus chymericus eſt, Sinenſes, ut refertur, quotidiè laborant in quærendo pharmaco immortalitatis, quod tamen nullum eſt in rerum natura, nam.

Contra vim mortis non eſt medicamen in hortis.

Et noſtri Chymiſtæ opes, & vigilias impendunt ad inveſtigandam rationem vertendi alia metalla in aurum, & tamen hoc impoſſibile eſt arti chymicæ.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens; plura finalizant, quę nullam habent bonitatem realem veram concedo; exiſtimatam, nego, ſiquidem illi omnes non agunt propter ejuſmodi fines, niſi quia putant habere veram, & realem bonitatem, quam exiſtimant adeptu poſſibilem, ideoque illam enixè querunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Quænam ſit cauſalitas Finis.

CONſtat ex dictis bonitatem realem eſſe principium, & rationem finalizandi in actu primo: nunc quærimus quid ſit ipſa finalizatio in actu ſecundo, ſeu per quid finis conſtituatur actu finalizans. Triplex eſt ſententia; Prima tenet cauſalitatem finis conſiſtere in oſtenſione objectiva ſuæ bonitatis: ſed hoc ſtare non poteſt; nam ſæpè finis oſtendit ſuam bonitatem, & tamen nihil cauſat, nec movet voluntatem: ut patet de illa quæ dicit apud Ovidium, *Video meliora, proboque, deteriora ſequor*: ergo finis non conſtituitur actu cauſans, & finalizans per ſolam oſtenſionem ſuæ bonitatis. Secunda ſententia dicit fi-

nem actu finalizare per impreſſionem cujuſdam qualitatis, quæ movet voluntatem; ſed in primis falſum eſt, quod finis aliquam qualitatem imprimat voluntati; & quamvis imprimeret, reſpectu hujus qualitatis, eſſet cauſa efficiens, & non finalis; quæ enim alia cauſa efficiens hujus qualitatis aſſignari poſſet? Undè pro explicatione tertiæ ſententiæ.

Dico: Cauſalitas finis eſt amor, ſeu deſiderium ſui, quod inſpirat finis voluntati: Undè intantùm finis finalizat, inquantùm per ſui deſiderium, & amorem movet ad agendum. Ita expreſsè D. Th. qu. 22. de veritate, a. 2. ubi ſic ait: *Sicut influere cauſæ efficientis eſt agere, ita influere cauſæ finalis eſt appetiri, & deſiderari.*

Probatur concluſio. Nàm cauſalitas finis eſt id, per quod in actu ſecundo movet, & inclinat ad ſe voluntatem; Sed finis movet & inclinat ad ſe voluntatum per ſui amorem; ergò amor finis eſt ejus cauſalitas. Major patet; Nam diſcrimen eſt inter intellectum, & voluntatem; quod intellectus trahit res ad ſe, eas intelligibilitèr apprehendendo: voluntas verò è contra trahitur, rebus appetendo ipſas: appetitus enim eſt inclinatio ad rem appetitam: & ideò intantum finis exercet ſuam cauſalitatem ſupra voluntatem, inquantùm eam ad ſe trahit, & inclinat. Minor verò probatur: Nàm per id finis movet, & inclinat ad ſe voluntatem, per quòd voluntas inclinatur, & movetur ad finem: Sed voluntas inclinatur, & movetur ad finem per amorem ipſius finis: ergò etiam ipſe finis movet, & inclinat ad ſe voluntatem per amorem; inquantùm ſcilicèt inſpirat ipſi amorem, & deſiderium ſui. Undè Aug. vocat amorem *pondus*, quia voluntatem trahit, *amor meus*, inquit, *pondus meum, eo feror, quocumque feror.*

Con-

Confirmatur. Nàm: cauſalitas finis eſt id, per quod actu exercet ipſam efficaciam finalizandi; ſed finis exercet efficaciam finalizandi per amorem, quem inſpirat voluntati: ergò in tali amore conſiſtit cauſalitas finis. Major patet; Sicut enim cauſalitas cauſæ efficientis eſt id, per quod exercet vim effectivam, ſcilicèt ipſa actio: ita quoque proportionalitèr idem dicendum de fine. Minor verò probatur: Nàm vis finalizandi eſt bonitas, ſeu amabilitas: Sed amabilitas exercetur per actualem amorem, per quem finis redditur actu amatus; ergò actualis amor eſt cauſalitas finis.

Objicies primò; Amor finis eſt effectus finis: ergò non eſt ejus cauſalitas.

Reſpondeo, amorem finis eſſe ſimul effectum, & cauſalitatem finis. Effectus quidem, quatenus procedit à fine cauſalitatem verò quatenus per amorem, quem finis imprimit voluntati, exercet ſuam amabilitatem: Sicut viſio eſt ſimul & effectus potentiæ viſivæ, inquantùm procedit ab illa; & cauſalitas, inquantùm eſt exercitium virtutis videndi.

Objicies 2. Amor eſt cauſalitas ipſius voluntatis: ergò non eſt cauſalitas. Antecedens patet: Nàm amor eſt actio voluntatis: Conſequentia verò probatur quia diverſæ cauſæ debent habere diverſas cauſalitates.

Reſpondeo, amorem ſub diverſo reſpectu eſſe cauſalitatem voluntatis ſimul, & finis: Ut enim dicit D. Thomas 1. 2. quæſt. 26. art. 2. amor poteſt duplicitèr ſumi: Primò, ut eſt quædam immutatio facta à fine, & objecto amato; Secundò ut eſt actus vitalis procedens à voluntate. Primo modo eſt cauſalitas finis, inquantùm ſcilicet inſpiratur ab ejus bonitate; naturalitèr enim

bonitas inſpirat amorem; Secundò verò modo eſt cauſalitas voluntatis, inquantum ſcilicèt vitaliter ab illa procedit tanquam exercitium potentiæ appetitivæ.

Dices cauſalitas finis eſt quædam motio metaphorica: atqui amor, ſeu appetitus finis non eſt motio metaphorica, ſed propria: ergo non eſt cauſalitas finis.

Reſpondeo conceſſa majori diſtinguendo minorem; Amor non eſt motio metaphorica, quatenùs eſt à cauſa ipſum effectivè producente, ſcilicèt à voluntate, concedo; quatenus eſt à fine ipſum inſpirante: nego; Amor enim, ut patet ex D. Th. citato, poteſt dupliciter ſumi, primò ut effectivè procedit à voluntate alliciente, & ſic ſine dubio eſt motus proprius, ac vitalis, ideoque voluntas amans dicitur propriè, & vitaliter ſe movere. Secundò, idem amor poteſt conſiderari ut eſt à fine inſpirante, naturalitèr enim bonitas inſpirat amorem ſui: & hoc ſecundo modo dicitur ſolùm motio metaphorica, & moralis, quia movere propriè dicitur tantùm de eo, quod effectivè producit motum: motus autem amoris non eſt effectivè à fine, ſed ſolum allicitivè, & inſpirativè, ſeu ut explicat Joannes à S. Thoma, amor eſt à fine tanquam à pondere urgente voluntatem, bonitas enim ponderat in ipſam voluntatem, & eam urget, juxta illud Apoſtoli, *Charitas Dei urget nos*, ideſt amor quem Deus erga nos oſtendit, eſt veluti grande pondus urgens ipſam voluntatem ad reciprocandum amorem.

Ex dictis obiter collige, præclaram explicationem definitionis amoris, quam Dionyſius tradit dicens, *Amor eſt circulus à bono in bonum revolutus*. Nàm circulus eſt, qui redit ad ſuum principium, ſeu in quo idem eſt principium, &

ter-

terminus: Amor autem idem habet principium, & terminum, originatur enim à bonitate finis tanquam à pondere inclinante voluntatem, & prætereà ordinatur ad eamdem bonitatem tanquam ad ſuum centrum; amor enim eſt motus in bonitatem, in qua quieſcit tanquam in proprio termino.

ARTICULUS QUARTUS.

Quænam agant propter finem.

AGere propter finem eſt ponere actionem, quæ fit gratia finis, ideſt, ad quam ponendam finis per ſuam bonitatem inclinaverit. Undè juxta triplicem modum ſe habendi ad finem triplex eſt modus agendi propter finem. Agentium enim quædam nullo modo cognoſcunt finem, ad quem tendunt, ut lapis non cognoſcit centrum, ad quod tendit, nec ſagitta ſcopum. Alia vero apprehendunt quidem rem, quæ eſt finis, & ejus bonitatem non tamen ipſam formalitatem finis ideſt proportionem ejus, & ordinem ad media. Formalitas enim finis conſiſtit in proportione, & ordine, quem dicit ad media. Unde illa non dicuntur cognoſcere finem formaliter, quæ cognoſcunt quidem ejus bonitatem, ſed non cognoſcunt ejus proportionem, & ordinem cum utilitate mediorum. Sic equus cognoſcit quidem bonitatem, & ſaporem pabuli, ſed non cognoſcit proportionem pabuli cum mediis ad ipſum conducentibus: ut eſt cultura, & irrigatio prati; undè non eſt ſollicitus colendi, & irrigandi prata, quia ignorat culturam eſſe proportionatam ad procurandam pabuli abundantiam. Alia demùm agentia non ſolum apprehendunt rem, quæ

eſt finis, ſed etiam formalitatem finis, ideſt, proportionem ejus cum mediis: ut homo non ſolùm cognoſcit bonitatem fructuum, ſed etiam proportionem mediorum ad procurandos fructus conducentium, v. g. culturæ irrigationis, & impinguationis agrorum.

Agentia primi generis agunt propter finem executivè, inquantum eliciunt actiones ad finem tendentes, quamvis eum non cognoſcant. Ut ſagitta tendit ad ſcopum, quem tamen non cognoſcit. Agentia ſecundi generis dicuntur agere propter finem non ſolùm executivè, ſed etiam apprehenſivè, inquantum apprehendunt finem propter quem agunt, & ex tali apprehenſione excitantur ad agendum, ut hirundines ingruente frigore in ſua imaginatione apprehendunt commoditatem loci temperati, & ex hoc excitantur ad catervatim confluendum verſus regiones meridionales, in quibus eſt æſtas, cum apud nos hyems deſævit. Agentia demùm tertii generis dicuntur agere propter finem etiam directivè, inquantùm non ſolùm exequuntur actiones ad finẽ tendentes, & cognoſcunt bonitatem finis; ſed etiam cognoſcunt ipſa merita finis, & proportionem mediorum ad illam, ex quo ſe movent ad ordinanda media in finem: Hoc prænotato.

Dico primò. Omnis natura agit propter finem ſaltem executivè, inquantùm agentia naturalia eliciunt actiones ad finem tendentes, quamvis ſæpè finem non cognoſcat. Concluſio eſt contra quoſdam Veteres, qui negabant naturam agere propter finem, ſed omnia naturæ opera tribuebant caſui, & temerario atomorum concurſui; ut Leucippus, Democritus, & Epicurus. Eſt tamen certiſſima etiam de fide; qua tenemus naturam regi, & gubernari à Deo, qui cum ſit

ſa-

ſapientiſſimus per ſuam providentiam, omnia in ſuos fines ordinat.

Probatur. Primò concluſio ratione Div. Thomæ 1. 2. quæſt. artic. 2. Nàm finis eſt prima cauſarum: ergò illa ſubtracta ceſſarent omnes aliæ cauſæ; proindeque agunt propter finem. Conſequentia patet. Nàm ſubtracto primo movente, ceſſant ſecunda moventia: Antecedens verò probatur; Nàm agens movetur, determinatur, & excitatur à fine: ergò ſubtracto fine ceſſaret actio agentis.

Probatur ſecundo alia ratione ejuſdem D. Th. Nàm in iis quæ ordinata ſunt, unum eſt propter aliud tanquàm propter finem; in hoc enim conſiſtit ordo, ſicut è contra confuſio, & temeritas in eo quod, unum non ſit propter aliud, ſed omnia indiſcriminatim, & temere ponantur: atqui opera naturæ ſunt ordinatiſſima ut patet; ergò debent eſſe propter finem. Et confirmatur inductione: ſic enim videmus naturam aptiſſimis mediis, & cum ſummo ordine conſequi id, quod eſt conveniens rebus: ſic enim veris, æſtatis: autumni, & hyemis, diei, noctis ordinatiſſima ſunt diſcrimina, & congrua productioni, ac conſervationi rerum naturalium; ſic in plantis radices, rami cortex, folia aptiſſima ſunt ad fructificationem. Similiter in animalibus quàm ordinatè, quam ſapienter, quàm accommodè omnia diſponuntur ad vitam, & vitares operationes, ut non immeritò Hippocrates poſt longam corporis humani diſcutionem ſapienter pronunciaverit: *Conſpiratio una confluxus unus, conſentientia omnia?* Oſſa veluti baſes, & columnæ ſtatuam animalis conſolidant, & fulciunt: ideòque dura ſunt, & rigida; ligamenta, & nervi partes colligant, & motui deſerviunt; ideò-

ideòque tenaciſſima ſunt, ſed tamen flexibilia, venæ, & arteriæ deferunt ſpiritum, & humorem per totum corpus, ideòque cavæ ſunt, & in totum corpus diffuſæ; caro cutis, & pili muniunt, & defendunt animal à nocivis extraneis, veluti ageres conſtructi ad primos hoſtium impetus excipiendos, pedes quàm expediti ſunt ad ambulandum, manus ad apprehendum; ergò apertè patet naturalia cum ſummo ordine diſponi, & ad ſuos fines ſapientiſſimè tendere, proindè naturam agere propter finem, Undè adeò evidenti veritate convincti veteres Philoſophi unanimi conſenſu confeſſi ſunt, *opus naturæ eſſe opus intelligentiæ*: ideòquè Cicero meritò deridet Epicurum; quod, cum nullum artefactum temerè, & caſu fiat, (ut horologium non fit ex ferro temerè in ignem projecto, nec palatium ex lapidibus cauſaliter de rupe cadentibus) naturæ tamen opera, præcunctis artefactis ordinatiſſima caſu, & temerè fabricari diceret.

Probatur 3. alia ratione, qua etiam utitur D. Thomas. Nam illa, quæ temerè fiunt, raro eodem modò contingunt, nec certis legibus aſtringunt, v. gr. qui clauſis oculis temerario ictu vibrat telum, raró ſcopum attingit, & ſi attingit, hoc fit non artis legibus, ſed caſuali eventu: atqui naturæ opera eodem modo contingunt, & certis legibus aſtringuntur, ut hominum productio eodem modo fit, ſimiliter arborum fructificatio, & temporum diſcrimina, ſiderum curſus certis legibus decurrunt; ergò non caſu, & temere ſed cum ſummo ordine, & propter certos fines natura operatur.

Ex his obiter colliges, Renatum Deſcartes graviter contrà Philoſophiam peccaſſe, dum jubet eam prorsùs abſtinere ab inveſtigatione cau-

ſarum

ſarum finalium, in prima parte libri principiorum nu. 28. Planè Philoſophi cura occupatur in inveſtigandis rerum naturalium cauſis; cum igitur res omnes naturales ad certos fines ordinentur, & tendant, & aliundè finis ſit omnium cauſarum princeps, præcipua cura philoſophantium eſt, hunc ſapientiſſimum ordinem, & aptiſſimam mediorum ad ſuos fines diſpoſitionem, quam ſapientia Divina in rebus naturalibus excogitavit, contemplari, ac admirari. Præcipuè cum ea conſideratio maximè convincat naturam, & à ſapientiſſimo Artifice productam, ac inſtitutam eſſe, & à providentiſſimo Gubernatore dirigi; adeò ut Galenus ex mirabili ordine, ac ad ſua quæque officia partium corporis humani congruentiſſima diſpoſitione ſe maximè ad Dei laudes, ac admirationem excitari conſiteretur. Nec planè urget ratio Renati in oppoſitum *Quia*, inquit *præſumptio eſt velle conſilia Dei inveſtigare quæ tamen incomprebenſibilia ſunt*. Nam hoc nihil probat, quia quamvis ea conſilia, quæ Deus apud ſe ita vult ſecreta eſſe, ut nec illa revelaverit, nec in ipſis operibus ſuis prodiderit, ſcrutari ſit audaciſſimæ temeritatis; attamen illa quæ vel in Scripturis ad ſalutem noſtram nobis propalata ſunt, vel in creaturis ad laudem creatoris expreſſa relucent, inquirere contemplari, ac admirari Chriſtianæ, ac Philoſophicæ ſapientiæ munus eſt. Patet autem, quòd fines rerum naturalium ex ipſa rerum diſpoſitione detegi poſſunt, ut ad quem finem deſtinetur in viſceribus jecur, in pectore pulmo, in capite oculus, &c. Planè qui epicurizare volunt, & corpuſculorum colluſionibus opera naturæ tribuere cauſas finales meritò ſilent; ſed qui cupiunt ad veritatem phyloſophari, & à creaturis ad Creatoris admirationem excitari:

pre-

præcipuam curam in conſideranda mediorum ad ſuos fines ſapientiſſima diſpoſitione, quæ in rerum natura relucet, fructuosè impendunt.

Objicies Natura plerumque peccat, ut patet in monſtris, & ſterilitate: ergò non agit propter finem; peccatum enim eſt defectus à fine.

Reſpondeo cum D. Th. etiam ipſa peccata, & monſtra teſtari naturam agere propter finem; Peccatum enim, & monſtrum eſt deviatio à fine; nihil autem deficit à fine, niſi quod per ſe ordinatur in finem. Undè in talibus naturæ peccatis, & monſtris opus quidem erat propter finem, ſed per accidens, & defectu alicujus cauſæ non potuit ipſum attingere, ſicut ſagitta quam peritus, & prudens jaculator vibrat, tendit quidem ad ſcopum, quamvis aliquando ventis, & aliis obſtaculis impedita pauliſper deflectat ab illo.

Quæres quid ſit propriè monſtrum.

Reſpondeo definiri effectum à recta, & ſolita diſpoſitione degenerantem; ut ſi homo naſcatur ſine manibus, aut cum unico in fronte oculo, ut de Cyclopibus narrant Poetæ; aut cum ſex digitis, ut de quodam Gigante refert Scriptura: vel cum pedibus caprinis, & cornuto capite, ut dicitur de Satyris, vel cum inteſtinis bovis, ut dicitur de quibuſdam hominibus ſylveſtribus, qui frequentes ſunt in Africa, & herbas paſcunt ſicut pecudes: vel cum dimidio corpore equino, ut dicitur de Centauris: hæc omnia, inquam ſunt monſtra. Cauſa verò iſtius deordinationis eſt vel abundantia, vel defectus, vel incongruitas materiæ, ex qua ejuſmodi res producuntur, vel aliquid turbans naturalem generationis ordinem. Abundantia quidem materiæ, quia ut dicit Ariſtoteles lib. 4. de gener. animal. cap. 4. aliquandò contingit materiam duplici proli ſuffi-

ſufficientem in utero confundi, & coaleſcere in unum fœtum, quem ſic duplicatis membris monſtruoſum formari neceſſe eſt: Hoc monſtri genus frequens eſt in multiparis animalibus; in apibus autem, & veſpis nunquam contingit, quia cellulis accuratè diſcretis earum partus continentur. Defectus etiam materiæ cauſa eſt partus monſtruoſi in his, quæ naſcuntur aliquo membro orbata; ut ſine manibus, aut pedibus. Incongruitas materiæ monſtra cauſat in his præcipuè, quæ generantur commixtione duplicis ſpeciei, ut leænæ, & pardi, equæ, & aſini. E turbatione verò materiæ ſæpè fit incongrua partium diſpoſitio, quæ ſi multum excedat, cenſetur monſtruoſa. Cæterùm in agentibus naturalibus, v. gr. in brutis, quæ ſequuntur exactiùs naturæ diſpoſitionem, & inſtinctum, rariùs cæteris paribus monſtra contingunt, niſi fortè per accidens, ſicut narratur de leæna; quæ in Africa propter inopiam maſculi commiſcetur pardo, ex quo naſcitur leopardus, qui eſt genus monſtri in Africa frequentis. Contingit etiam, ut notat Ariſtoteles libr. 2. de generatione anim. cap. 7. in eadem Africa propter penuriam aquæ in loca pauciſſima congregari variæ ſpeciei animantia, & data occaſione miſceri: indè varia monſtra fiunt, quod proverbio locum dedit, *Africam ſemper aliquid novi ferre*. At verò in hominibus, qui minùs ſequuntur naturæ inſtinctum, & ejus diſpoſitionem turbant, ac invertunt, ſæpiùs videntur partus monſtruoſi, & defectuoſi ut patet ex hiſtoriis; Deo etiam peccata hominum talibus contumeliis ulciſcenti.

Dico 2. Bruta agunt propter finem non ſolùm executivè, ſed etiam apprehenſivè, in quantum

tum moventur ab ipſo bono per imaginationem apprehenſam non tamen agunt propter finem directivè, quaſi ipſa ſe regant, & actiones ſuas ordinent: ſed reguntur ab authore naturæ; ſicuti cætera agentia naturalia; Undè tàm bruta, quàm res naturales dicuntur tendere in finem paſſivè, quia non ſe dirigunt, ſed ab authore naturæ diriguntur, ut dicit D. Thom. 1. 2. q 1. art. 2.

Prima pars concluſionis eſt per ſe nota, & patet iiſdem rationibus, quibus probata eſt ſuperior concluſio. Videmus enim bruta ordinatiſſimè operari in nidificando, fœtus educando, neceſſaria ſibi providendo cum ſumma induſtria, & opportunitate: Prætereà manifeſtum eſt, quòd bruta cognoſcunt bonitatem finis, propter quem agunt, ut equus bonitatem pabuli per guſtum, & imaginationem apprehendit; ſimilitèr hirundo commoditatem regionum: ergo agunt propter finem non ſolum executivè, ſed etiam apprehenſivè.

Secunda verò pars, quod ſcilicet animantia non agant propter finem directivè, ſe ipſa, ſuaſque actiones ordinando in illum, eſt contrà quoſdam Veteres Plutarchum ſcilicet, & Porphyrium, qui rationem tribuebant brutis, per quam ſe ipſa regerent: immò Pythagoras animam brutorum aſſerebat eamdem eſſe cum anima hominum ſola domicilii ſtructura differentem.

Probatur tamen contrà ipſos evidentèr: Intantùm enim aliquid agit directivè propter finem, inquantum cognoſcit rationem finis, ideſt, proportionem, quæ eſt inter media, & finem: ſed bruta non cognoſcunt talem proportionem; ergo non agunt propter finem directivè. Major patet: Nam ordinare ſupponit cognitionem rerum ordinandarum; & proportionis, quam habent

bent

bent ad invicem: Quomodò enim v. g. poſſet aliquis ordinare ſagittam in ſcopum, niſi cognoſceret ipſum motum ſagittæ, & ſcopum, & proportionem ſervandam in vibratione, ut ſit ſcopo commenſurata. Minor verò probatur; Quia talis cognitio eſt ſpiritualis; ſed bruta carent cognitione ſpirituali; ergo. Minor patet: Nam anima brutorum non eſt ſpiritualis, ſed purè corporea. Major verò probatur: Siquidem cognoſcere proportiones eſt opus intelligentis, & ratiocinantis; ſed intelligentia, & ratio ſunt cognitiones ſpirituales; ergò, &c.

Confirmatur etiam hæc ratio tùm ex ſigno: videmus enim animalia ejuſdem ſpeciei ſemper agere eodem modo; ut omnes hirundines uno modo nidificant: ergò talis modus nidificandi eſt ipſi inditus à natura tanquàm naturalis inſtinctus, & proprietas, non verò per cognitionem formatus: Undè animalia non egent inſtructione, conſultatione, & experientia; ſed ſtatim à nativitate induſtriam agendi ſortiuntur. E contra verò homines, quia non naturali inſtinctu, ſed rationali cognitione ſeipſos regunt non uno modo, ſed infinitis modis agunt, quotidiè per ſtudium, experientiam, & conſultationem novos modos detegentes, quibus victum, & veſtitum ſibi procurent, ſuam rempublicam adminiſtrent, &c. Tùm etiam quia animantia non delectantur in proportionibus, & ordine; unde negligunt muſicam, picturas, flores; artefacta, & alia hujuſmodi, quorum pulchritudo conſiſtit in ordine, & proportione; ergò ſignum eſt quod tales proportiones non cognoſcunt, nec proindè ſciunt ordinare, niſi executivè: inquantum diriguntur ab Authore naturæ.

Confirmatur 2. contra quoſdam juniores, qui dicunt

dicunt animalia ſe ipſa, ſuaſque actiones ordinare in finem per aliquam rationem imperfectam, quam ponunt in brutis; Siquidem vel perfectior ratio danda eſt in brutis, quàm in hominibus, vel nulla: ſed non poteſt dici bruta perfectiorem habere rationem, quàm homines: ergò nullam habent. Probatur major: Nàm ratio cognoſcitur per ſua opera; ſed opera brutorum ſæpè præcellunt operibus hominum: quis enim imitari poſſet alcyonum nidos, apium favos, officinas, & œconomiam bombycis textinam: ergò vel dicendum eſt bruta vincere homines in ratione, & induſtria: vel fatendum quòd in talibus operibus bruta non dirigunt ſe ipſa per aliquam rationem; ſed diriguntur ab Authore naturæ.

Ex his ſolvitur objectio, quam quidam pecudum patroni deducere ſolent ex operibus brutorum tanta cum induſtria factis, ut hominum artefacta vincant. Hæc enim ratio nimis probat, nempè bruta eſſe ſapientiora hominibus, quod eſt contra Sacram Scripturam, quę ideò refert hominem ad imaginem Dei factum eſſe, & animalium dominum conſtitutum, quòd ſapientiſſimus ſit, & ſolus ratione præd.tus inter animalia. Undè opera brutorum executivè quidem ſunt ab ipſis animalibus, ordinativè tamen ſunt ab Authore naturæ, qui dedit inſtinctum animalibus, quo moverentur ad quærenda commoda, & fugienda incommoda, cum tanto ordine, ut ſæpè vincant ipſos homines: ſicuti dum quia expers muſicæ ab excellentiſſimo muſico cantilenam didicit omnes muſicæ numeros ſervantem, regulatiſſimè canit, & alios mediocres muſicos vincit: attamen gratiſſimæ hujus cantilenæ harmonia executivè quidem eſt ab ipſo, ordine vero eſt à muſico, qui eam compoſuit, & docuit.

Dico

Dico 3. Agentia ratione prædita ut ſunt homines, agunt propter finem non ſolum executivè, & apprehenſivè, ſed etiam directivè. Ita omnes, &

Probatur facilè; Nàm agens intellectuale cognoſcit proportionem mediornm cum fine, & ponderat iſtius merita, illorumque utilitatem; ergò poteſt ordinare media in finem, eligendo aptiora, & reſpuendo minùs apta, prout judicaverit expedire ad finem conſequendum: ſic quotidiè videmus homines in quolibet negotio quando rationalitèr agunt, ſibi certum finem deſtinare: deindè conſultare, quæ nam media valeant ad hunc finem, poſtea eligere, quæ placuerint. Hoc autem eſt agere propter finem; non ſolùm executivè, & apprehenſivè; ſed etiam directivè.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA.

De Comparatione Cauſarum ad effectus.

SUprà oſtendimus quomodo cauſa, & effectus ſe habeant quantùm ad prioritatem, & dignitatem; ſolùm duo diſcutienda reſtant circa productionem effectus à cauſa. Primo, utrum plures cauſæ totales ejuſdem ordinis poſſint ſimul producere eundem numero effectum. Secundò, utrum effectus, qui ab una cauſa totali producitur, idem numero ab alia creata potuiſſet produci. Ex reſolutione iſtarum quæſtionum meliùs innoteſcet dependentia effectus à cauſis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm plures Cauſæ totales ejuſdem ordinis poſſint producere ſimul eumdem numero effectum.

ETſi difficultas poſſet procedere de omnibus cauſis, v.g. utrum duæ formæ totales poſſint informare unam materiam, vel duplex materia totalis intendi ſimul, ſpecialiter tamen eam reſolvemus de cauſa efficienti, tùm quia idem proportionaliter dicendum erit de aliis cauſis,

ſis, tùm quia de illis ſpecialitèr redibit ſermo aliis in locis. In primis autem conſtat, eumdèm numero effectum poſſe produci à pluribus cauſis efficientibus partialibus, ut plures equi trahunt eumdem currum: conſtat etiam poſſe produci a pluribus cauſis totalibus diverſi ordinis, ut idem homo producitur a parentibus, ab aſtris, & à Deo: à parentibus quidem ut à cauſa particulari: ab aſtris ut à cauſis univerſalibus omnium corporum ſublunarium; & à Deo ut cauſa univerſaliſſima omnium entium. Sicut idem tectum totalitèr portatur, & à parietibus, & à fundamentis, & ab ipſa terra, quæ eſt baſis univerſalis omnium gravium. Undè difficultas eſt ſolùm de cauſis totalibus ejuſdem ordinis v. g. utrùm duæ faces poſſint eandem numero lucem ſimul producere, itaut talis lucis utraque ſit cauſa totalis. Pro reſolutione.

Dico: Impoſſibile eſt eundem effectum produci à duabus cauſis totalibus ejuſdem ordinis; ita D. Th. 5. Met. lect. 2. dicens; *Impoſſibile eſt, ut ejuſdem effectus ſint plures cauſæ ſecundum idem*: & licèt quidam ipſum explicent de impoſſibilitate naturali, attamen rationes videntur convincere impoſſibilitatem abſolutam: Undè.

Probatur concluſio; Hic numero effectus eſſentialitèr, & per ſe dependet ab hac numero cauſa; ergò non poteſt produci ab alia. Conſequentia patet; Si enim poteſt produci ab alia, potuit non produci ab iſta, nec proindè eſſentialitèr ab iſta dependeret. Antecedens verò probatur; Nàm ſicut ſe habet effectus in communi ad cauſam in communi, ita hic numero effectus ad hanc numero cauſam: atqui effectus in communi dependet eſſentialitèr à cauſa in communi: ergò hic numero effectus depēdet ab hac numero cauſa.

Di

Dices: Hic numero effectus potuit produci ab alia cauſa, v. gr. Filius qui productus eſt à Petro, potuit creari à Deo ſine Petro, ergò eſſentialitèr hic filius non dependet à Petro.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Hic numero effectus potuit produci ab alia cauſa, in qua continetur etiam propria ejus cauſa individualis, concedo: ſi cauſa propria individualis in illa non præcontineatur, nego: Et ſimilitèr diſtinguo conſequens: ergò non dependent à ſua cauſa, vel in ſe ſumpta, vel eminenter in ſuperiori præcontenta, nego præcisè in ſe ſumpta, concedo. Explicatur ſolutio. Omnis cauſa creata, etiam ſecundùm rationes individuales, præcontinetur eminenter in Deo, tanquàm in fonte totius entis; unde mirum non eſt, ſi Deus poſſit producere effectus cauſarum ſecundarum, etiam eoſdem numero, cum præcontineat ipſas cauſas etiam ſecundùm rationes individuales. Neque hoc impedit; quin hic numero effectus ſemper dependeat ab hac numero cauſa vel in ſe ſumpta, vel in Deo præcontenta.

Confirmatur præterea concluſio. Tùm quia effectus non poteſt eſſe ſimplicior ſua cauſa: ergò unius effectus non poſſunt eſſe duæ cauſæ totales: Tùm quia effectus individuatur effectivè à cauſa: ergò neceſſe eſt, ut cauſa ſit una numero ad hoc, ut faciat unum numero effectum; Nàm nemo dat, quod non habet: Tùm quia duæ cauſæ totales non poſſunt habere eandem numero actionem: ergò nec eundem numero effectum: Probatur conſequentia: Nàm effectus ſequitur actionem, immò cum illa identificatur: ergò diverſa actio neceſſariò infert diverſum effectum. Tùm quia effectus unius cauſæ non continetur in alia, ut fuſiùs oſtendetur articulo ſequenti, ergo effectus,

qui

qui eſt ab una cauſa non poteſt produci ab alia, Conſequentia patet. Nàm effectus non exit à cauſa, niſi in ejus virtute præcontineatur.

Reſpondebis, naturalitèr quidem id fieri non poſſe, benè tamen ſupernaturalitèr, inquantùm Deus, qui poteſt mutare ordinem rerum, poteſt facere, ut idem numero effectus eſſentialitèr, & totalitèr dependeat à duabus cauſis, & ita adunare virtutes cauſarum, ut ſimul influant in eundem effectum.

Sed contrà: Nàm duobus modis intelligi poteſt, ut duę cauſę ſupernaturalitèr producant eundem effectum, vel inquantùm Deus augeret exigentiam effectus, itaut effectus, qui exigit unam, duas exigeret, vel inquantùm Deus augeret virtutem cauſarum, itaut una cauſa ſe extenderet ad effectus alterius. Si primo modo, tales cauſæ non eſſent totales: quia effectus utramque exigeret, ac proindè quælibet ſeorſim ſumpta non adæquaret exigentiam effectus. Si ſecundo modo, non eſſent cauſæ principales, ſed ſolùm inſtrumentales; quia non agerent in virtute ſuæ naturæ, ſed in virtute, quam reciperent à Deo: ergò nec divinitùs fieri poſſe videtur, ut idem numero effectus producatur à duabus cauſis.

Objicies: Duo corpora luminoſa æqualia producunt per modum cauſæ totalis eandem numero lucem in partes aeris æqualitèr diſtantes ab utraque: ergò naturalitèr duæ cauſæ producunt eundem numero effectum. Probatur antecedens: Nàm in illa parte media, & æqualitèr diſtante non eſt, niſi una numero lux. Sed illa lux producitur ab utroque: ſiquidem non eſt major ratio, cur producatur ab uno, quàm alio, ergò eadem numero lux producitur ab illis duobus corporibus luminoſis.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, in quo fundatur tota vis argumenti, ſcilicèt eandem aeris particulam poſſe ita mediare inter duas, v. g. faces, ut diſtet æqualitèr ſecundùm ſe totam ab utraque face; cùm enim omnis pars, quantumvis minima, ſit diviſibilis in duas medietates, ſecundùm quamlibet medietatem eſt remotior ab una face, & propinquior alteri; undè impoſſibile eſt aſſignare aliquam partem, quæ ſecundùm ſe totam æqualitèr diſtet à duobus corporibus, inter quæ mediat; undè medium exactum non eſt niſi punctum indiviſibile. Hoc poſito dicimus in caſu argumenti, quod quælibet pars aeris inter duo corpora luminoſa mediantis illuminatur à corpore propinquiori, diſtantiùs verò nihil penitùs producit in illa.

Et ſi dicas, quòd dum duæ faces fulgent in duabus partibus cameræ, omnes partes mediæ magis illuminantur, quàm ſi unica eſſet fax: ergò quælibet fax producit aliquid lucis in omni parte aeris medii.

Reſpondeo cum Complutenſibus hoc ideò eſſe, quia nullus aer eſt adeò purus, & diaphanus, in quo non ſint quædam imperceptibiles particulæ opacæ, ut patet in corpuſculis illis, quæ viſuntur in aere volitare ad lucem Solis intrantem per feneſtram: hæ autem partes craſſiuſculæ cauſant aliquid umbræ in particulis aeris ſibi ſuccedentibus, quæ umbra diſſipatur per lumen alterius facis: ſicque illuminatio apparet major, quia omnis umbra evacuatur, & omnes particulæ aeris ex omni facie illuminantur.

Inſtabis: Deus poteſt facere, ut duo illa corpora luminoſa ſe penetrent; ergò ſaltem tunc producent eamdem numero lucem in omnibus aeris particulis.

Reſ-

Reſpondeo in tali caſu, vel duo iſta corpora ſeſe mutuò impeditura, aut ſaltem unum impediturum aliud; vel quod verò ſimiliùs videtur influxum ſuum ita temperatura in tali aſſociatione, ut ſolùm partialitèr concurrant; ſicut quando duo equi, quorum quilibet ſufficit ad trahendum currum, ſimul junguntur, ita temperant ſuum concurſum, ut ſolùm partialitèr influant.

Urgebis; Saltem duo Sacerdotes poſſunt ſimul conſecrare eandem numero hoſtiam, ſi pronunciant verba conſecrationis eodem tempore, eadem intentione, & circa eandem hoſtiam: ergò duæ cauſæ totales producunt eundem numero effectum. Probatur conſequentia; Nam quilibet Sacerdos eſt cauſa totalis conſecrationis.

Reſpondeo Sacerdotes eſſe ſolùm inſtrumenta Dei, quibus ad nutum utitur Deus; Undè indifferens eſt, ut unicus, vel plures adhibeantur; præcipuè quia ut dicit D. Th. 3. part. qu. 82. art. 2. ad 2. omnes illi Sacerdotes uniuntur in unica virtute totali principali, & ideò poſſunt producere unum numero effectum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm effectus, qui productus eſt ab una Cauſa, potuerit idem numero ab alia produci.

SUprà oſtendimus duas cauſas totales non poſſe ſimul producere eundem numero effectum; nunc quæritur, utrum poſſint ſaltem diviſim: ita ut effectus, qui ab una cauſa productus eſt, potuerit idem numero ab alia produci. Utrùm v.g. hic numero filius potuerit naſci vel ex alio patre, vel ex alia matre, utrùm hæc numero lux potuerit produci ab alia lucerna, ſi eodem tempore al-

lata fuiſſet, quo iſta allata eſt. Quidam affirmant, Thomiſtæ verò, & alii communiùs negant; Undè.

Dico. Impoſſibile eſt eundem numero effectum; qui productus eſt ab iſta cauſa, potuiſſe produci ab alia, v. gr. non potuit idem numero Alexander naſci ex alio patre, niſi Philippo, aut ex alia matre, niſi Olympia de Ita expreſsè D. Th. quodl. 3. art. 25. dicens; *Impoſſibile eſt eundem numero filium naſci, ſive alius ſit pater ſive alia mater.*

Probatur concluſio ratione fundamentali, quam ſuprà inſinuavimus, & quæ utramque concluſionem convincit. Effectus hujus numero cauſæ non continetur in alia cauſa; ergò non poteſt ab illa produci. Conſequentia patet: Nihil enim producitur à cauſa, niſi quod continetur in illa. Probatur antecedens tripliciter: Primò quia intantùm cauſa præcontinet aliquem effectum, inquantùm continet virtutem productivam talis effectus; ſed una cauſa non continet virtutem productivam alterius cauſæ, ut Joannes non continet virtutem productivam, quæ eſt in Petro, ergò non continet effectus alterius cauſæ. Major de ſe patet. Minor verò probatur; Nàm quę ſunt individualitèr diſtincta, non ſe mutuò continent: Sed virtus productiva Petri eſt individualitèr diſtincta à virtute productiva Joannis; ergo non ſe mutuò continent. Et ſi dicas Joannem non continere quidem eandem numero virtutem quæ eſt in Petro, benè tamen ſimilem. Ex hac reſponſione ſolùm ſequitur, Joannem poſſe producere non quidem eoſdem numero, ſed ſimiles effectus, quos producit Petrus. Secundò probatur idem antecedens: Nàm cauſa ſpecie diverſa non continet effectus ſpecificos al-

terius

terius cauſæ, ut leo non continet effectus equi: ergò una numero cauſa non continet effectus individuales alterius numero cauſæ. Probatur conſequentia, & paritas: Ratio enim, cur una cauſa ſpecie diverſa non continet effectus aliarum, eſt limitatio ſpecifica, quæ determinat quamlibet cauſam ad certos ſpecie effectus: atqui invenitur etiam quædam limitatio individualis inter cauſas numero diſtinctas: ergò propter illam limitationem individualem una cauſa non poterit ſe extendere ad effectus individuales alterius, ſed quælibet habebit certam ſeriem, ad quam ſe extendat. Tertiò demùm idem probatur: Ut enim fatentur Adverſarii, actiones unius cauſæ non continentur in alia numero cauſa: ergò idem dicendum eſt de effectibus. Probatur conſequentia. Effectus enim producitur mediante actione: ergò niſi actio præcontineatur, effectus quoque non præcontinetur.

Objicies primò. Quodlibet individuum continet in ſe omnes effectus poſſibiles intra ſpeciem: v. g. quilibet calor omnes calores: ergò una cauſa poterit producere effectus, qui contineantur in alia, Conſequentia patet. Probatur antecedens: quia quodlibet individuum continet in ſe totam rationem ſpecificam: ergò, & omnes effectus poſſibiles intra ſpeciem.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens: Quodlibet individuum continet totam rationem ſpecificam quantum ad principia eſſentialia, concedo: quantùm ad principia individualia, nego: ideſt omnia principia ſpecifica, & eſſentialia continentur in quolibet individuo: ſed tamen principia numerica unius non ſunt in alio, nec proindè effe-

ctus correſpondentes talibus principiis indivi- dualibus.

Objicies 2. Saltem cauſæ univerſales poſſunt producere effectus cauſarum particularium; v. g. ſol præcontinet, & producere poteſt eundem numero calorem, qui producitur ab igne.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Cauſæ univerſales finitæ poſſunt eoſdem numero effectus producere, quos particulares cauſæ producunt, nego; cauſa univerſalis infinita, ſcilicèt Deus, concedo: Ratio diſparitatis eſt, quia cùm ens dividatur inter creaturas, nulla quantumvis ſublimis continet alteram perfectè, & quantum ad omnes rationes ſaltem individuales: undè non poteſt præcontinere ejus effectus; ſaltem eoſdem numero: At verò Deus continet in ſe omne ens & omnes cauſas creatas, etiam quantum ad rationes individuales: Et ideò ſolus Deus poteſt eoſdem numero effectus producere ſe ſolo, quos producunt creaturæ: v. g. Poteſt producere eundem numero hominem, qui producitur à Joanne, & poſtquam perierit, poteſt illum iteratò producere.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Fortuna, Caſu, & Fato.

EX illis, quæ fiunt in mundo, plura tribui ſolent caſui, & fortunæ, immo etiam fato; quamvis iſta vocabula propriè non ſignificent certas, & proprias cauſas rerum, quæ illis tribuuntur: ſed potiùs quemdam cauſarum efficientium conflictum, & concurſum, qui ſi ſit improviſus, & per accidens, dicitur fortuna, & caſus: ſi verò ſit preordinatus ab aliqua cauſa ſuperiori, dicitur fatum. De his igitur agendum ſuſcipimus in calce iſtius diſputationis, idque duobus articulis ſequentibus, quorum, primus erit de fortuna, & caſu: Secundus de fato.

ARTICULUS PRIMUS.

De Fortuna, & Caſu.

VAna Gentilium ſuperſtitio putavit fortunam eſſe quodam Numen, à quo res iſtæ ſublunares, præcipuè humana negotia cæco impetu verſarentur: undè fortunam fingebant cæcam, furenti ſimilem, ſuper volubilem globum, altero pede ſtantem, coronas, divitias, egeſtatem, carceres & victorias indiſcriminatim ſpargentem: quod expreſſit Horatius, dum dixit.

Fortuna ſævo læta negotio,

ctus correſpondentes talibus principiis individualibus.

Objicies 2. Saltem cauſæ univerſales poſſunt producere effectus cauſarum particularium; v. g. ſol præcontinet, & producere poteſt eundem numero calorem, qui producitur ab igne.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Cauſæ univerſales finitæ poſſunt eoſdem numero effectus producere, quos particulares cauſæ producunt, nego; cauſa univerſalis infinita, ſcilicèt Deus, concedo: Ratio diſparitatis eſt, quia cùm ens dividatur inter creaturas, nulla quantumvis ſublimis continet alteram perfectè, & quantum ad omnes rationes ſaltem individuales: undè non poteſt præcontinere ejus effectus; ſaltem eoſdem numero: At verò Deus continet in ſe omne ens & omnes cauſas creatas, etiam quantum ad rationes individuales: Et ideò ſolus Deus poteſt eoſdem numero effectus producere ſe ſolo, quos producunt creaturæ: v. g. Poteſt producere eundem numero hominem, qui producitur à Joanne, & poſtquam perierit, poteſt illum iteratò producere.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Fortuna, Caſu, & Fato.

EX illis, quæ fiunt in mundo, plura tribui ſolent caſui, & fortunæ, immo etiam fato; quamvis iſta vocabula propriè non ſignificent certas, & proprias cauſas rerum, quæ illis tribuuntur: ſed potiùs quemdam cauſarum efficientium conflictum, & concurſum, qui ſi ſit improviſus, & per accidens, dicitur fortuna, & caſus: ſi verò ſit præordinatus ab aliqua cauſa ſuperiori, dicitur fatum. De his igitur agendum ſuſcipimus in calce iſtius diſputationis, idque duobus articulis ſequentibus, quorum, primus erit de fortuna, & caſu: Secundus de fato.

ARTICULUS PRIMUS.

De Fortuna, & Caſu.

VAna Gentilium ſuperſtitio putavit fortunam eſſe quodam Numen, à quo res iſtæ ſublunares, præcipuè humana negotia cæco impetu verſarentur: undè fortunam fingebant cæcam, furenti ſimilem, ſuper volubilem globum, altero pede ſtantem, coronas, divitias, egeſtatem, carceres & victorias indiſcriminatim ſpargentem: quod expreſſit Horatius, dum dixit.

Fortuna ſævo læta negotio,

ctus correſpondentes talibus principiis indivi-dualibus.

Objicies 2. Saltem cauſæ univerſales poſſunt producere effectus cauſarum particularium; v. g. ſol præcontinet, & producere poteſt eundem numero calorem, qui producitur ab igne.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Cauſæ univerſales finitæ poſſunt eoſdem numero effectus producere, quos particulares cauſæ producunt, nego; cauſa univerſalis infinita, ſcilicèt Deus, concedo: Ratio diſparitatis eſt, quia cùm ens dividatur inter creaturas, nulla quantumvis ſublimis continet alteram perfectè, & quantum ad omnes rationes ſaltem individuales: undè non poteſt præcontinere ejus effectus; ſaltem eoſdem numero: At verò Deus continet in ſe omne ens & omnes cauſas creatas, etiam quantum ad rationes individuales: Et ideò ſolus Deus poteſt eoſdem numero effectus producere ſe ſolo, quos producunt creaturæ: v. g. Poteſt producere eundem numero hominem, qui producitur à Joanne, & poſtquam perierit, poteſt illum iteratò producere.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Fortuna, Caſu, & Fato.

EX illis, quæ fiunt in mundo, plura tribui ſolent caſui, & fortunæ, immo etiam fato; quamvis iſta vocabula propriè non ſignificent certas, & proprias cauſas rerum, quæ illis tribuuntur: ſed potiùs quemdam cauſarum efficientium conflictum, & concurſum, qui ſi ſit improviſus, & per accidens, dicitur fortuna, & caſus: ſi verò ſit præordinatus ab aliqua cauſa ſuperiori, dicitur fatum. De his igitur agendum ſuſcipimus in calce iſtius diſputationis, idque duobus articulis ſequentibus, quorum, primus erit de fortuna, & caſu: Secundus de fato.

ARTICULUS PRIMUS.

De Fortuna, & Caſu.

VAna Gentilium ſuperſtitio putavit fortunam eſſe quodam Numen, à quo res iſtæ ſublunares, præcipuè humana negotia cæco impetu verſarentur: undè fortunam fingebant cæcam, furenti ſimilem, ſuper volubilem globum, altero pede ſtantem, coronas, divitias, egeſtatem, carceres & victorias indiſcriminatim ſpargentem: quod expreſſit Horatius, dum dixit.

Fortuna ſævo læta negotio,

Digitized by Google

ctus correſpondentes talibus principiis individualibus.

Objicies 2. Saltem cauſæ univerſales poſſunt producere effectus cauſarum particularium; v. g. ſol præcontinet, & producere poteſt eundem numero calorem, qui producitur ab igne.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Cauſæ univerſales finitæ poſſunt eoſdem numero effectus producere, quos particulares cauſæ producunt, nego; cauſa univerſalis infinita, ſcilicèt Deus, concedo: Ratio diſparitatis eſt, quia cùm ens dividatur inter creaturas, nulla quantumvis ſublimis continet alteram perfectè, & quantum ad omnes rationes ſaltem individuales: undè non poteſt præcontinere ejus effectus; ſaltem eoſdem numero: At verò Deus continet in ſe omne ens & omnes cauſas creatas, etiam quantum ad rationes individuales: Et ideò ſolus Deus poteſt eoſdem numero effectus producere ſe ſolo, quos producunt creaturæ: v. g. Poteſt producere eundem numero hominem, qui producitur à Joanne, & poſtquam perierit, poteſt illum iteratò producere.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Fortuna, Caſu, & Fato.

EX illis, quæ fiunt in mundo, plura tribui ſolent caſui, & fortunæ, immo etiam fato; quamvis iſta vocabula propriè non ſignificent certas, & proprias cauſas rerum, quæ illis tribuuntur: ſed potiùs quemdam cauſarum efficientium conflictum, & concurſum, qui ſi ſit improviſus, & per accidens, dicitur fortuna, & caſus: ſi verò ſit preordinatus ab aliqua cauſa ſuperiori, dicitur fatum. De his igitur agendum ſuſcipimus in calce iſtius diſputationis, idque duobus articulis ſequentibus, quorum, primus erit de fortuna, & caſu: Secundus de fato.

ARTICULUS PRIMUS.

De Fortuna, & Caſu.

VAna Gentilium ſuperſtitio putavit fortunam eſſe quodam Numen, à quo res iſtæ ſublunares, præcipuè humana negotia cæco impetu verſarentur: undè fortunam fingebant cæcam, furenti ſimilem, ſuper volubilem globum, altero pede ſtantem, coronas, divitias, egeſtatem, carceres & victorias indiſcriminatim ſpargentem: quod expreſſit Horatius, dum dixit.

Fortuna ſævo læta negotio,

QUÆSTIO
SEPTIMA.
De Fortuna, Caſu, & Fato.

EX illis, quæ fiunt in mundo, plura tribui ſolent caſui, & fortunæ, immo etiam fato; quamvis iſta vocabula propriè non ſignificent certas, & proprias cauſas rerum, quæ illis tribuuntur: ſed potiùs quemdam cauſarum efficientium conflictum, & concurſum, qui ſi ſit improviſus, & per accidens, dicitur fortuna, & caſus: ſi verò ſit præordinatus ab aliqua cauſa ſuperiori, dicitur fatum. De his igitur agendum ſuſcipimus in calce iſtius diſputationis, idque duobus articulis ſequentibus, quorum, primus erit de fortuna, & caſu: Secundus de fato.

ARTICULUS PRIMUS.
De Fortuna, & Caſu.

VAna Gentilium ſuperſtitio putavit fortunam eſſe quodam Numen, à quo res iſtæ ſublunares, præcipuè humana negotia cæco impetu verſarentur: unde fortunam fingebant cæcam, furenti ſimilem, ſuper volubilem globum, altero pede ſtantem, coronas, divitias, egeſtatem, carceres & victorias indiſcriminatim ſpargentem: quod expreſſit Horatius, dum dixit.

Fortuna ſævo læta negotio,

Digitized by Google

Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna.

Sed ab iſto errore aliena Philoſophia ſumit fortunam, & caſum pro cauſis per accidens concurrentibus, ex quibus oritur quidam inopinatus effectus: quamvis aliquando hæc nomina tribui ſoleant ipſis effectibus improviſis; ut dum dicimus, caſum infelicem nuper accidiſſe in Anglia, dum penè totum Londinum conflagravit. Et è contrà, bonam fortunam obtigiſſe Hiſpanis, dum præterito ſeculo, duce Columbo, vela dantes verſus Occidentem in mari Atlantico, incerti quo fata ferrent, inciderunt in regiones ditiſſimas Americæ. Immò metaphoricè transferuntur ad res inſenſibiles, ut quando Plutarchus dixit, lapides, ex quibus fiunt altaria, eſſe fortunatos, quia ipſa honorantur, cum alii ejuſdem ſpeciei conculcentur.

Dico 1. Fortuna, & caſus propriè ſumpta definiuntur cauſę per accidens efficientes, ex quibus effectus præter intentionem ſequitur. Ita communitèr omnes.

Explicatur: in primis enim dicuntur *cauſæ efficientes*, in quo cum aliis conveniunt: cæteræ verò particulæ diſtinguunt fortunam, & caſum ab aliis cauſis efficientibus; Dum enim cauſa effectum intentùm ſortitur, non eſt fortuita, & caſualis; ut ſi ſagitta ſcopum attingat, ſi ignis calefaciat, non eſt fortuna, & caſus; ſed ſi ſagitta vento deturbata occidat amicum; hoc dicitur fortuitum, & caſuale.

Dico 2. fortuna, & caſus differunt, inquantùm fortuna propriè locum habet in cauſis liberis, caſus verò in cauſis naturalibus.

Explicatur; Nàm fortuna, & caſus propriè ſigniſi-

gnificant cauſas præter intentionem agentes, & à fine intento deficientes: dictum eſt autem ſuprà quòd & natura, & voluntas agit propter finem. Dum igitur cauſa naturalis deficit à fine, & deflectit ad effectum improviſum, caſus eſt. Dum verò cauſæ liberæ, ut homines in ſuis negotiis, deficiunt à fine propoſito, & impingunt in aliquid aliud inopinatum, ſive bonum, ſive malum, dicitur fortuna. Sic v. g. dum ab aliquibus annis mare intumeſcens circa littora Belgica ruptis objicibus proximos campos cum innumera multitudine hominum, & ædificiorum uſque in hodiernam diem abſorpſit; dum effuſa imbrium copia intumeſcentia flumina domos, & agros abripiunt hæc & ſimilia dicuntur fieri à caſu; non enim finis tumoris maris eſt abſorptio hominum, ſed purgatio aquarum: nec finis pluviæ eſt ruina agrorum ſed humectatio terræ. Dum verò Abſalon fugiens implicato ramis arboris capillamento ſuſpenſus hæſit, dum Bajazet Thamerlanem declinans in tranſitu fluvii rigeſcentibus ex aquæ frigiditate jumenti ſui nervis ultrà fugere non valens, ab hoſtili equitatu captus eſt; hæc, & ſimilia fortunæ tribuuntur: non enim uterque ſiniſtros hos eventus, ſed fugam, & ſalutem intendebat. Ubi tamen notandum, quòd aliquando eventus in communi intentus; dicitur in particulari fortuitus, quando ſcilicèt evenit ex actione, à qua minimè ſperabatur: ſicut dicit Plutarchus de eo, qui lapide canem petens, percuſſit novercam ſibi infeſtam; huic enim in communi nocumentum optabat, non tamen inferre per talem ictum intendebat; undè fertur lepidè ſubjunxiſſe. *Etiam ſic lapis non male cecidit*; Et ſimilitèr omnes fælices eventus licèt in communi ſint voliti, dicuntur tamen fortuiti, dum ex

aliqua actione eveniunt, quæ ad illos non deſtinabatur; ut ſanatio inteſtini ulceris ex ictu inimici, & inventio theſauri ex foſſione agri.

Dico 3. fortuna, & caſus locum habent etiam reſpectu Angelorum, & Cœlorum, non tamen reſpectu Dei.

Probatur prima pars. Nam etiam plura evenire poſſunt in his, quæ ab Angelis, & à Cœlis fiunt preter intentionem ut dum Angelus bonam cogitationem inſpirat ſuo clienti, v. gr. eundi ad Eccleſiam, fieri poteſt; ut inimicum obvium interficiat. Tunc talis eventus cenſetur fortuitus reſpectu Angeli Cuſtodis; non enim illum intendebat. Similiter dum Cœlum attrahit ſulphureas exhalationes, quæ accenſæ, & in fulmen condenſatę cadentes comburunt ſylvam; vel interficiunt homines; talis combuſtio, & occiſio eſt caſualis; & præter intentionem cauſæ cœleſtis; non enim fulmen ordinatur ad deſtructionem ſublunarium, ſed ad aliquas naturalè utilitates.

Probatur etiam ſecunda pars ratione D. Th. 2. phyſ. lect. 10. nihil enim fit quòd à Deo non ſit præviſum vel permiſſivè, vel effectivè præordinatum; ergò reſpectu Dei locum non habent fortuna, & caſus.

Objicies 1. D. Aug. ſe corrigit 1. retract. c. 1. 1. quod uſus fuerit nominibus *caſus*, & *fortunæ*.

Secundò, in rebus nihil accidit præter intentionem cauſarum ſaltem univerſalium, præcipuè reſpectu Dei; ergò non datur fortuna, & caſus.

Reſpondeo ad primum, D. Auguſtinum iſta vocabula retractare in ſenſu Gentilium uſurpata, itaut ſignificarent aliquod numen, vel quaſi numen præſidens fortuitis eventibus.

Reſpondeo ad ſecundum, ſolùm probare, quod nihil ſit caſuale, & fortuitum reſpectu Dei;

cæte-

Digitized by Google

cæterùm reſpectu cauſarum ſecundarum plura eveniunt prætèr earum intentionem, ideòque dicuntur caſualia, & fortuita.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Fato.

ANtiqui variè circa fatum erraverunt, Cùm enim fatum deduci videatur à *fando*, nomine fati intelligitur quædam immobilis eventuum præordinatio præſcita, & præfata à Deo. Quidam igitur Veteres, ut ſuprà retulimus, negabant mundum ab aliqua providentia regi, unde conſequentèr tollebant fatum, dicentes omnia temerè evenire. Alii verò ponebant quidem fatum, ſed illud ad corpora cœleſtia reducebant, dicentes ipſum eſſe quamdam inevitabilem aſtrorum impreſſionem, quibus omnia, etiam humana negotia, ſubjiciebant: putabant enim cœlum neceſſariò præſidere voluntati hominum: quæ ſententia inferiùs impugnabitur agendo de influxu cœleſti. Stoici verò dicebant fatum conſiſtere in quadam cauſarum ſerie, & commixtione, ſupponentes, quòd omne, quod ſit mundo, habet cauſam, poſita autem cauſa, neceſſe ſit ponere effectum; & ſi una non ſufficiebat, plures concurrentes ponebant, ex quo inferebant omnia neceſſariò evenire. Horum opinionem refert D. Th. & impugnabat, ſicut præcedentium, ſpecialiter quia non eſt neceſſe poſita cauſa poni effectum, nàm impediri poteſt per concurſum fortioris, qui non eſt neceſſarius, ſed contingens. Alii demùm dicebant fatum eſſe aliquam neceſſitatem, omnibus etiam Diis dominantem, quàm mutare nefas eſſet. Undè Homerus inducit The-

M 6 tim,

tim, & Jovem deflentes futuram Achillis mortem, quàm avertere non poterant, quia in fatis exarata erat. Fabulantur enim Poetæ leges hujus fatalis neceſſitatis deſcriptas eſſe tabulis æneis, quas Dii noſſe poterant, ſed non emendare. Hæc omnia falſa ſunt, & fabuloſa, ideò; meritò Patres rejiciunt fatum iſtud Gentilium: Undè pro veri, & Chriſtiani explicatione.

Dico 1. Datur fatum legitimo ſenſu explicatum. Concluſio eſt certa: Nàm per fatum intelligitur quædam eventuum futurorum, & caſualium præordinatio, ab aliqua cauſa ſuperiori præſcita: ſed datur talis præordinatio (Deus enim ab æterno omnia præordinavit, præſcivit) ergò datur fatum.

Dico 2. Fatum propriè nihil aliud eſt, quàm ipſa Divina præordinatio, ſive diſpoſitio quędam rebus contingentibus impreſſa, per quàm Deus exequitur decreta ſuæ providentiæ. Undè rectè definiri poteſt cum Boetio. Immobilis rerùm mobilium diſpoſitio, per quàm providentia ſuis quęque ordinibus nectit: Vel breviùs cum D. Th. 1. part. qu. 116. art. 4. Ordinatio cauſarum ſecundarum ad effectùs divinitùs intentos.

Probatur concluſio tùm authoritate D. Thom. & Boetii, ex quibus ſumitur utraque definitio: tum authoritate Auguſtini 5. de Civ. c. 1. ubi ait: *Si propterea quiſquam res humanas fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem fatum appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat*: Nolebant enim Patres uſurpare hoc vocabulum, *fatum*, ne viderentur cum Gentilibus conſentire: Tùm etiam ratione. Nàm omnia, quæ hic à nobis temporalitèr aguntur: Dei providentia diſpoſuit, & ab æterno præſcivit; ergò talis diſpoſitio poteſt propriè dici fatum.

Dico

Dico 3. Etiam ipſa cœleſtis diſpoſitio, quam ſiderum conjunctio, & influxus cauſat in rebus ſublunaribus, poteſt aliquomodo dici fatum.

Explicatur: Cùm enim hæc ſublunaria ſubjaceant influxui ſiderum, quælibet res in prima productione quamdam à cœlo diſpoſitionem recipit, per quàm conſervatur, & qua diſſipata perit, ut probat D. Thomas Op. 20. & in libr. de Cœlo, & Mundo: Hæc ergò diſpoſitio poteſt aliquomodo dici fatum, eò quòd vita, & duratio rerum ſublunarium ab ea pendeat, & menſuretur. Attamen propriè non dicitur fatum, quia fatum ſignificat aliquid immobile: hæc autem diſpoſitio non eſt ita immobilis, ut nunquàm careat effectu: Sæpè enim ruina, & mors ſublunarium accelleratur per caſum & fortunam: aut etiam prolongatur per artem, & remedia, ut dicit D. Th. citatus.

Dices: Si omnia diſpoſita ſunt à Deo, ergò nihil contingit caſualitèr, & fortuito.

Reſpondeo, nihil, quidem evenire fortuitò reſpectu Dei, benè tamen reſpectu cauſarum ſecundarum: quod explicat egregiè D. Th. exemplo domini, qui mittit duos ſervos per diverſas vias ad eundem locum, uno de altero ignorante; Concurſus duorum ſervorum, ſi ad ipſos referatur, eſt fortuitus, quia evenit præter ipſorum intentionem; Si tamen referatur ad dominum, non eſt caſualis, quia non fit præter intentionem, & præſcientiam domini: Ità paritèr concurſus cauſarum ſecundarum, ex quo fiunt eventus cauſales reſpectu ipſarum eſt quidem fortuitus, reſpectu verò Dei, qui cauſas ſecundas dirigit, eſt & præſcitus, & præordinatus, proindèque non caſualis, aut fortuitus.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO TERTIA.

De Proprietate Entis mobilis, ſcilicèt de Motu Circa ſex ultimos Libros Ariſtotelis.

HACTENUS principia, & cauſas Entis mobilis luſtravimus, nunc inveſtiganda eſt ejus proprietas, ſcilicèt motus, licèt enim quidam Veteres eò proterviæ devenerint, ut negarent dari motum, attamen ad oculum cernimus omnia corpora motui ſubjici, cumque rerum omnium naturalium individuam proprietatem eſſe. Quidquid autem circa motum diſcuti ſolet, in hac diſputatione ſex quæſtionibus comprehendemus. Quarum prima erit de Motu ipſo, & Actione ac Paſſione individuis comitibus Motus: Secunda de infinito: motus enim poteſt eſſe finitus, vel etiam infinitus, ſi Mundus nunquam deſineret quantum ad generationes, & corruptiones; Tertia de Tempore, quod eſt menſura motus: Quarta de Loco, in quo fit motus: Quinta de Continuo; motus enim continuus eſt, & fit in aliquo continuo Sexta de conditionibus ad motum requiſitis.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Motu, & Actione, ac Paſſione.

HÆc tria ideò jungimus; quia cum omnis motus ſit ab aliquo movente, & in aliquo paſſo, neceſſe eſt, ut eum comitetur actio, & paſſio. Undè utraque ſimul cum motu occurrit explicanda. Quod ut fiat Primò diſcutiendum eſt quid ſit motus, & quomodo ab actione, & paſſione diſtinguatur; Secundo quodnam ſit ſubjectum motus, & actionis: Tertio quiſnam ſit terminus motus: Quartò agendum de unitate, & diſtinctione ejus; Quintò demùm de contrarietate motuum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Motus, & quomodo ab Actione, & Paſſione diſtinguatur.

MOtus tripliciter ſumitur: primò latiſſimè pro omni operatione etiam immanenti: Sic vivere, intelligere, & velle dicuntur *motus*; Undè motus ſic ſumptus etiam tribuitur Deo, Et in hoc ſenſu ut notat D. Thomas 51. par. qu. 9. art. 1. locutus eſt Auguſtinus dum dixit. *Spi-*

ritus

ritus Creator movet ſe, nec per locum nec per tempus, Et Plato dum dicebat. *Primum Movens movet ſeipſum*, Secundò ſumitur motus paulò ſtrictius pro omni mutatione ſivè corporali, ſivè ſpirituali, in quo ſenſu Deus dicitur immobilis, quia eſt immutabilis; omnes verò Creaturæ dicuntur mobiles, quia ſunt mutabiles, Tertiò ſumitur propriè motus pro ſpeciali quadam mutatione, quam cernimus in rebus ſenſibilibus, & quæ conditionem corporum ſequitur; Et in hoc ſenſu ſumitur hic motus, de quo loquendo.

Dico primò: Motus eſt actus entis in potentia prout in potentia. Ità Ariſtoteles; Quæ definitio licet prima fronte paulo obſcurior videatur, attamen explicatur clariſſimè ex D. Thoma tertiò phyſ. lect. 1. Obſervando quòd in ſubjecto reſpectu formæ duplex eſt potentia, una ad formam, & alia ad fieri formæ, ut aqua reſpectu caloris duplicem habet potentiam, unam ad calefieri, & aliam ad calidam eſſe, priùs enim debet calefieri, quam ſit calida; nam calefieri eſt via ad calidum eſſe, quo acquiſito ceſſat calefactionis motus: Hæc via ſeu acquiſitio, & *fieri* formæ vocatur motus: qui proindè dicitur *actus*, quia actuat primam potentiam quam habet ſubjectum ad fieri formæ; Sed dicitur *actus entis*, ſeu exiſtentis *in potentia*, quia fieri eſt via tendens ad formam, tanquam ad ſuum ultimum actum: Undè quamdiu ſubjectum eſt in motu, ſeu *fieri*, exiſtit adhuc in potentia ad formam habendam. Additur *prout in potentia*; tunc enim ſubjectum formaliter, & proximè eſt in potentia ad formam, quando eſt in *fieri* formæ: Sic aqua quando eſt in calefieri, cenſetur formaliter, & proximè eſſe in potentia

ad

ad calorem, ad quem ducit calefactio, ſicut via ad terminum.

Alius modus facillimus explicandi hanc definitionem ſaltem in motibus ſucceſſivis tradi poteſt, advertendo in rerum natura eſſe quaſdam formas, quæ non ſtatim totæ fiunt, & acquiruntur, ſed per gradus procedunt ad debitam perfectionem, ut quantitas, calor, & locus. Non enim lignum in inſtanti recipit perfectum calorem, neque puer ſuam quantitatem, ſed hæc acquiſitio fit quibuſdam gradibus, ita ut in perfectus ſit via ad ulteriorem perfectum, donec perveniatur ad ultimum, in quo terminatur acquiſitio. Hanc igitur paulatim creſcentem formæ acquiſitionem Philoſophi vocāt *motum* qui ideò dicitur actus entis in potentia, quia licèt ſubjectum, quando eſt ſub primo gradu, habeat aliquid de actualitate formæ: attamen in illo non ſiſtit, ſed ulteriùs per illud ſibi ad perfectiorem gradum viam ſternit. Hi modi facillimam reddunt motus definitionem, quæ adhuc poſſet clarioribus terminis exponi dicendo; Motus eſt actualis tendentia mobilis ad terminum, quæ definitio patet ex dictis, & coincidit cum prima. Ex his

Colligitur primò, motum eſſe duplicem, ſcilicèt inſtantaneum, & ſucceſſivum: Eorum enim, quæ acquirunt aliquam formam & tranſeunt à potentia ad actum; quædam id conſequuntur in inſtanti, ut aer orto ſole in inſtanti fit lucidus; ſpeculum in inſtanti recipit imaginem; materia in inſtanti deperdit veterem formam ſubſtantialem, & acquirit novam; Alia verò paulatim, & ſucceſſivè reducuntur in actum; ut lignum paulatim calefit, puer ſucceſſivè creſcit, & viator paulatim ad ſuum terminum tandèm pervenit. Prima mutatio vocatur motus inſtan-

inſtantaneus: ſecunda verò motus ſucceſſivus. Quamvis autem definitio motus magis propriè conveniat ſucceſſivæ mutationi, quàm inſtantaneæ; attamen poteſt accommodari etiam iſtis mutationibus repentinis; Ut ſunt generatio, corruptio, illuminatio: licèt enim in illis *fieri*, & *factum eſſe* ſint idem, & in eodem inſtanti reali; attamen diſtinguimus duos ſtatus, duoque inſtantia naturæ; unum, in quo forma concipitur fieri, & alterum in quo concipitur facta: ut in generatione hominis diſtinguimus unum inſtans naturæ, in quo materia acquirit formam hominis, & aliud in quo eſt ſub ipſa forma: ſicque ſalvatur ratio, & definitio motus, inquantum primum inſtans eſt quaſi via ad alterum.

Colligitur 2. Definitionem motus non poſſe convenire actionibus immanentibus etiam corporalibus: ut viſioni, auditioni, imaginationi, &c. quamvis enim in iſtis actionibus intercedere ſoleat quidam corporalis motus, v. gr. receptio ſpeciei: attamen ipſa actio formalitèr ſumpta non eſt motus propriè dictus, & prout a nobis definitus eſt, quia non ſignificat aliquid tendens ulteriùs, ſicut generatio, & illuminatio ſignificant tendentiam ad aliquos actus ulteriores, ſcilicèt ad formam ſubſtantialem, & ad lumen: ſed ſignificat actum ultimum ulteriùs non ordinatum; Nàm viſio eſt ultimus actus potentiæ viſivæ: ideòque non convenit ei, ut ſit actus exiſtentis in potentia ad ulteriorem actum; nec proindè definitio motus.

Dico 2. Motus, Actio, & Paſſio, licèt ſint idem entitativè, modalitèr tamen videntur diſtingui Concluſio, eſt communis, præcipuè inter Thomiſtas, quam expreſsè tradere videtur Div. Th. 1. p. q. 45. a. 2. Ubi ait *Actio, & paſſio conveniunt*

piunt in ſubſtantia (ideſt identitate) *motus*, *&* *differunt ſolùm ſecundùm diverſas habitudines*, quod idem ſæpè aliis in locis repetit.

Prima pars quòd ſcilicet ſint idem entitativè, patet: Nam una, & eadem entitas, v. gr. calefactio, prout concipitur egredi ab igne tanquàm diffuſio ejus caloris, eſt actio ignis; prout verò recipitur in ligno, tanquam immutatio ligni, dicitur ejus paſſio; prout demum eſt via, & tendentia ad terminum, ſcilicèt ad calorem, dicitur motus: ergò iſta omnia entitativè ſunt idem. Unde D. Thomas ſæpè dicit, *quod actio*, *& paſſio ſunt unus numero motus*.

Secunda verò pars, quòd ſcilicèt diſtinguantur modalitèr, probatur: Tùm quia actio, & paſſio conſtituunt diſtincta prædicamenta, motus verò excluditur à prædicamentis; ergò non ſunt omninò idem, ſed ſaltem modalitèr diſtinguuntur; Tum quia motus eſt tendentia ad terminum actio verò eſt egreſſus effectus ab agente; paſſio demum eſt receptio effectus in paſſo, ſed hæc omnia ſunt ſaltem modalitèr diverſa; ergò motus, actio, & paſſio ſaltem modaliter diſtinguuntur. Hæc ratio inſinuari videtur à Divo Thoma dicente, actionem, paſſionem, & motum eſſe quidem eandem ſubſtantiam, ſeu entitatem, diſtingui verò ſecundùm habitudines. Et declarari poteſt familiari exemplo. Sic enim licèt idem ſit vinum, quòd effunditur à lagena in ſcyphum: attamen egreſſio à lagena, receptio in ſcypho, & tendentia à lagena in ſcyphum ſunt diverſæ formalitates: Ità paritèr licèt ſit eadem calefactio, quæ egreditur, non quidem localitèr, ſed cauſalitèr à virtute ignis, & recipitur in potentia ligni ipſumque ducit ad calorem, attamen in tali calefactione egreſſio ab igne, receptio in ligno, & ten-

& tendentia ad calorem tanquam ad terminum, ſunt modalitates diſtinctæ. Prima conſtituit actionem, ſecunda paſſionem, tertia motum.

Dico 3. Etiam motus, ſaltem modalitèr, diſtinguitur à termino.

Patet concluſio. Nàm via, & tendentia diſtinguitur ab eo, ad quod tendit; Sed motus eſt via & tendentia ad terminum; ergò diſtinguitur ab illo. Deinde, forma eſt in diverſo ſtatu, dum acquiritur, & dum habetur: acquiritur enim ut habeatur; Undè acquiſitio ordinatur ad habendam formam; Sed motus eſt ipſa forma ut in acquiri, ſeu acquiſitio; terminus verò eſt ipſa forma ut habita: ergò motus diſtinguitur ſaltem modalitèr à termino.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ſubjecto motus, & præcipuè actionis cum motu identificatæ.

FRequentèr aſſerunt D. Thomas, Ariſtoteles, & alii Phyſici actionem identificari cum motu, ſolùmque modalitèr diſtingui, idque conſtare ſatis videtur ex dictis. Ex hoc ſtatim facilè inferri videtur eſſe in eodem ſubjecto; Quæ enim ſunt idem entitativè, nequeunt dividi, & eſſe in diverſis ſubjectis: Attamen circa ſubjectum motus vix ulla difficultas eſt: Circa verò ſubjectum actionis grandis controverſia eſt inter Authores; cui locum feciſſe videtur æquivocatio, ſeu uſurpatio vocabuli *Actionis*, in diverſis ſenſibus, ſicut magis patebit ex dicendis. Undè pro utriuſque reſolutione.

Dico 1. Motus ſubjectatur in paſſo, ſeu mobili. Concluſio eſt communis apud omnes paucis

exce-

exceptis, qui dicunt, motum ſaltem localem ſubiectari in ſpatio. Sed facilè.

Probatur; Tùm quia proprietas ſubjectatur in eo, cujus eſt proprietas; Sed motus eſt proprietas corporis mobilis; ergò ſubjectatur in mobili. Tùm quia motus ſubjectatur in eo, quod movetur: Sed mobile, ſeu paſſum eſt, quod movetur: ergò motus ſubjectatur in mobili.

Circà ſecundam, & præcipuam difficultatem de ſubjecto actionis, notandum eſt actionem eſſe duplicem. Una dicitur immanens, alia tranſiens. Immanens eſt, quæ ita remanet intrà principium, à quo elicitur, ut nihil extrà producat: Sic viſio, intellectio, volitio remanent intrà potentias, à quibus eliciuntur, nec aliquid producunt ad extra. Actio tranſiens eſt, quæ exit extrà principium, à quo elicitur, & aliquid in externa materia producit; ut comburere non manet in igne comburente, ſed tranſit ad ſtuppam, quæ comburitur. Omnes concedunt actiones immanentes ſubjectari in agente, ut viſio ſubjectatur in oculo, & intellectio in intellectu.

Cæterùm circa actiones tranſeuntes, de quibus modò eſt difficultas, triplex eſt opinio. Prima Scotiſtarum, qui dicunt actionem ſubjectari in agente, & paſſionem in patiente. Fundamentum iſtius ſententiæ eſt, quia Scotus tenet actionem nihil aliud eſſe, quam relationem agentis ad paſſum. Cæterùm, ſi actio ſumeretur pro tali reſpectu, certum eſſet eam eſſe in agente. Sed falſum eſt actionem formalitèr eſſe talem reſpectum; ſiquidem relatio agentis ad paſſum conſequitur, & fundatur in ipſa actione; ergò non poteſt eſſe actio niſi conſequenter. Quidam Thomiſtæ idem tenent, ſed ex alio motivo, quia ſcilicèt ſumunt actionem pro actu ſecundo perfi-

perficiente, & intrinſecè complente virtutem activam ad agendum. Secunda ſententia tenet actionem originalitèr quidem eſſe ab agente ſubjectivè tamen eſſe in paſſo: Ita communiùs Thomiſtæ. Tertia demùm eſt Joannis à S. Thoma, qui ut utramque præcedentem conciliet, & graves D. Thomæ authoritates ſolvat, duas formalitates diſtinguit in actione, quarum unam ponit in agente, alteram verò in paſſo.

Cæterùm, ut omnis ambiguitas, & æquivocatio tollatur; actio tranſiens nihil aliud eſt, quam communicatio illius, per quod agens eſt in actu, ut patet ex D. Th. 2. de potentia, artic. 1. Idque innuit nomen ipſum, nam actio eſt quaſi actus factio, & difuſio, ſeu reductio ad actum: Sed quia intantùm aliquid agit, & ſe ipſum communicat, & diffundit, inquantùm eſt in actu, ut virtùs activa creaturæ, quæ de ſe eſt ſolùm activa in actu primo, agit in actu ſecundo agendi. Undè Div. Th. 2. contra Gent. cap. 55. dicit, ad actionem requiri, ut agens aliquomodo moveatur, ſaltem de otio ad actum, quod fieri per præmotionem, ſeu per applicationem primæ cauſæ demonſtrant Thomiſtæ. Ex quo patet in actione duas eſſe formalitates. Prima ſe tenet ex parte agentis, & eſt ultima actualitas, ſeu activitas, per quam virtus activa reducitur de habitu ad exercitium agendi, ſeu de actu primo ad actum ſecundum; Secunda verò eſt diffuſio illius virtutis in actu ſecundo conſtitutæ, ſeu reductio patientis ad actum. Licèt autem cuilibet ex iſtis formalitatibus tribui poſſit, & ſoleat etiam à D. Th. nomen actionis, attamen ipſa ultima activitas agentis propriè, & phyſicè non poteſt dici actio ſed ſolum cauſalitèr, & originativè, niſi quando nihil eſt medium inter activitatem agen-

tis,

Digitized by Google

tis, & effectum, tunc enim ipſa activitas agentis, ut inferens effectum vocatur actio, ſicut explicabitur in calce articuli. Cæterùm in iis, quæ agunt mediante motu, qui eſt aliquid medium inter activitatem agentis, & effectum, nomen actionis propriè, & phyſicè tribuitur ipſi motui, quatenus eſt ab agente, cujus eſt veluti quædam diffuſio, & ad actum ductio. In hoc igitur ſenſu ſumendo actionem cum Divo Thoma, & Ariſtotele hic.

Dico 2. Actio propriè, & phyſicè ſumpta, licet ſit originativè ab agente, eſt tamen ſubjectivè in patiente.

Probatur 1. concluſio tùm authoritate Ariſtotelis 3. de anima, textu 138. ubi dicit, *Agentis, moventiſque operatio in ipſo patiente ſuſcipitur, atque ineſt*, & in hoc 3. lib. c 3. id expreſsè probat; Tùm etiam Divus Thomas, qui pluribus in locis id dicit, præcipuè 3. phyſ. lect. 5. ubi ait: *Licèt Actio ſit ab agente, ut à quo, eſt tamen in patiente tanquam recepta in eo*, quod idem dicit 10. Met. lect 9.

Probatur ſecundò ratione evidenti: Nam actio eſt in eo, in quo recipitur motus: ſed motus recipitur in patiente: ergò, & actio. Minor patet ex dictis, & vix ab ullo negatur. Major verò probatur: Nàm quæ ſunt realitèr identificata, & ſolùm modalitèr diſtincta, debent eſſe in eodem ſubjecto: Sed motus, & actio phyſicè ſumpti identificatur ut patet ex dictis, & ſæpè repetit D. Thomas cum Ariſtotele; ergò debent recipi in eodem ſubjecto.

Hæc ratio eſt Ariſtotelis hic, & ita evidenter convincit, ut ſi per actionem intelligatur ipſa ductio ad actum, quæ cum motu identificatur, impoſſibile ſit negare eam recipi in patiente.

Con-

Confirmatur: Nàm oppoſitorum oppoſita debet eſſe ratio; ſed actio immanens, & tranſiens ſunt veluti oppoſitæ inter ſe: ergò debent ſortiri oppoſitam rationem; ergò cum una ſit in agente, altera debet eſſe in paſſo, ut etiam inſinuant ipſæ voces: Nàm immanens dicitur, quaſi manens in agente è quo elicitur; tranſiens verò, quaſi egrediens ab agente, ut in paſſo recipiatur. Undè D. Th. 1. 2. qu. 3. art. 2. & qu. 31. artic. 5. diſcrimen ponit inter illas, quod actio immanens ſit actus & perfectio agentis: tranſiens verò ſit ſolùm perfectio patientis; quod planè falſum eſſet, ſi in agente tranſiens reciperetur, & non in paſſo. Si verò dicas, actionem dici tranſeuntem, quod ipſa ſit in paſſo, ſeù quia terminus ejus recipitur in paſſo. Contra eſt: Nàm actio Dei creativa ponit terminum ad extra, & tamen non dicitur formaliter tranſiens, ſed ſolùm virtualitèr: ergò actio formalitèr tranſiens, non ſolùm quantùm ad terminum, ſed etiam quantùm ad entitatem debet eſſe extra agens.

Probatur 3. Nàm actio eſt veluti reductio ad actum, ſeu actus diffuſio: ſed talis reductio ad actum, taliſque diffuſio non recipitur in agente, ſed in patiente; ergò actio eſt in patiente. Probatur minor: Nàm reductio ad actum, & diffuſio eſt in eo, quod reducitur ad actum, & ad quod diffunditur actus; ſed patiens reducitur ad actum: ergò in ipſo recipitur actio, & ſolùm egreditur, & originatur ab agente.

Dico 3. Si actio ſumatur cauſalitèr pro ipſa activitate agentis, ſeu pro illa formalitate, per quam virtus activa transfertur ab actu primo ad actum ſecundum agendi, ſic recipitur in agente. Idem quoque dicendum eſt, ſi actio ſumatur relativè, pro reſpectu agentis ad paſſum. Hæc con-

concluſio conciliat diverſas Thomiſtarum ſententias, & patet: Nàm ipſa activitas agentis, cum ſit intrinſeca perfectio virtutis activæ, ipſam que transferat ab actu primo agendi ad actum ſecundum, debet informare, & actuare ipſum agens, ac proindè in illo ſubjectari.

Objicies 1. ex Ariſtotele 3. de anima text. 26. actus eſt in eo, cujus eſt actus: Sed actio eſt actus agentis: ergo eſt in agente.

Reſpondeo cum Ariſtotele hic, qui ſibi proponit hoc argumentum, ipſumque ſolvit, diſtinguendo minorem. Actio eſt actus agentis ut à quo, concedo: ut in quo, nego. Ideſt, actio dicitur actus agentis: quia ab illo procedit, non vero quia in illo recipitur.

Objicies 3. difficiles D. Thomæ authoritates: Nàm 2. ſent. diſtinctione quadrageſima quæſt. 1. art. 6. *Dicendum*, inquit, *quod, cum actio ſit in agente, & paſſio in patiente, non poteſt eſſe idem numero accidens*. Et 2 contrà Gent. cap. 9. *Actio, quæ non eſt ſubſtantia agentis ineſt ei ſicut accidens ſubjecto: nam actio inter novem accidentium prædicamenta computatur*: quod idem aliis in locis repetit: ergò ſentit Div. Thomas actionem eſſe in agente. Hæ authoritates expreſſæ omninò ſunt: ſed cum etiam D. Thomas agendo de actione dicat cum Ariſtotele eam identificari cum motu, & recipi in paſſo, ut concilientur hæc omnia loca.

Reſpondeo 1. D. Thomam loqui de actionibus immanentibus, non verò de tranſeuntibus. Nàm in primo loco loquitur de malitia actionis crucifigentium Chriſtum: hæc autem crucifixio licèt executivè fuerit actio tranſiens, attamen imperativè fuit actio immanens malæ voluntatis Judæorum, Similitèr in ſecundo loco loquitur

de actionibus immanentibus: ut ſunt intelligere, & velle, quæ in ſolo Deo ſunt ejus ſubſtantia, in creaturis verò accidentia.

Reſpondeo ſecundò, quod cum D. Thomas, loquendo etiam de actione tranſeunte, dicit eam eſſe in agente, ſumit actionem pro ipſa activitate agentis, ſeu pro illa formalitate, per quam agens reducitur ab actu primo ad actum ſecundum: In quo ſenſu etiam dicit actionem cauſæ ſubordinatæ eſſe paſſionem illatam à cauſa ſuperiori, inquantùm cauſa ſuperior influit ipſam activitatem ultimam in cau ſâ inferiori, ipſam reducendo de actu primo ad actum ſecundum. Cæterum ſi ſumatur actio propriè, & phyſicè, ſicut eam ſumit 3. Phyſicorum, lect. 4. & 11. Metap. lect. 9. ſemper eam aſſerit identificari cum motu; & recipi in paſſo.

Objicies 3. Cauſalitas eſt in eo, cujus eſt cauſalitas, ſed actio eſt cauſalitas agentis; ergò eſt in agente, Minor patet. Probatur major; Nàm conſtitutivum debet eſſe in eo, quod conſtituit; ſed cauſalitas conſtituit agens actu cauſans, ergò, &c.

Reſpondeo negando majorem univerſalitèr ſumptam. Ad probationem, diſtinguo; conſtitu tivum eſt in eo quod conſtituit, conſtitutivum intrinſecum, & per modum perficientis, concedo: conſtitutivum extrinſecum, & per modum originati, nego. Actio autem conſtituit agens non quatenus eſt in ipſo, & per modum perficientis ipſum, ſeu quatenùs eſt ab eo, ut ſæpè dicit D. Thomas.

Inſtabis; Actio denominat agens, ergò eſt in eo.

Reſpondeo eodem modo actionem denominare agens per modum principii à quo eſt, non verò

per

per modum ſubjecti in quo eſt; ſicut rivulus denominat, & conſtituit fontem fluentem, & fructus arborem fructiferam, non quod rivulus ſit in fonte, vel fructus in arbore tanquàm in ſubjecto; ſed quia rivulus, & fructus ſunt à fonte, & arbore tanquàm à principio.

Urgebis; Forma denominans aliquid extrinſecè, debet aliud denominare intrinſecè ſicut viſio quæ denominat parietem extrinſecè viſum denominat oculum intrinſecè videntem: Atqui actio nihil poteſt denominare intrinſecè præter ipſum agens, quid enim aſſignari poteſt; ergò intrinſecè denominat agens.

Reſpondeo, quòd actio tranſiens denominat intrinſecè paſſum, inquantùm conſtituit ipſum actuatum, & effectum actione: Actio enim duo denominat, ſcilicet principium à quo eſt, & ſubjectum in quo eſt diverſimodè tamen: Nàm ſubjectum in quo eſt, denominat acturum: principium verò à quo eſt, denominat agens. Sed quia actio formalitèr ut actio, non dicit eſſe in aliquo, ſed eſſe ab aliquo, ideò actio, formalitèr ut actio, denominat principium à quo eſt, ſcilicèt ipſum agens.

Objicies 4. Agens eſt propter ſuam actionem ergò debet ab illa perfici intrinſecè, ac proindè actio eſt in agente.

Reſpondeo negando conſequentiam: res enim eſt propter ſuam perfectionem, ut autem dicit S. Thom. perfectio rei non ſolùm in eo conſiſtit ut in ſe perfecta ſit: ſed etiam ut alia perficiat; Immò, ut inquit Chriſtus *Beatiùs eſt dare, quàm accipere* ideſt perficere, quàm perfici: per actione autem tranſeuntem res perficit alias; Undè res poteſt eſſe propter ſuam actionem, quamvis talis actio non ſit intrinſeca agenti.

Inſtabis; Id, per quod potentia reducitur ad actum, eſt in ipſo agente: ſed potentia agendi per actionem ſuam reducitur ad actum; ergò actio eſt in agente. Probatur major; nàm potentia non poteſt reduci ad actum niſi per id, quod intrinſecè recipit.

Reſpondeo negando majorem abſolutè ſumptam, Ad probationem diſtinguo: Potentia non reducitur ad actum, niſi per aliquid intrinſecè receptum in illa, potentia paſſiva, ſeu recipiendi, concedo; potentia activa ſeu dandi, nego: Patet enim quod potentia dandi per hoc præcisè reducitur ad actum ultimum, quod communicet, & det ſuam perfectionem aliis: Undè actio, quæ reducit potentiam activam ad actum; non debet in illa recipi, ſed ab illa ad aliam diffundi. Attamen quia omnis virtus activa creata habet aliquid potentialitatis paſſivæ admixtum, nec eſt activa niſi habitualitèr, ideò antecedentèr ad actionem debet aliquid intrinſecum recipere, per quod fiat activa in actu ſecundo, & profundens ſuam actionem. Cæterùm ipſa actio non recipitur in virtute activa, ſed ſolùm in paſſo. Undè Ariſtoteles dicit, quod agens agendo non mutatur per ſuam actionem, quia illam non recipit.

Quæres, quomodo actio tranſiens attribuatur Deo?

Reſpondeo ex D. Thoma diſcrimen eſſe inter Deum, & agens creatum, quod omne agens creatum agit cum motu, & tranſmutatione ſubjecti, ipſum reducendo de potentia ad actum: Deus verò agit ſine motu, & tranſmutatione, quia non ſupponit ſubjectum, ſed ipſum etiam producit. Undè in agentibus quidem creatis reperitur aliquid medium inter virtutem activam, etiam in actu ſecundo conſtitutam, & effectum, ſci-

Digitized by Google

ſcilicèt motus ipſe, qui quatenùs procedit ab agente, & eſt reductio patientis ad actum vocatur actio agentis; Sed inter virtutem Dei activam, & effectum nihil eſt medium, quod poſſit conſtituere actionem Dei. Unde ratio actionis attribuitur ipſi virtuti Dei, ſeu actui immanenti, quo producit effectus ad extrà; & quia ille actus non exit extrà Deum, ſicut motus cauſæ agentis: ſed manet in ipſo Deo immò eſt ejus ſubſtantia, ideò actio Dei dicitur formalitèr immanens, & ſolùm virtualitèr tranſiens.

ARTICULUS TERTIUS.

De Terminis Motus.

LOquimur hic de motu ſucceſſivo, cui propriè convenit ratio motus, quique eſt tendentia ſucceſſiva ab uno extremo ad aliud. Ex quo patet, ipſum debere verſari inter duo extrema, quorum unum deſerat, ut aliquid acquirat. Hæc extrema vocantur termini motus; ille quidem, qui deſeritur, terminus à quo qui verò acquiritur, terminus ad quem. De illis, præcipuè de termino ad quem, qui principalior eſt, duo quæruntur. Primò, quas conditiones habere debeant, Secundò, quænam entia, ſeu prædicamenta poſſint per ſe præſtare munus termini reſpectu motus.

Dico primo triplex eſt conditio requiſita in terminis motus. Prima, ut inter illos mediet latitudo ſucceſſivè decurrenda: Secunda, ut ſint poſitivi. Tertia, ut ſint oppoſiti aliquo modo contrariè, & non pure privativè, vel contradictoriè.

Probatur prima conditio Nam motus ſucceſſivus eſt ſucceſſiva progreſſio à termino à quo ad terminum ad quem, ergo neceſſe eſt, ut inter illos mediet aliqua latitudo in plures partes diviſibilis, ut dum paulatim exhauritur, procedendo à priori parte ad ulteriorem, fiat ſucceſſio in motu: nam ſucceſſio eſt à priori ad poſterius progreſſio.

Probatur etiam ſecunda conditio, quæ ſequitur ex prima; Nam inter ens & non ens nihil cadit medium, ergo motus ſucceſſivus nequit eſſe inter ens & non ens. Et proindè eadem ratione qua exigit latitudinem mediam inter ſua extrema, exigit etiam terminos, ſeu extrema poſitiva. Undè mutationes, quæ ſunt inter ens & non ens v. g. inter privationem & formam, ſunt inſtantaneæ, ut generatio, corruptio, & illuminatio.

Probatur demùm tertia conditio, quæ etiam ſequitur ex prima. Et in primis quod termini motus debeant opponi, patet: Nam acquiſitio termini ad quem eſt derelictio termini à quo, ergò debent opponi, ideſt, eſſe incompatibiles. Quod verò debeant opponi contrariè probatur: Nàm oppoſitio contraria eſt, quæ petitur ex diſtantia duorum extremorum ſub uno genere contentorum: Sed extrema motus debent hoc modo inter ſe diſtare; ergò debent inter ſe aliquomodo opponi contrariè.

Hæc omnes conditiones patent in motu, v. g. navis ſolventis à Gallia in Americam. In primis enim inter Galliam & Americam, qui ſunt termini à quo, & ad quem, mediat immenſum illud ſpatium interjacens inter littora Galliæ, & Americę, quòd dùm ſucceſſivè, & per partes decurritur à navi, conſtituit ſucceſſionem in ejus motu.

motu. Deindè Gallia, & America ſunt termini poſitivi, ut patet: ſunt etiam oppoſiti quaſi contrariè quia inter ſe diſtant, & propter illam diſtantiam, dùm unus acquiritur, aliud deſeratur neceſſe eſt.

Dico 2. Motus non datur ad ſubſtantiam; id eſt, ſubſtantia non poteſt per ſe terminare motum. Ita Ariſtoteles, & D. Thomas hic & 11. Metaphyſ. lect. 2.

Probatur eorum rationibus: Tùm quia inter duas formas ſubſtantiales nihil cadit medium, ſed una immediatè ſuccedit alteri; cum enim forma ſubſtantialis det primum eſſe, neceſſe eſt materiam, dum unam deſerit immediatè acquirere aliam: alias in duratione media eſſet ſine eſſe, quod eſt impoſſibile: Tùm quia formæ ſubſtantiales non opponuntur contrariè; ſiquidem extrema motus dicuntur contraria, inquantùm inter illa datur determinata diſtantia, quæ dum exhauritur facit mutationem eſſe ſucceſſivam: ſed duæ formæ ſubſtantiales non habent iſtam diſtantiam (quælibet enim immediatè poteſt ſuccedere cuilibet,) ergò non opponuntur contrariè: Tùm demùm, quia mutatio ſubſtantialis eſt de non eſſe ſimpliciter ad eſſe, vel è contrà; ergò non eſt per ſe inter terminos poſitivos, ſed inter privationem, & eſſe: Undè ſi per impoſſibile materia poſſet privari omni forma, mutatio ab iſta privatione ad formam eſſet mutatio ſubſtantialis. Adde præterea cum D. Th. 5. Phyſic. lect. 3. quod ſit daretur motus ab ſubſtantiam, materia prima eſſet ſubjectum iſtius motus: ſed materia non poteſt eſſe ſubjectum motus, ergò Probatur minor: Nam ſubjectum motus debet eſſe ens actu; quod enim non eſt, quomodo moveri poteſt ſaltem propriè; ſed materia non eſt ens actu; ergò, &c.

Digitized by Google

Objicies primò. Nutritio eſt motus ſucceſſivus non enim in inſtanti fit, ſed ſucceſſivè digeritur, diſponitur, & convertitur cibus in ſubſtantiam aliti: Atqui nutritio terminatur ad ſubſtantiam, eſt enim acquiſitio novæ ſubſtantiæ; ergò datur motus ſucceſſivus ad ſubſtantiam.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Nutritio eſt motus ſucceſſivus, præcisè ut terminatur ad ſubſtantiam, nego: ut habet ſecum adjunctam alterationem, & augmentationem, coucedo: in nutritione enim tria ſunt: Primò alteratio cibi: Secundò converſio in ſubſtantiam animalis, Tertiò acquiſitio novarum partium quantitativarum animal enim dum nutritur, non nudam ſubſtantiam acquirit, ſed ſimul cum ea novas partes quantitatis. Dicimus ergo quod alteratio cibi fit quidem ſucceſſivè, ſimiliter additio novarum particularum quantitatis fit ſucceſſivè: ſed converſio cibi in ſubſtantiam aliti, quæ formalitèr eſt nutritio, fit in inſtanti; Nàm ſicut particulæ ligni, poſtquam per calorem ſatis diſpoſitæ ſunt ad formam ignis, in inſtanti igneſcunt; ita particulæ cibi poſtquam ſatis per ſucceſſivam alterationem diſpoſitæ ſunt, in inſtanti tranſeunt à forma ſubſtantiali cibi, ad formam ſubſtantialem animalis.

Objicies 2. Inter duas formas, dantur plures mediæ ſucceſſivè decurrendæ; ut inter formam cibi, & pueri, mediat forma ſeminalis, vegetativa, & ſenſitiva: iis enim veluti gradibus materia cibi procedit ad ànimam rationalem: ergò à forma cibi ad formam pueri poteſt dari motus ſucceſſivus.

Reſpondeo; Has formas mediarè ſolum ſecundum ordinem naturæ, non verò ſecundùm neceſſitatem generationis: Si enim in cibi materia

ria ponerentur diſpoſitiones ad formam pueri immediatè forma pueri ſuccederet formæ cibi. Adde præterea, quod quælibet forma media acquiritur per propriam, & diſtinctam mutationem: undè formæ mediæ non poſſunt conſtituere unum medium unius motus ſucceſſivi.

Dico 3. Ad relationem, ſitum, habitum & quando non datur etiam motus.

Probatur concluſio: Tùm quia ejuſmodi prædicamenta non fiunt per ſe, ſed reſultant ex aliis, ut dictum eſt in Logica: Tum quia non ſervant conditiones requiſitas ad motum: Non enim fiunt ex termino à quo poſitivo, & contrario, inter quem & ipſa ſit quoddam medium ſucceſſivè decurrendum, ſed in inſtanti reſultant, relatio quidem ad poſitionem fundamenti, & termini: ſitus ad diſpoſitionem partium in loco: quando ad poſitionem rei in tempore: & habitus ad applicationem veſtium.

Dico 4. Ad actionem, & paſſionem non datur motus.

Probatur facilè: Tum quia actio, & paſſio identificantur cum motu: ergo ſi daretur ad illas motus, daretur motus ad motum; Tùm quia motus eſt idem cum actione, ergo ſi daretur motus ad actionem, daretur etiam actio ad actionem, & fieret proceſſus in infinitum.

Dico 5. Solùm tria prædicamenta poſſunt per ſe terminare motum, ſcilicet quantitas, qualitas, & ubi: Ita Divus Thomas, & Ariſtoteles 5. Phyſ. cap. 2.

Probatur concluſio: Nàm tria hæc prædicamenta habent omnes conditiones ad terminandum motum requiſitas; in primis enim datur in illis quædam latitudo ſucceſſivè decurrenda, ut inter minorem, & majorem quantitatem

mediat quædam latitudo extenſionis in plures partes diviſibiles; Inter duo ubi, ſeù duo loca, mediat latitudo diſtantiæ, quam corpus exhaurit, dum ab uno loco ad alium pergit: & in qualitatibus datur latitudo perfectionis, per quam ſubjectum tranſit, dum ab uno ſtatu qualitatis ad alium procedit, ut inter minimum calorem, & maximum ſunt diverſi gradus, per quos neceſſariò tranſire debet ſubjectum, dum calefit: Et inter duas contrarias qualitates dantur plures mediæ, quas ſubjectum decurrit, dum à contrario in contrarium tranſit, ut inter album, & nigrum medat calor fuſcus pallidus, &c. Hæc etiam prædicamenta fiunt ex terminis poſitivis, ut major quantitas ex minori, unus locus ex alio, & perfectior qualitas ex imperfectieri. Extrema demùm horum prædicamentorum opponuntur etiam contrariè, non quidem contrarietate ſtrictæ, quæ eſt ſolum inter duas qualitates maximè diſtantes, ſeque mutuò à ſubjecto pellentes ſed ſaltem contrarietate impropria, quæ eſt inter duo extrema invicem diſtantia. Nàm & duo loca, & major minorque quantitas inter ſe diſtant; ut patet. Et ex hoc ſolvitur objectio dicens contrarietatem non habere locum in quantitatibus, ut dictum eſt in Logica; hoc enim intelligitur de contrarietate ſtrictè ſumpta, quę eſt maxima diſtantia inter extrema ſub uno genere poſita, & inter ſe repugnantia: non verò de contrarietate lato modo ſumpta pro incomparabilitate duorum terminorum poſitivorum, inter quos mediat determinata diſtantia, quæ contrarietas, ut patet, locum habet etiam in quantitatibus, & locis.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS QUARTUS.

De Unitate, & diſtinctione tum generica, tùm ſpecifica, tùm numerica motus.

TRiplex eſt in rebus diſtinctio, & unitas, ſcilicet, generica, ſpecifica, & numerica, Undè circa motum, quæritur à quo deſumantur iſtæ diſtinctiones, & unitates.

Non eſt autem hic quærendum rigoroſum genus, & ſpecies; Cum enim motus ſit ſolum ens imperfectum, non habet etiam perfectè genus, & ſpeciem, ſed ſolùm imperfectè. Undè ut explicetur à quo motus deſumat illam imperfectam, & qualemcunque unitatem.

Nota, res eſſe in duplici differentia; Quædam enim eſſentialiter ſunt propter ſe ut ſubſtantiæ omnes. Quædam verò ſunt eſſentialitèr ordinatę ad aliud, ut viſio ad colores, potentiæ ad actus ſuos, &c. illa, quæ ſunt propter ſe, ſpecificantur à ſe ipſis, ideſt, à ſua forma; ut homo ſpecificatur ab anima, & lapis ſimilitèr à ſua forma; Illa verò, quæ ordinantur ad aliud, ſpecificantur ab eo, ad quod ordinantur; inquantum ſcilicèt natura, quæ ſapienter agit, talem eſſendi modum, & ſpeciem illis tribuit, qualem exigit res, ad quam ordinantur: Ut quia oculus eſt propter colores videndos; talitèr diſpoſitus eſt, talemque ſpeciem ſortitur, qualem exigit viſio colorum. Conſtat autem motum ordinari ad aliud; eſt enim tendentia ad terminum; Undè neceſſe eſt, ut non à ſeipſo, ſed ab alio ſpecificetur, id eſt ſpeciem & diſtinctionem deſumat. His prænotatis.

Dico 1. Unitas, & diſtinctio motus tùm gene-

rica, tùm ſpecifica deſumitur à termino ad quem tendit. Ita communiter omnes,

Prob. concl. Nam motus ab illo deſumit unitatem genericam, & ſpecificam, à quo deſumit ſuum eſſe. Sed motus deſumit ſuum eſſe à termino ad quem, ergo deſumit etiam ab illo unitatem genericam, & ſpecificam; Probat. maj. ex axiomate D. Th. Unitas enim ſequitur ens: Undè ab eodem res deſumit, unitatem à quo deſumit ſuum eſſe. Minor verò conſtat. Quia motus eſt tendentia ad terminum; ergò deſumit ſuum eſſe per ordinem ad terminum, quem reſpicit. Cæterum terminus à quo recedit motus, nullo modo pertinet ad ejus eſſentiam, niſi materialitèr, & præſuppoſitivè.

Confirmatur ex alio Div. Thomæ axiomate. *Ea*, enim *quæ eſſentialitèr ordinantur ad aliud, deſumunt ab illo diſtinctionem, & unitatem.* Sed motus eſſentialitèr ordinatur ad terminum ad quem, non verò ad terminum à quo, ergo deſumit unitatem, & diſtinctionem, ſive genericam, ſive ſpecificam à termino ad quem. Major eſt axioma D. Thomæ, quod habetur 1. 2. quæſt. 54 art. 2. & amplius declarabitur agendo de ſpecificativo potentiarum vitalium; Minor verò conſtat; eſſentia enim motus eſt tendere ad terminum ad quem.

Ex his colliges tria eſſe genera motus juxta tria prædicamenta, quæ terminant motum. Primum genus eſt motus ad quantitatem. Secundum genus eſt motus ad qualitatem, qui dicitur alteratio; Tertium genus eſt motus ad ubi, qui dicitur alteratio. Motus ad quantitatem ſubdividitur in augmentationem, & diminutionem. Motus ad qualitatem ſubdividitur in intenſionem, remiſſionem, & alterationem ſpecialiter di-

dictam, de quibus infrà; Motus localis ſubdividitur in rectum, circularem, & mixtum.

Objicies: Idem terminus poteſt terminare motus ſpecie diverſos: ergò motus non deſumit ſpeciem à termino ad quem. Probatur antecedens. Nàm media pars montis terminare poteſt motum deſcenſus, ſi quis moveatur à culmine ad medium montis, & eadem terminare poteſt motum aſcenſus, ſi quis feratur à radice ad medium montis; Similitèr in motibus alterationis calor mediocris terminare poteſt & motum remiſſionis, ſi aqua ſummè calida deferveſcat uſque ad mediocritatem, & motum intenſionis, ſi aqua tepida mediocritèr calefiat.

Reſp. diſt. antec. Idem terminus poteſt terminare motus ſpecie diverſos, idem terminus materialiter ſumptus, concedo: idem terminus formalitèr ſumptus, nego. Explicatur: Terminus motus ſumitur materialitèr, quando ſumitur ſecundum ſuam entitatem; ſumitur verò formalitèr, quando conſideratur ut tali, vel tali modo acquiſibilis. Dicimus ergò quod eadem entitas termini, ut diverſimodè acquiſibilis poteſt terminare motus ſpecie diverſos, ut patet in allatis exemplis. Sed in hoc caſu licèt ſit eadem materialitèr, & in ratione entis, eſt tamen diverſa formalitèr, & in ratione termini.

Dico ſecundò: Unitas, & diſtinctio numerica motus deſumitur ex tribus, ſcilicèt ex unitate ſubjecti, termini, & temporis; itaut ad hoc ut motus ſit idem numero, neceſſe ſit illum habere idem ſubjectum, eundem terminum, & continuari in eodem tempore abſque interruptione: ut autem varietur numericè ſufficit vel mutatio ſubjecti, vel variatio termini, vel interruptio temporis. Ita communitèr omnes.

Pr-

Probatur concluſio; Motus enim tria dicit: nam eſt accidens, & tendentia ad terminum, & eſt aliquid continuum; Inquantum accidens petit unitatem ſubjecti, quia omne accidens individuatur à ſubjecto, inquantùm tendit ad terminum, petit unitatem termini, nam eadem via non poteſt ducere ad terminos diſparatos: inquantum verò eſt aliquid continuum, petit unitatem temporis: nam continui unitas ſolvitur interruptione; continuum enim diviſum non eſt amplius unum.

Objicies commune argumentum; Variato ſubjecto non variatur motus: ergo non deſumit unitatem numericam à ſubjecto. Probatur antecedens in cane, qui præcipitatus ex alta turri, moritur in medio ſpatio; tunc enim motus eſt idem numero à vertice ad pedem turris: & tamen ſubiectum variatur transit enim de vivo in mortuum.

Reſpondeò, negando in rei veritate eundem numero motum eſſe canis, cadaveris: ſed ſicut moriente cane cadaver ſtatim ſubrogatur animali, ita quoque deſinit motus animalis, & ſtatim ſubrogatur motus cadaveris.

Inſtabis: motus non interruptus eſt idem numero; Sed motus nunquam interrumpitur à vertice ad pedem montis: ergo manet idem numero.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Talis motus non interrumpitur, interruptione temporis, concedo; interruptione ſubjecti, nego Quamvis enim motus animalis, & motus cadaveris immediatè ſibi ſuccedant, ac proindè nullam admittant temporis interruptionem, attamen non continuatur idem ſubjectum; Undè ex illa parte interrumpitur motus. Quod autem variatio ſub-

jecti

jecti ſola ſufficiat ad variandum motum, patet in hoc exemplo; ſi enim dum lapis molaris cadit ex alto, Deus deſtrueret in medio ſpatio hunc lapidem, & immediatè ſubrogaret alium, motus utriuſque lapidis quamvis mediam temporis interruptionem non admitteret, non eſſet tamen idem numero, ſed duplex; ergo ſola ſubjecti variatio ſufficit ad variandum motum.

Urgebis; ſi canis geſtaret torquem in collo, motus torquis eſſet idem numero à vertice ad imum turris: quidni etiam motus canis vivi, & mortui erit unicus?

Reſpondeo, negando paritatem, quia torquis manet idem toto tempore, & ideò ex illa parte non debet variari motus ejus; At verò canis non manet idem, ſed ex cane fit cadaver: & ideò ſicuti canis mutatur in cadaver, ita motus canis deſinit, & incipit motus cadaveris.

Quæri ſolet, utrum detur quies in puncto reflexionis; v. g. dum lapis ſursùm projectus, poſteà recedit, dum pila ad parietem alliſa, reſilit, utrùm inter aſcenſum, & deſcenſum, vibrationem, & reſilientiam mediet brevis morula, in qua lapis non aſcendat nec deſcendat; pila nec vibretur, nec reſiliat.

Reſpondeo per ſe loquendo dari talem quietem per brevem morulam: quia ſcilicèt in reflexione fit quædam veluti lucta inter virtutem impellentem, & virtutem repellentem; In puncto autem reflexionis vires utriuſque adducuntur ad æquilibrium; undè pro illo breviſſimo tempore, in quo neutra vincit, neceſſe eſt ut mobile quieſcat. Sed quia ſtatim virtus depellens vincit, ſtatim etiam quies illa interrumpitur: quamvis in quibuſdam corporibus adeò diuturna ſit, ut pateat ad ſenſum; Nam baculus ſursùm proje-

ctus,

ctus, antequàm recedat, pendulus, & anceps per breves morulas cernitur, & pila antequàm reſiliat, pauliſper parieti affixa perſiſtit. Per accidens tamen talis quies interrumpitur, v. gr. ſi baculo ſursùm aſcendenti occurrat lapis molaris deorsùm cadens, ſine dubio abſque media quiete baculus deorsùm rapietur: ſi enim quieſceret, & neceſſe eſſet etiam lapidem cadentem quieſcere, quod eſt abſurdum.

ARTICULUS QUINTUS.

De contrarietate motus.

CIrcà motus contrarietatem duo quæruntur. Primò, undè ſumatur; ſecundò, utrùm duo motus contrarii poſſint ſimul afficere idem mobile.

Dico 1. Contrarietas motus ſumitur ex oppoſitione terminorum, ad quos tendit; Ita communitèr omnes.

Probatur concluſio. Nàm motus ab eo deſumit contrarietatem, à quo ſumit ſpeciem; Sed ſumit ſpeciem à termino ad quem: ergò, & contrarietatem. Minor conſtat ex dictis, Major verò probatur: Nam contrarietas motus eſt veluti proprietas conſequens ſpeciem; ergò ab eo ſumitur, à quo & ſpecies juxta illud: *qui dat eſſe*, *dat conſequentia ad eſſe*.

Dico 2. Idem mobile ſecundùm diverſas partes poteſt affici motibus contrariis. Concluſio patet: Tùm quia diverſæ partes ſunt etiam diverſa ſubjecta, Tùm etiam experientia; nam idem homo frigere poteſt in manu, & calere in pede.

Dico 3. Idem mobile etiam ſecundùm eandem partem poteſt per accidens moveri motibus

bus localibus contrariis. Dico localibus, quia id ſolùm videtur contingere circa motum localem.

Probatur concluſio tùm ratione, tùm inductione; Ratione quidem: nàm corpus contentum per accidens movetur ad motum corporis continentis, ut mota rheda, movetur homo incluſus in rheda: & tamen etiam eodem tempore corpus contentum poteſt per ſe moveri verſus quamcunque partem: ergò fieri poteſt, ut dum corpus continens movetur ad unam partem: corpus contentum per ſe moveatur ad oppoſitam: ſicque habebit duos motus oppoſitos, unum per ſe, & alium per accidens. Inductione etiam: Sic enim videmus Nautam in navi motu proprio ambulare ad orientem, & ſimul ad motum navis abripi verſus occidentem. Sic etiam Sol quotidiè ad motum primi mobilis rapitur ab ortu ad occaſum, & motu proprio ſingulis annis rapitur ab occaſu ad orientem, ut explicabitur in lib. de cœlo.

Dico 4. Idem mobile non poteſt per ſe moveri motibus contrariis.

Probatur concluſio. Nam impoſſibile eſt per ſe ſimul tendere ad unum terminum, & tamen per ſe ab illo recedere. Sed ex motibus contrariis unus accedit ad terminum, à quo alter recedit; ergò impoſſibile eſt moveri per ſe motibus contrariis; Minor eſt certa; In hoc enim conſiſtit motuum contrarietas, ut unus recedat à termino, ad quem alter accedit. Minor etiam patet: Nam accedere, & recedere reſpectu ejuſdem termini ſunt incompoſſibilia. Si autem dicas qualitates contrarias ſaltem in gradu remiſſo ſe compati, ut frigus, & calor ad mediocritatem redacta ſe compatiantur; ergò etiam motus calefactionis, & frigefactionis ſe poterunt compati in gradu remiſſo.

Reſ-

Reſpondeo cum Joanne à S. Thoma, quod ſicut qualitates illæ in gradibus remiſſis non ſunt formalitèr contrariæ, ideòque invicem conciliari poſſunt: ita quoque motus ad qualitates illas non videntur contrarii: Quamvis fortè difficiliùs ſit conciliare motus illos etiam in gradibus remiſſis, quàm qualitates, quia oporteret, ut eadem pars eodem tempore ſubjaceret agentibus contrariis, quod videtur repugnare.

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

De Infinito.

INfinitas triplicitèr pertinet ad motum; Primò ſecundùm durationem; nàm motus poteſt in æternum durare: Secundò ex parte diviſionis, quia motus eſt de genere continuorum: Continuum autem eſt in infinitum diviſibile, ut probabitur quæſtione quinta. Tertiò ſecundùm rationem principii: quia Veteres aliqui ponebant principium motus eſſe aliquid infinitum; ut Epicurus infinitas atomos, & Anaxagoras infinitas particulas quas vocabat *panſpermias*, ideſt, omnium rerum ſeminales: immò ſecundùm veram ſententiam primum principium movens debet eſſe aliquid infinitum, ſcilicet Deus. Undè poſtquam egimus de motu, cum Ariſtotele agendum eſt de infinito; circà quod quinque quæruntur. Primò, utrùm, & quomodo infinitum naturalitèr dari poſſit, Secundò, utrùm divinitus infinita creatura ſecundùm eſſentiam dari poſſit: Tertiò, utrùm ſecundùm magnitudinem molis; Quartò, utrùm ſecundùm multitudinem: Quintò, utrùm ſecundùm, perfectionem alicujus qualitatis.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm, & quomodo naturalitèr dari poſſit Infinitum.

CElebris eſt diviſio infiniti in infinitum in potentia, ſeù ſyncategorematicum; & infinitum actu, ſeu categorematicum. Infinitum actu, ſeu categorematicum eſt illud, quod ſecundùm id, quod habet, nullis finitur terminis: Sic Deus eſt ens actu, & categorematicè infinitum, quia ejus eſſentia totam eſſendi plenitudinem nullis limitibus coarctatam continet; Infinitum in potentia, ſeu ſyncategorematicum eſt illud, quod quamvis ſecundùm id, quod habet, claudatur terminis, attamen ſecundùm id, quod habere poteſt, nullos limites agnoſcit: Sic numerus hominum etſi finitus ſit actualitèr, attamen in potentia eſt infinitus, quia abſque fine creſcere ſemper poteſt, ſemper enim præexiſtentibus hominibus novi addi poſſunt. Hac diſtinctione prænotata.

Dico primo; Naturalitèr datur infinitum actu in eſſentia, ſcilicèt Deus Optimus Maximus, qui eſt fons omnium perfectionum, & capit in ſe omnem eſſendi plenitudinem.

Concluſio eſt de fide, & etiam naturalitèr nota, Cùm enim Deus ſit cauſa omnium entium: neceſſe eſt, ut in ſe præhabeat omnem eſſendi rationem: Nemo enim cauſat effectivè, & principalitèr niſi præcontineat perfectionem ſui effectus; ergò cauſa omnis entis debet continere omnem eſſendi perfectionem; ac proindè eſſe infinitè perfecta.

Dico ſecundò: Nulla Creatura actualitèr eſt infi-

infinita actu, & categorematicè. Concluſio ferè conſtat apud omnes, &

Probatur facilè tum authoritate Scripturæ dicentis, Deum omnia feciſſe in numero, pondere, & menſura: ac proindè finita: nàm infinitum caret numero, pondere, & menſura; Tùm quia nulla creatura in re habet totam eſſendi plenitudinem, ſed ſolùm partem: undè dicitur ens participatum, ideſt ad particularem eſſendi modum determinatum; ergò nulla creatura eſt infinita, limitatio enim ad particularem modum eſſendi opponitur infinitati: Tùm quia, ut dicit D. Thom. & magis infrà expendetur, actus finitur per potentiam; Sed omnis creatura habet actum permixtum potentialitate, nulla enim eſt actus purus; ergò omnis creatura eſt finita. Tum demùm quia omne ens creatum, vel eſt accidens, vel ſubſtantia; Sed nec accidens, nec ſubſtantia creata poſſunt eſſe infinita; ergò. Probatur minor; Nàm genus, & differentia ſunt limites eſſentiæ: Sed omnis ſubſtantia creata habet genus, & differentiam, extrà quæ non ſe diffundit, ergò eſt finita, & limitata. Accidens autem cum recipiatur in ſubſtantia, debet ipſi proportionari; ac proindè non magis eſt infinitum, quàm ipſa ſubſtantia.

Dico 3. Datur tamen in rerum natura infinitum in potentia ſecundum magnitudinem, & ſecundùm multitudinem; immo aliqualitèr ſecundùm eſſentiam. Concluſio, quæ eſt communitèr recepta.

Declaratur: Nàm quantitas poteſt creſcere in infinitum, nulla enim adeò magna eſſe poteſt, cui Deus novam extenſionem addere non poſſit: ergo datur infinitum in potentia ſecundùm magnitudinem. Similitèr nullus numerus

adeò

Digitized by Google

adeò magnus dari poteſt, cui novas partes Deus in infinitum adjicere non poſſit; ergò datur infinitum in potentia ſecundùm numerum. Similitèr nulla creatura ſecundùm eſſentiam adeò perfecta eſſe poteſt, qua perfectiorem creare Deus non poſſit, ergò aliqualitèr datur infinitum in potentia ſecundùm eſſentiam, non quidem, itaut eadem eſſentia creata ſit in infinitum perfectibilis (eſſentiæ enim rerum conſiſtunt in indiviſibili) ſed quia perfectiorem, & perfectiorem ſemper Deus creare poteſt.

Dices; Potentia reducta in actum nullum ſequitur abſurdum; ergo ſi naturaliter detur infinitum in potentia, etiam naturaliter poterit alia potentia reduci ad actum, & ſic dabitur infinitum actu.

Reſpondeo cum Div. Thoma 1. part. quæſt. 7. artic. 4. ad 1. diſtinguendo majorem: Potentia reducta in actum, nullum ſequitur abſurdum, reducta eo modo, quo reducibilis eſt, concedo: alio modo, nego: infinitum autem in potentia in eo ſolùm conſiſtit, quod quolibet dato, ſemper alia dari poſſint in infinitum, Undè talis potentia eſt ſolum reducibilis in actu ſucceſſive, inquantum quolibet dato poteſt aliud poni in infinitum, abſque eo quod unquam preveniatur ad ultimum terminum, ac proindè ad aliquid infinitum actu.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm divinitus ſit poſſibilis creatura ſecundam eſſentiam infinitam.

SUppono cum D. Thoma 1. p. quæſt. 25. art. 3. quod, cum dicitur aliquid divinitùs impoſſibile, hoc non eſt defectu virtutis ex parte Dei, ſed defectu poſſibilitatis ex parte objecti, inquantum in tali objecto involuitur aliqua contradictio vel expreſsè, vel conſecutivè. Sic Deus non poteſt creare alium Deum, quia implicat id, quod eſt creatum, eſſe Deum: nec facere hominem ſine anima: quia id, quod non habet animam, non eſt homo: nec producere creaturam conſervatione divina non egentem, quia ſequeretur, eam non eſſe cauſatam à Deo, Nàm conſervatio eſt continua productio. Undè ut notat D Thom. dum aliquid dicitur impoſſibile Deo, convenientiùs eſſet dicere, quod id fieri non poteſt, quam quod Deus id facere non poſſit. Hoc prænotato, quærimus utrùm poſſibilis ſit creatura actu infinita. Infinitum autem eſt id, quod caret fine: undè quia aliquid poteſt carere fine, & termino vel in eſſendo, vel in extenſione, vel in multitudine, vel in intenſione, ideò quadruplex eſt infinitum; ſecundùm eſſentiam, ſecundùm extenſionem, ſecundùm multitudinem, ſecundùm intenſionem. In hoc igitur articulo incipientes à primo.

Dico. Etiam divinitùs non eſt poſſibilis creatura ſecundùm eſſentiam infinita, ideſt, quæ in linea entis careat termino, & limitibus. Ita tenent omnes ferè Philoſophi, & Theologi cum D. Tho. 1. p. q. 7 art. 2.

Pro-

Digitized by Google

Probatur 1. concluſio ratione D. Tho. Quod conſtat actu permixto cum potentia non poteſt eſſe infinitum; Sed omnis creatura neceſſariò conſtare debet actu permixto cum potentia; ergò neceſſariò omnis creatura debet eſſe finita, nec dari poteſt aliqua infinita. Minor certa eſt: Quia proprium ſolius Dei eſt eſſe actus purus: omnis verò creatura neceſſariò habet aliquid de potentialitate admixtum. Major verò probatur: Quia, ut dicit D. Thomas, actus finitur per potentiam in qua accipitur, & cui admiſcetur; ergò omnis actus potentialitate permixtus eſt finitus. Conſequentia patet. Antecedens vero declaratur: actus enim hoc ipſo quod recipitur in aliqua potentia, participatur ab illa, ſicque partim capitur, partim relinquitur, & intra limites illius ita clauditur, ut ad alias potentias non ſe extendat; ſicque fit finitus, & limitatus. Adde præterea quod actus eſt perfectio, potentia verò eſt imperfectio: Undè quando actus eſſendi admiſcetur potentiæ, imperficitur, & minuitur ac proindè limitatur: ſicut quando lux admiſcetur opacitati fit imperfecta, & magis diminuta. Tertiam & profundiorem explicationem hujus principii reſervamus explicandam in Metaphyſica qu. 1. art. 3.

Probatur ſecundò alia ratione, quam inſinuat D. Thomas Opuſc. 43. cap. 5. Eſſentia determinata ad certum genus, & differentiam entis, non eſt infinita; ſed omnis creatura, quæ dari poteſt, neceſſariò eſt determinata ad certum genus, & differentiam entis: ergò nulla dari poteſt infinita. Minor certa eſt; Quia creaturæ inter ſe partiri debent rationem entis, inquantùm quælibet determinatur ad certum eſſendi modum ab aliis diſtinctum qui eſſendi modus inquantùm,

con-

convenit cum aliis, fundat rationem generis; inquantùm differt fundat rationem differentiæ Major verò (quam negant Adverſarii) probatur: Illud enim non eſt infinitum, quod clauditur terminis: ſed genus, & differentia ſunt termini eſſentiales: ergò quod habet genus & differentiam, non eſt infinitum in eſſentia. Major certa eſt; Minor verò probatur: Quia genus, & differentia ita determinant, eſſentiam rei ad certum eſſendi modum, ut non ſe extendat ad omnem plenitudinem entis, nec ad alias entitates extrà illam differentiam poſitas; proindèque ipſam reſtringunt, & limitant, ſicut quando Reges partiuntur orbem, limites cujuslibet regni finiunt potentiam cujuslibet Regis, quia extra illos terminos non ſe extendit.

Probatur tertiò concluſio: Nàm infinitum eſt in linea entis, quod capit omnem plenitudinem eſſendi; ſed nulla creatura poteſt in ſe comprehendere totam plenitudinem eſſendi, ergò nulla dari poteſt infinitas Major patet: Tùm quia eſt veluti notio entis infiniti: tum quia ideò concipimus Deum infinitum in eſſendo, quia capit omnem eſſendi plenitudinem; Et è contrà, homo, & Angelus ſunt finiti in eſſendo, quia ita reſtringuntur ad certum eſſendi modum, ut ad alios ſe non extendant. Tùm quia excluſio, & diſtinctio unius entis ab alio eſt ſignum limitationis, undè ens infinitum nihil debet excludere, ſed omnia continere, ſaltem ſecluſis imperfectionibus. Minor vero probatur, quia ens participatum non continet totam eſſendi plenitudinem: ſed omnis creatura eſt ens participatum; ergò nulla continere poteſt totam plenitudinem eſſendi. Minor certa eſt. Quia omnes creaturæ ſunt quædam primi entis participationes;

Digitized by Google

undè ens creatum, & ens participatum ſunt idem, ut patet ex D. Th. 1. part. quæſt. 44. art. 1. Major verò declaratur: Nàm participatio, ut inquit D. Thomas, eſt partim capere, partim relinquere: ergò nullum ens participatum capit totam plenitudinem entis, ſed ſolum aliquam particulam, ſicuti fluvii ſolam particulam capiunt illius immenſæ aquæ, quæ eſt in Oceano.

Objicies primò: Quanto major eſt virtus productiva, tanto majorem effectum producit: ſed Divina virtus eſt infinita: ergò poteſt producere creaturam infinitam.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Quantò major eſt virtus, tantò majorem effectum producit intra lineam poſſibilium, concedo: extrà talem lineam, nego. Effectus autem infinitus eſt impoſſibilis, quia de ratione entis creati eſt, quod ſit participatum, ac proindè finitum. Undè ſicut Deus, licèt infinitè potens, non poteſt facere aliquid non creatum, hoc enim eſſet ponere ſimul contradictoria: ita non poteſt facere, quod aliqua creatura ſit infinita. Solutio eſt Divi Th. 1. parte quæſt. 7. art. 2.

Inſtabis, Effectus debet proportionari cauſæ; ſed potentia Dei eſt infinita; ergò debet ei correſpondere effectus infinitus.

Reſpondeo primò; etiam Divinæ potentiæ reſpondere effectum infinitum, non quidem actu ſed ſyncategorematicè, & in potentia, inquantùm nulla creatura ita perfecta eſſe poteſt, ut perfectiorem in infinitum producere non poſſit, ideòque Dei potentia dicitur infinita, quia nunquam exhauriri poteſt, ſed ſemper effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum producere.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo majorem: Effectus debet proportionari cauſæ: in cauſis uni-

univocis, concedo: in cauſis æquivocis, nego. Sic enim videmus, quod ſol non producit alium ſolem ſibi perfectè ſimilem: quia eſt cauſa æquivoca: Undè nec Deus poteſt creare alium Deum, nec proindè effectum infinitum, & ſibi perfectè proportionatum. Solutio eſt ex D. Th. 1. p. q. 25. art. 2. Addi poteſt, quod omnis effectus à Deo creatus, licèt in re ſit finitus, attamen in modò fiendi eſt infinitus; Nàm etiam minimam muſcam creare ex nihilo arguit virtutem infinitam.

Urgebis: Poteſt Deus formare hunc actum Volo, ut fiat perfectiſſima creatura, quam ego poſſim producere; ſed illa creatura erit infinita: ergo dari poteſt creatura infinita.

Reſpondeo negando majorem: Implicat enim ille actus, quia nullus effectus datur ita perfectus, ut Deus perfectiorem producere non poſſit, alias exhauriretur ejus potentia. Undè ſicut Deus non poteſt imperare, ut detur ultima dies poſſibilis, quia omni data die, alia poſterior dari poteſt; ita nec imperare, ut detur perfectiſſima creatura, ultrà quam Dei potentia non extendatur; quia omni data creatura Deus perfectiorem producere poteſt.

Dices: Si Deus ageret neceſſario, produceret effectum infinitum: ergò, & liberè poteſt illum producere. Antecedens videtur certum: tunc enim Deus ageret ex toto ſuæ virtutis conatu; Conſequentia verò ex eo conſtat; quia libertas non præjudicat Dei potentiæ.

Reſpondeo 1. dato uno impoſſibili ſequi aliud, ut communitèr dicitur.

Reſpondeo 2. negando antecedens: Deus enim agens toto virtutis ſuæ conatu non faceret aliquid implicatorium. Cum ergò implicet ens participatum, eſſe infinitum. Deus non faceret

Digitized by Google

aliquid infinitum, ſed ſemper effectus perfectiores in infinitum profunderet.

Objicies 2. Si darentur omnes creaturæ poſſibiles, aliqua earum eſſet infinita: ergò ſi ſint creaturæ infinitæ poſſibiles, inter illas datur aliqua infinitas poſſibilis.

Reſpondeo primò negando conſequentiam, & paritatem: Si enim omnes creaturæ poſſibiles darentur, daretur quoque inter illas quædam omnium perfectiſſima, ac proindè infinitè perfecta: At verò in creaturis poſſibilibus nulla eſt perfectiſſima, ſed quacunque data, perfectior dari poteſt, & ideo nulla eſt infinitè perfecta.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo conſequens: ergò ſi ſint creaturæ infinitæ poſſibiles, quædam infinita erit poſſibilis, ſi ſint poſſibiles categorematicè, & poſſibilitate, ut ita dicam, exhauſtibili concedo: ſi ſint ſolùm poſſibiles ſyncathegorematicè, & poſſibilitate inexauſtibili eſt, nego; Quia contrà rationem potentiæ inexhauſtibilis eſt, ut perveniatur ad ultimum effectum, & proindè ut parturiat effectum infinitum actu.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm divinitus ſit poſſibilis magnitudo infinita.

Epicurus, & quidam alii putaverunt dari de facto magnitudinem infinitam, dicentes intermundia, ideſt ſpatia illa extrà hunc mundum diffuſa, plena eſſe infinitis aliis mundis modò pereuntibus, modò renaſcentibus ex varia diſpoſitione atomorum in infinito inani volitantium Epicureorum ſententiam ex parte renovavit Renatus Deſcartes 2. part. lib. princ. num. 21. dicens, mundum eſſe in immenſum diffuſum, leviſſi-

viſſimo iſto ductus fundamento quia inquit, etiam ultra quoſcumque deſignatos limites poſſumus imaginari adhuc ſpatium ac proindè corpus; Ex quo concludit, quod quia omne, quod concipimus eſt verum, ideò neceſſe eſt ultrà quoſcunqe deſignatos limites dari ſpatium, & corpus; ubi enim corpus non eſt, nec ſpatium reperiri poteſt. Sed planè inanis eſt hæc ratio; quaſi verò Deus Univerſo limites, & fines ſtatuere non potuerit, & teneatur corpora in immenſum diffundere, quia nos imaginamur ſpatia in immenſum diffuſa. Planè eadem ratio probaret dari chymeras, quia hoc Poetæ imaginati ſunt. Undè rejecto utroque hoc commento ſolùm quæritur, an divinitùs ſit poſſibilis aliqua moles infinita; nam nullam de facto dari certum eſt apud omnes communitèr, & inſinuat Scriptura dicens, Deum omnia feciſſe in numero, pondere, & menſura. Scotiſtæ & quidam Nominales, quos ſequuntur aliqui recentiores, tenent eſſe poſſibilem; attamen ſententia negans eſt longè communior, & efficaciſſimis innixa rationibus: Undè

Dico: impoſſibilis eſt magnitudo actu infinita. Ità expreſsè D. Thomas 1. p. qu. 7. art. 3. & aliis in locis.

Probatur primò concluſio ratione D. Thomæ. Quantitas infinita exigeret ſubſtantiam corpoream infinitam: Sed repugnat dari ſubſtantiam corpoream, quæ ſit infinita: ergo, quantitatem infinitam. Minor conſtat: omnis enim ſubſtantia corporea ſuos habere debet terminos ſubſtantiales, ſuum ſcilicet genus, ſuamque differentiam; Probatur major: Nam quælibet ſubſtantia corporea neceſſariò habere debet quantitatem ſibi proportionatam; ergò ut quantitas eſ-

ſet infinita, ſubſtantia quoque deberet eſſe infinita. Probatur antecedens. Nàm proprietas debet proportionari eſſentiæ à qua oritur, & accidens ſubjecto in quo recipitur Sed quantitas eſt proprietas; & accidens ſubſtantiæ corporeæ; ergo debet ei proportionari.

Probatur ſecundò alia ratione D. Thom. Omnis quantitas debet eſſe figurata: ergò, & finita. Probatur antecedens? Nam figura eſt forma, & proprietas quantitatis; ergò dari non poteſt quantitas ſine figura Probatur etiam conſequentia; Nam figura eſt terminus quantitatis, & afficit ipſius extremitatem; ergò omnis quantitas figurata eſt finita, & in aliquo extremo terminata. Undè ponere quantitatem infinitam, & tamen habentem figuram, v. g. triangularem; vel quadratam, ſicut faciunt Adverſarii eſt ponere infinitum terminis, & extremis finitum, quod planè repugnat.

Probatur tertiò rationibus mathematicis. Implicat dari ſpatium infinitum terminis clauſum: Sed ſi daretur corpus infinitum; daretur ſpatium infinitum terminis clauſum; ergò repugnat corpus infinitum. Major patet. Probatur minor: Poſſent enim ab aliquo puncto illius corporis angulariter protrahi duæ lineæ in infinitum: Sed ſpatium intra illas lineas contentum eſſet infinitum, & tamen terminis clauſum; ergò, &c. Major patet. In quolibet enim corpore poſſunt deſcribi lineæ ipſi proportionatæ: Minor verò probatur, & in primis quod tale ſpatium eſſet infinitum. Nàm quanto lineæ angulariter protractæ magis recedunt à puncto anguli, tantò longius diſtant inter ſe: Sed illæ lineæ recederent in infinitum à puncto anguli; ergò diſtarent in infinitum inter ſe, ac proinde ſpatium inter illas medium

tan-

Digitized by Google

tandem eſſet infinitum. Quod verò tale ſpatium adhuc clauderetur terminis, probatur. Nàm ſemper ejuſmodi diſtantia clauderetur illis duabus lineis tanquam limitibus, quos nunquàm excederet.

Dicere autem cum Adverſariis, quod poteſt dari infinitum clauſum terminis infinitis, omninò implicatorium eſt. Quod enim eſt infinitum, caret fine, ac proindè termino. Finis enim, & terminus idem ſunt in quantitate. Undè dicere infinitum terminis clauſum, idem eſt ac dicere infinitum habens finem.

Confirmatur primò alia demonſtratione mathematica, ſpatium illud inter duas illas lineas interceptum fore infinitum ſimul, & finitum. Et in primis, quod eſſet infinitum, ſupponitur; tùm ex communi confeſſione Adverſariorum; tum ex ratione ſuprà facta, quæ omninò demonſtrativa eſt. Quis enim neget duas lineas angulariter protractas tantò magis invicem diſtare, quanto longiùs recedunt à puncto anguli? Proindeque ſi recederent in infinitum à puncto illo, in infinitum quoque diſtarent inter ſe. Quod verò ſpatium illud foret etiam finitum, demonſtratur. Nàm nulla dari poſſet linea tranſverſalis inter duas illas, quæ non eſſet finita; ergò omne ſpatium inter illas medium foret finitum: Patet conſequentia: Nàm ſpatium quod menſuratur linea finita, eſt etiam finitum; ergò ſi nulla dari poteſt linea tranſverſalis inter illas infinitas, profectò nec ullum ſpatium infinitum. Antecedens verò probatur. Nàm omnis linea excedens aliam finitam finita magnitudine eſt etiam finita, ut naturalitèr patet, Sed omnis linea tranſverſalis, quæ dari poteſt intra præfatas lineas angulariter protractas, excedit præcedentem finitam finita

magnitudine; ergò nulla linea tranſverſalis inter illas duas angulares poteſt eſſe infinita.

Hæc ratio ita efficax eſt, ut quidam recentior oppoſitam ſententiam tenens ingenuè fateatur nec à ſe, nec ab aliis ſatis expeditam ſolutionem inventam ad huc eſſe.

Confirmatur ſecundò alia demonſtratione. Nam implicat dari virgam infinitam: ergò, & quodlibet aliud corpus. Conſequentia patet ex paritate rationis, & admittitur ab Adverſariis. Antecedens probatur: Illa enim virga eſſet finita, & infinita: ergò implicat. Probatur antecedens: & in primis quod eſſet infinita, ſupponitur; quod verò eſſet finita, ſic oſtenditur: nam poſſet ſecari illa virga, & ab extremis illius ſciſſuræ auferri valor unius ulnæ, quo facto poſſent extrema illa appropinquari, ut exhauſto ſciſſuræ ſpatio iterùm jungerentur. Quod ut fiat, neceſſe eſt utramque partem virgæ relinquere aliquid loci antea occupati, non enim partes baculi diſtantes jungi poſſunt, & appropinquari invicem, niſi tantundem ſpatii antea occupati relinquant verſus alias extremitates, quantùm acquirunt verſus illas, quæ conſumpta diſtantia invicem junguntur: Ille autem locus utrinque relictus eſſet finis virgæ, quia ultra illum locum ampliùs non extenderetur; proindèque in illo terminaretur, ſicut patebit in figura ſubjecta.

Plures aliæ rationes poſſent adduci, ut quod infinitum in aliquo genere debet continere totam plenitudinem ſui generis: Ut enim dicit D. Thom. quod l. 9 art. 1. infinito non eſt aliquid majus in eo ordine, quo eſt infinitum: implicat autem corpus comprehendens omnem quantitatem poſſibilem, & quod majus fieri non

poſſit:

poſſit: quia Deus poſſet addiicere præexiſtenti quantitati aliam quantitatem, præterea corpus infinitè magnum eſſet mobile, & immobile; Mobile quidem, quia mobilitas ſaltem localis eſt proprietas corporis; immobile verò, quia occuparet omnem locum, & ideò moveri non poſſet de loco ad locum motu recto; Non poſſet etiam moveri circularitèr; quia in motu circulari una pars debet pervenire ad locum ſuæ oppoſitæ, partes autem corporis infiniti diſtarent in infinitum inter ſe: ergò nulla poſſet pervenire ad locum alterius. Hac ratione utitur D. Thoma 1. parte, quęſt.7.art.3. Demùm, quod conſtat partibus finitæ magnitudinis, non poteſt eſſe infinitum; Sed tale corpus conſtaret partibus finitæ magnitudinis, ut patet: ergò non eſſet infinitum. Probatur major; Nàm finitum additum finito non poteſt facere infinitum; ergò quod conſtat partibus finitis, non poteſt eſſe infinitum. Et ſi dicas, quod tale corpus conſtaret partibus finitis quidem, ſed in infinitum multiplicatis, & ſuperadditis. Contrà eſt; Nàm additio partis ad partem non poteſt fieri niſi in infinitum ſyncategorematicè, inquantùm qualibet appoſita poteſt alia, & alia in infinitum apponi: infinitas autem ſyncathegorematica, cum ſit inexhauſtibilis, nunquam poteſt parturire infinitum actum, & cathegorematicum.

Adverſarii vix ullum habent argumentum: Tota eorum probatio eſt in ſolvendis inconvenientibus à nobis allatis, quæ tamen vix evitare poſſunt. Undè ſolent confugere ad incomprehenſibilitatem Divinæ potentiæ, quæ poteſt plus facere, quàm poſſit homo concipere, & cui facilia ſunt plura, quæ nobis videntur impoſſibilia. Hoc autem licèt veriſſimum ſit, Philoſophus

Digitized by Google

tamen in rebus naturalibus nihil aſſerere debet poſſibile, niſi poſſit evacuare argumenta, quæ probat, illud implicare niſi fortè id conſtet ex revelatione Dei, cui debemus ſubjicere lumen noſtrum, tanquam primæ veritatis regulæ. Cæterum in iis, quæ revelatione non conſtant, ſtare debemus lumini naturali.

Objiciunt tamen præter authoritatem Ariſtotelis dicentis, lineam infinitam poſſe poni ſub prædicamento quantitatis; ergò poſſibilis eſt.

Reſpondeo Ariſtotelem loqui in ſuppoſitione impoſſibili; ſicut cum dicimus, baculus ligneus etiamſi careret duobus extremis, poneretur in prædicamento ſubſtantiæ, quamvis certum ſit dari non poſſe baculum ſine extremis.

Inſtabis; Potuit dari tempus infinitum, ergò, & corpus infinitum. Conſequentia patet ex paritate rationis. Probatur antecedens. Nàm mundus potuit eſſe ab æterno etiam quantùm ad motum, & ad tempus, ergò tempus potuit eſſe infinitum.

Reſpondeo in ſententia quæ tenet motum, & tempus potuiſſe eſſe ab æterno, diſtinguendo antecedens: Potuit dari tempus infinitum, ſyncategorematicè concedo; categorematicè, nego. Cum enim impoſſibile ſit partes temporis, eſſe infinitas, temporis non poteſt eſſe infinitas actu, ſed ſolùm ſyncategorematica, in potentia, inquantùm poſt quodlibet tempus poteſt eſſe aliud tempus, & ante quodlibet tempus fuiſſet aliud tempus, ſi ab æterno mundus, & motus extitiſſent. Utrùm verò extare potuerint, diſcutietur infrà.

Urgebis. Quantitas infinita non repugnat; ergò dari poteſt. Probatur antecedens. Non enim repugnat ex parte Dei, quia omnia poteſt; nec

nec ex parte quantitatis, quæ de ſe augeri poteſt in infinitum.

Reſpondeo repugnare ex parte quantitatis; quæ non poteſt eſſe ſine figura, nec proindè ſine termino. Et ſi poſſit in infinitum creſcere, potentia illa eſt ſolùm ſyncategorematica, quæ nunquàm reduci poteſt ad actum infinitum; quia ut acutè dicit D. Thomas in 1. diſt. 43. quæſt. 1. art. 1. potentia illa eſſet exhauſta, & finita, ſi ad ultimum actum perveniret. Deindè id repugnat conſecutivè propter inconvenientia inſolubilia jam ſuprà relata.

Dices, Divum Thomam quodl. 12. art. 3. dicere, infinitum non implicare contradictionem; ergò fieri poteſt à Deo.

Reſpondeo in aliis locis expreſſiſſimè D. Th. dicere infinitum repugnare, ut patet quodl. 9. & Philoſophos antiquos, dum ponebant infinitum actu, propriam vocem ignoraviſſe, quia ponebant aliquid repugnans. Undè ad locum citatum dico D. Th. non dicere ſimplicitèr, & ex omni parte non repugnare infinitum; ſed ſolùm quod contradictio illa non ſe tenet præcisè ex parte ipſius rei; ſed ex modo quo fieri debet illa res; quia, ut inquit, Deus non poteſt facere quantitatem ſine figura ſeu forma, nec proindè ſine terminis.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum ſit poſſibilis multitudo infinita actu.

Scotiſtæ, Nominales, & ex antiquis Avicenna, & Algaxel tenent dari poſſe multitudinem actu infinitam, quos ſequuntur quidam Recentiores; ſententia tamen negans longè communior eſt. Undè.

Digitized by Google

Dico: repugnat dari multitudinem infinitam actu. Ita D. Thomas 1. p. q. 7. art. 4.

Probatur primò concluſio: Nàm dari non poteſt multitudo infinita rerum quantitativarum; ergò nec aliarum rerum. Conſequentia patet: Nàm utrobique videtur par ratio: Antecedens verò probatur: Nàm multitudo infinita quantitatum conficeret molem, & magnitudinem infinitam ut patet: ſed repugnat dari magnitudinem, & molem infinitam, ut ſuprà probatum eſt: ergò etiam repugnat infinita multitudo rerum quantitativarum.

Probatur ſecundò. Nam numerus infinitus deberet comprehendere omnes numeros: Sed repugnat numerus comprehendens omnes numeros ergò repugnat numerus infinitus. Major ſupra declarata eſt: Nam omne infinitum debet comprehendere omnem ſui generis plenitudinem; undè dicit D. Thomas quodl. 9. artic. 1. infinito non poſſe eſſe aliquid majus in eo ordine quo eſt infinitum. Minor verò probatur. Nullus enim poteſt dari numerus, quo major dari non poſſit; Sed numerus, quo major dari poteſt, non comprehendit omnes numeros; ergò dari non poteſt numerus comprehendens omnes numeros. Minor de ſe nota eſt: Major verò probatur, ſi enim talis numerus eſſet hominum, major eſſet numerus capillorum; & ſi eſſet capillorum, major fieret, ſi quidam ex illis dividerentur in duas partes. Et demùm cujuſcunque rei multitudo creſcere poteſt per additionem alicujus novæ rei, quam Deus poteſt creare de inexhauſto potentiæ ſuæ ſinu.

Probatur demum ultimò; Tùm quia omnis multitudo creabilis debet eſſe ſub determinata ſpecie, ergò, & finita aliqua ultima unitate,

quæ

quæ dat ſpeciem numero; Tùm quia multitudo infinita non poteſt cadere ſub intentionem creantis, qui facit omnia in numero pondere, & menſura; Tùm quia in qualibet multitudine plures ſunt binarii, quam quaternarii ergò neutri poſſunt eſſe infiniti; nam infinito nihil eſt majus; Tum quia poſſibilitas rerum non eſt infinita niſi ſyncategorematicè, inquantum Deus nova, & in infinitum creare poteſt; ergò repugnat ut perveniatur ad ultimam multitudinem, quam Deus poſſit creare, alias enim omnipotentia Dei non eſſet infinita, & inexhauſta, quando creaviſſet quidquid creare poteſt.

Objicies primo, D. Th. dicit Op. 27. non eſſe adhuc demonſtratum, quod Deus non poſſit facere infinita eſſe actu: ergò id non implicat.

Reſpondeo ex hac D. Th. authoritate ad ſummum ſequi tantùm D. Th. non exiſtimaſſe rationes, quibus probatur repugnantia infiniti actu, eſſe demonſtrativas, & prorsùs inſolubiles, attamen quia efficaciſſimæ ſunt, ideò huic ſententiæ cum D. Th. adhæremus.

Objicies ſecundò, Deus poſſet creare unum Angelum in omni inſtanti unius horæ: Sed in hora ſunt inſtantia infinita; ergò illi Angeli eſſent infiniti.

Reſpond. diſt. maj. Deus poteſt creare unum Angelum in omni inſtanti unius horæ deſignabili, & determinato, concedo; indeſignabili, & indeterminato, nego: creatio enim rei determinatæ debet fieri in inſtanti determinato: In hora autem non ſunt infinita inſtantia deſignabilia, etiam à Deo.

Inſtabis. Ariſtoteles poſuit mundum ab æterno, & ſaltem probabilitèr tenetur potuiſſe creari ab æterno: Sed hoc poſito dari poſſent infiniti

finiti Angeli; ergò. Probatur minor: Potuiſſet enim Deus quolibet anno creare unum Angelum ergò jam Angelorum multitudo eſſet infinita.

Reſpondeo primò, Sententia, quæ tenet mundum potuiſſe creari ab æterno etiam quantum ad entia ſucceſſiva, miras pati anguſtias; undè poteſt deſeri, ſi ex illa ſequatur multitudo infinita actu, quam ſupra repugnare oſtendimus efficacitèr. Cæterum hæc ſententia accuratiùs infrà examinabitur. Undè.

Reſponderi poteſt ſecundò, mundum potuiſſe eſſe ab æterno, & tamen ex hoc non ſequi multitudinem actu infinitam, quia non potuiſſet creari unus Angelus quolibet anno collectivè, ſed ſolùm diviſivè. Undè in forma diſtinguo; Potuit Deus creare unum Angelum quolibet anno diviſivè, concedo: collectivè, nego: ideſt nullus, eſſet deſignabilis annus, in quo non potuiſſet Deus creare Angelum; attamen in omnibus collectivè creari non potuiſſet, itaut nullus eſſet annus, in quo de facto non fuiſſet productus aliquis Angelus.

Objicies 3. Deus poteſt producere quidquid cognoſcit cognitione practica: Sed Deus oognitione practica cognoſcit infinitam multitudinem: ergò poteſt illam producere. Major videtur certa; Nàm cognitio Dei practica eſt rerum effectiva. Minor etiam probatur. Nàm Deus cognoſcit totam collectionem creaturarum poſſibilium: Sed illa collectio eſt infinita: ergò

Reſpondeo primò diſtinguendo minorem: Deus cognoſcit infinitam multitudinem, infinitate categorematica, & exhauſtibili; nego; infinitate ſyncategorematica; & inexhauſtibili; concedo. Undè non ſequitur, quod poſſit producere infinitum actu: quia talis infinitas ſyncategorematica

Digitized by Google

matica nunquam poteſt reduci ad omnem ſuum actum.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo antecedens; Deus poteſt producere quidquid cognoſcit practica cognitione, eo modo, quo producibile eſt concedo: alio modo, nego. Multitudo autem illa infinita creaturarum poſſibilium non eſt producibilis tota ſimul, ſed ſolùm ſucceſſivè, inquantùm non eſt dabilis aliqua multitudo, qua major dari non poſſit in infinitum.

Inſtabis: Cognitiones Beatorum futuræ per totam æternitatem omnes actu exiſtunt præſentes in æternitate: Sed illæ cognitiones ſunt infinitæ; ergò datur multitudo actu exiſtens infinita ſaltem in æternitate.

Reſpondeo primò cum Complutenſibus, quod ſicut cogitationes Beatorum eſſe preſentes ęternitati, non impedit, quin ſint in ſe ipſis futuræ, ita quoque quamvis omnes actu exiſtant in æternitate, non impedit, quin ſint ſolùm infinitæ in potentia; quia ejuſmodi actualis preſentia totum id, quod habet de actu, emendicat ab æternitate, & ideò non impeditur propria potentialitas, & ſucceſſio.

Reſpondeo ſecundò cum Joanne à Sancto Th. diſtinguendo conſequens; Ergò datur aliqua multitudo infinita, ut contenta in aliquo infinito increato concedo; ut poſita extra aliquid increatum infinitum, nego. Quamvis enim in æternitate, & potentia Dei lateat infinita multitudo, nunquàm tamen poteſt extrà exiſtere infinita, quia, & potentia Dei, & æternitas exhauriti nunquàm poſſunt; & ideò extrà illas infinita multitudo actu nequit exiſtere.

Objici ſolet, partes continui eſſe infinitas Sed illud argumentum infrà diſcutietur q. 5. art. 1.

AR-

ARTICULUS QUINTUS.

Utrùm poſſibilis ſit qualitas infinitè intenſa, Ubi etiam agitur de terminis magnitudinis rerum.

INtenſio eſt incrementum proprium qualitatis: ſicut enim quantitas, dum creſcit, dicitur augeri; ita qualitas, dum perficitur, dicitur intendi. Quæritur utrùm aliqua qualitas ita poſſit perfici, & intendi, ut tandem fiat infinita.

Dico repugnat dari qualitatem infinitè intenſam.

Probatur ratione D. Th. 1. p. q. 7. art. 11. non eſt poſſibilis eſſentia infinita: ergò nec qualitas infinita. Probatur conſequentia. Nam qualitas infinita exigeret ſubjectum infinitum.

Confirmatur: Nàm ferè omnes qualitates habent terminos ſui augmenti, & ideò creſcere non poſſunt in infinitum; Si autem aliqua qualitas poteſt creſcere in infinitum, ut tenetur de gratia, illa infinitas eſt ſolùm ſyncategorematica, inquantùm non poteſt dari ita perfecta, quin perfectior ſemper dari non poſſit: Undè nunquàm poteſt parturire infinitam actu qualitatem.

Dices; Gratia, & merita Chriſti ſunt infinita actu; ergò datur qualitas infinitè intenſa.

Reſpondeo eſſe infinita in eſſe valoris, non verò in eſſe entis; ideſt, quantùm ad valorem, non tamen quantùm ad entitatem. Gratia enim Chriſti eſt quidem entitatis finitæ, attamen propter conjunctionem cum ſuppoſito Divino dignificatur infinitè, ſicuti & omnes Chriſti actiones. Sed de his ad Theologos.

Quantùm ad ſecundam tituli partem quæritur, utrùm

Digitized by Google

utrùm res naturales habeant terminos ſuæ magnitudinis, & parvitatis, infrà quos minui, & ultra quos augeri non poſſint. Ejuſmodi terminos vocant Philoſophi *maximum quodſic, & minimum quodſic*.

Reſpondeo in primis res naturales habere terminum parvitatis; Dari enim poteſt adeo parva quantitas, qua minorem nulla forma naturalis admittat. Cujus ratio eſt, tùm quia quęlibet forma exigit diſpoſitiones determinatas in materia, quam occupat, ut ſit apta ad exercendas operationes ſibi connaturales. Sed dari poſſet tàm parva quantitas, qua minor ſufficere non poſſet ad exercendas operationes alicujus formæ: ergò minorem pati non poſſet: Tùm quia videmus multa perire per nimiam diviſionem, ſicut dicit D. Th. in 4. diſt.12. q.1. art.2. de forma panis.

Quantùm verò ad viventia, dicendum eſt, ea non ſolùm habere terminos ſuæ parvitatis, ſed etiam magnitudinis, quos ubi attigere, ultrà creſcere non poſſunt. Id patet; tùm experientia, qua videmus communitèr viventia, ut homines, boves, plantas creſcere uſque ad certam quantitatem, quam ubi attigere, ceſſat incrementum; Tùm etiam ratione; Nàm viventia creſcunt per vim nutritivam, quæ paulatim langueſcit, donec totaliter deficiat juxta tempus à natura ſtatutum.

Dices: Crocodilus ſemper creſcit, ut dicit Ariſtoteles; ergò non habet terminum ſuæ magnitudinis.

Reſpondeo negando conſequentiam; habet enim terminum magnitudinis, ſicut, & alia viventia; Sed in illo idem eſt terminus magnitudinis, qui & vitæ; quod non contingit in aliis animantibus, niſi fortè in quibuſdam ſerpentibus, & mon-

Digitized by Google

& monſtris marinis, quæ etiam toto vitæ ſuæ decurſu augeri videntur.

Quantum ad non viventia, ut ſunt ignis, & aqua, in primis certum eſt ab extrinſeco ſaltem habere limites ſui augmenti. Tùm quia producuntur à cauſis, quarum virtus eſt determinata ad certam ſphæram; Tùm quia habent determinata loca ſuæ conſervationis, à quibus ſi exeant, diu conſervari non poſſunt: ſicut patet de igne elementari, qui pervenit ad certam ſphæram intra concavum lunæ, & convexum aeris, ultrà quam ſi procedat, diu non conſervatur, ſed in brevi conſumitur; Tùm demùm quia habent ſolùm certam materiam, quam poſſint occupare: v. g. omnia elementa habent materiam ſublunarem, ultrà quàm diffundi non poſſunt; Attamen ab extrinſeco nullos terminos magnitudinis habere videntur; quia cum creſcant per juxta poſitionem ſui ſimilis, ut aqua per appoſitionem alterius aquæ, ſicut in infinitum poſſet apponi aqua alteraquæ, ita quoque in infinitum aqua creſcere abſolutè poteſt. Undè quando D. Thomas dicit omnem formam habere determinatam quantitatem, loquitur de illa, quam actu habet, non verò de illa, quàm habere poteſt per appoſitionem ſui ſimilis.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO TERTIA.

De Tempore.

CIRCA tempus meritò præfari poſſumus, quod dicit Auguſtinus 11. Conf. cap. 14. *Quid eſt tempus, ſi nemo quærat à me ſcio, ſi quærenti explicare velim, neſcio*; licèt enim tempus nobis ſit notiſſimum, cum omnia, quæ agimus, tempore menſurentur, attamen propter minimam ſuam entitatem vix mente deprehendi poteſt, & explicari. Ut tamen aliqualem ejus notitiam tradamus, in primo articulo agemus de duratione in communi; In ſecundò de natura, diviſione, & modo exiſtendi temporis, quibus adjungemus tertium de modo incipiendi, & deſinendi rerum tùm ſucceſivarum; tùm permanentium.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De Duratione in communi.

CIrcà durationem tria occurunt explicanda; Primò quid ſit; Secundò quotuplex ſit; Tertiò quomodo diſtinguatur à re durante.

Dico primò: Duratio rectè definitur, Permanentia rei in eſſe. Definitio eſt communis, & per ſe nota; Nàm res cenſetur durare, quamdiù permanet in ſuo eſſe: ergò duratio nihil aliud eſt, quàm perſiſtentia, ſeu permanentia rei in eſſe.

Dico ſecundò; Duratio eſt triplex, ſcilicèt æternitas, ævum, & tempus. Explicatur concluſio ex D. Thoma 1. part. quæſt. 12. art. 5. Cum enim duratio ſit permanentia rerum in eſſe, tot ſunt durationes, quot modis aliquid permanere poteſt in eſſe: ſed tres ſunt modi permanendi in eſſe; ergò, & tres ſpecies durationis. Probatur minor: Rerum enim quædam ita permanent in eſſe, ut ſint omninò immutabiles in illo: ejuſmodi eſt Deus, qui de ſe dicit, *Ego Deus, & non mutor*: talis permanentia in eſſe omninò invariabili vocatur æternitas. Quædam verò habent eſſe perpetuò variabile, ut motus, & ſubſtantiæ corruptibiles, quę perpetuæ mutationi ſubjacent; talis duratio dicitur tempus. Quædam verò medium tenent: nec enim omninò invariabiles ſunt, nec omninò variabiles; ſed quantùm ad ſuum eſſe nullam patiuntur mutationem, quantùm verò ad operationes variantur, cujuſmodi ſunt Angeli, animæ rationales, & cœli; duratio talium rerum vocatur ævum.

Ex his colliges, definitionem iſtarum durationum;

Digitized by Google

num; Æternitas eſt duratio rei omninò invariabilis; undè dicitur à Theologis cum Boetio Interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. Tempus eſt duratio rei tam ſecundùm eſſe, quàm ſecundùm operari variabilis; cujuſmodi eſt motus, & illud, cujus eſſe ſubjicitur motui. Ævum eſt, duratio rei ſecundùm operari, vel ſecundùm alia accidentia variabilis, ſed invariabilis ſecundùm ſubſtantiam; cujuſmodi ſunt Angeli, & cœli, qui ſecundùm ſubſtantiam ſunt incorruptibiles, ſecundùm accidentia verò variantur.

Dico tertiò; Duratio in creatis diſtinguitur à re durante, ſaltèm modalitèr. Ita D. Thomas 1. part. quæſt. 10. art. 2. *Nulla*, inquit, *alia res præter Deum eſt ſua duratio*.

Probatur concluſio. Quod advenit rei creatæ, diſtinguitur ab illa, ſed duratio advenit creaturæ; ergò diſtinguitur ab illa. Probatur minor: Nàm duratio eſt permanentia in eſſe: ſed adventitium eſt creaturæ ut permaneat in eſſe, poteſt enim deſtrui; ergò duratio advenit creaturæ,

Confirmatur concluſio; præcipuè circa tempus, ipſum diſtingui à motu, cujus eſt duratio; Tùm authoritate: nàm Ariſtoteles 4. phyſ. text. 98. dicit, *quod tempus non eſt motus, ſed aliquid ejus*: & D. Thoma Op. 36. cap. 1. *Tempus*, inquit, *habet eſſe per motum ſicut accidens per ſubjectum*. Tùm etiam ratione D. Thomæ, & Ariſtotelis: nàm motus, & tempus differunt ſecundùm proprietates, ergò, & ſecundùm eſſentiam Conſequentia patet: Nàm proprietates notificant eſſentiam. Probatur antecedens: ſiquidem proprietas motus eſt, quod ſit velox vel tardus: at verò tempus nec tardum eſt, nec velox. Adde præterea, quod motus poſſunt eſſe

æqua-

æquales ſecundùm ſe, & inequales quantùm ad tempus: ut v. gr. ſi teſtudo, & equus conficiant unum ſtadium, motus utriuſque ſecundùm ſe erunt æquales, ſed ſecundùm tempus inæquales, quia equus conficit ſuum motum breviſſimo tempore, teſtudo verò longiſſimo.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid ſit, & quotuplex ſit tempus, & quomodo ſit præſens.

PRæcipua Phyſicorum cura eſt circa tempus: quia eſt duratio, & menſura motus, rerumque mobilium, omnia enim moventur in tempore, & quæcunque naſcuntur, aut intereunt, ab illo menſurantur, ut patet de vita noſtra, quam diebus, & annis menſuramus. Undè ut explicetur natura, diviſio, & exiſtentia, ſive præſentia temporis.

Dico I. Tempus rectè definitur; numerus, ſeu menſura motus ſecundùm prius, & poſterius.

Explicatur hæc definitio, quæ eſt Ariſtotelis: In primis tempus dicitur *menſura*, ſeu *numerus motus*, quia diuturnitas, vel brevitas exiſtentiæ motus menſuratur à tempore: Dicitur enim motus brevis, qui brevi tempore decurrit, longus verò, qui longo tempore perſeverat: Ariſtoteles autem uſus eſt nomine *numeri*, quia menſuramus motum numerando tempus, ut dicendo ipſum duraſſe per tres, aut quatuor horas. Additur *ſecundùm prius & poſterius*, quia cum motus eſſentialiter conſiſtat in ſucceſſione, ſeu fluxu continuo partium, quia prior præcedit, & poſterior ſuccedit, duratio numerabilis illius ſucceſſionis eſt ipſum tempus: meritò dicit Auguſtinus II. Conf.

Conf. cap. 14. *quod ſi nihil præteriret, non eſſet præteritum tempus; & ſi nihil adveniret, non eſſet futurum tempus: præſens autem, ſi ſemper eſſet præſens*, ideſt niſi ſucceſſivè flueret, *jam non eſſet tempus ſed æternitas*. Ex quo patet tempus eſſe durationem ſucceſſionis prioris, & poſterioris. Et ideò quando vel nullo modo, vel vix advertimus ſucceſſionem illam numerabilem, propter vehementem animi adhæſionem ad aliquid gratum, vel magni momenti, non ſentitur tempus, ſicut contingit hominibus profundè aliqua contemplantibus, vel occupatis circa gravia negotia, vel quorum animus voluptate allicitur; Immò etiam dormientes non advertunt tempus, ſed, ut inquit Ariſtoteles, conjungentes finem vigilię cum initio evigilationis, prætermittunt mediam ſucceſſionem, quam propter ſomnum non adverterunt; Exemplum hujus rei famoſum refert Hiſtoria Eccleſiaſtica de ſeptem Fratribus dormientibus, qui tempore perſecutionis in caverna incluſi, & divino quodam ſomno correpti, cum poſt aliquot ſæcula evigilaſſent, vix integram noctem ſe dormiſſe putabant.

Dico ſecundò. Plura ſunt tempora particularia, & intrinſeca, ſed unicum eſt tempus univerſale, & extrinſecum, à quo motus omnis menſuratur, ſcilicèt tempus circulationis primi mobili, quæ perficitur ſpatio vigintiquatuor horarum.

Probatur prima pars. Tempus enim eſt menſura, ſeu duratio numerabilis motus (ut enim advertit D. Thoma, non eſt numerus numerans, ſed numerus numeratus, vel numerabilis) Sed quilibet motus habet propriam durationem numerabilem: ergo dantur plura tempora particularia, ſicut, & plures motus. Unde D. Th. in 2. diſt.

diſt. 12. quæſt. 1. art. 5. ad 3. ait numerum cujuſlibet ſucceſſionis dici largè tempus, & Ariſtoteles, lib. 5. Phyſ. text. 132. *Tempus* inquit, *eſt numerus cujuſcunque motus*.

Probatur etiam ſecunda pars ratione D. Th. 1. p. q. 10. art. 5. Nàm omnia tempora particularia dependent à tempore primi mobilis tanquam à priori menſura, ſicut omnes motus dependent ab illius motu: ergò datur unicum tempus univerſale; ſcilicèt tempus primi mobilis, à quò cætera particularia menſurantur.

Confirmatur ex eodem D. Thoma. Tùm quia primum in unoquoque genere eſt menſura cæterorum: Sed tempus primi mobilis eſt primum, à quo dependent, & cauſantur durationes rerum inferiorum: ergò ab illo etiam menſurari debent. Tùm quia, quod eſt uniformius, debet eſſe menſura aliorum: ſed motus, & tempus primi mobilis ſunt maximè uniformia (primum enim mobile movetur ab oriente ad occaſum regulatiſſimè per ſpatium viginti quatuor horarum;) ergò debet eſſe menſura motuum, & temporum aliarum rerum. Undè talis duratio motus primi mobilis dicitur propriè tempus, quod diſtinctum in dies, menſes, & annos, menſurat ſparium vitæ noſtræ, & aliarum rerum corruptibilium; Ideòque in Apocalypſi dicitur, quod poſt judicium non erit ampliùs tempus, quia motus primi mobilis tunc ceſſabit.

Quæres: Utrùm tempus locum habeat etiam in ſubſtantiis ſpiritualibus, ut in Angelis?

Reſpondeo ex D. Thoma 1. p. quſt. 55. art. 4. Tempus quidem etiam aliquomodo reperiri in Angelis, ſed aliud à tempore noſtro. Cum enim tempus ſequatur motum, & motus rerum ſpiritualium ſit diverſæ rationis à motu rerum corpora-

poralium, neceſſe eſt etiam tempus in illis eſſe diverſum. Tempus autem illud Angelicum poteſt eſſe vel continuum, vel diſcretum; Angelus enim moveri poteſt & motu continuo, ut quando continuè movet aliquod corpus, tunc enim ſucceſſivè, & continuè mutat locum, ſicque movetur: vel motu diſcreto, ut quando ab una cogitatione vel operatione procedit ad aliam ſucceſſio enim iſtarum operationum facit aliquod tempus ſpirituale, non quidem continuum, ſed diſtinctum: eo quod cogitationes, & operationes ſibi ſuccedentes non ſunt invicem continuæ, ſed diſcretæ. Non enim una operatio aliquo vinculo communi colligatur alteri, ſicut partes quantitatis corporeæ. Ex hoc intelligitur, id quod dicit Auguſtinus, *Deum movere creaturam ſpiritualem per tempus*: quod accipiendum eſt, non de tempore noſtro, ſed de alio diverſæ rationis conſiſtenti in ſucceſſione operationum, vel etiam motus localis Angelorum.

Dico tertiò. Tempus non eſt præſens, & exiſtens ratione partis, ſed ſolùm ratione inſtantis, quod idem proportionalitèr dicendum eſt de aliis rebus ſucceſſivis. *Ita expreſsè D. Thomas, & Ariſtoteles citandi*. Pro intelligentia hujus ſubtiliſſimæ concluſionis.

Nota, in tempore, ſicuti & in omni continuo duo eſſe, ſcilicèt partes, & indiviſibilia. Pro nunc non diſputo, utrùm ſint res diſtinctæ, vel eadem res diverſimodè ſumpta. Hæc autem indiviſibilia temporis vocantur *inſtantia*, ſicut indiviſibilia lineæ vocantur *puncta*, de quibus omnibus, redibit ſermo quæſtione quinta. Hoc poſito quidam dicunt tempus eſt præſens, & exiſtens ratione partium; ita Durandus, & quidam Recentiores. E contra verò Thomiſtæ

Digitized by Google

cum pluribus aliis tenent nihil de tempore eſſe per ſe, & rigorosè præſens niſi inſtans indiviſibile, quod vocatur *nunc*, juxtà illud Senecæ; *In puncto fugientis temporis pendemus*; Attamen ſicut Mathematici dicunt quod globus impoſitum plano tangit quidem illud, non tamen in aliqua parte, ſed ſolum ratione puncti indiviſibilis; ita quoque nos dicimus, tempus eſſe quidem præſens, & exiſtens, non tamen ratione aliquarum partium, ſed ſolùm ratione ipſius *nunc* indiviſibilis, quod copulando præteritum cum futuro, ſeu partem priorem cum immediatè ſequenti, conſtituit ſucceſſionem continuam, ſicque facit exiſtere tempus.

Probatur autem concluſio ſic explicata primò authoritate Ariſtotelis 5. Phyſic. tex. 105. dicentis, *Nihil eſt temporis*, *niſi nunc*, *quod eſt indiviſibile*, & poſtea dicit partes temporis eſſe præſentes inquantùm terminantur, & incipiunt per nunc indiviſibile, Idem dicit, & probat D. Th. 1. p. q. 46. art. 3. ad. & Op. 44. cap. 1. &c.

Probatur ſecundò ratione D. Thomæ; Nullum ſucceſſivum poteſt eſſe præſens, & exiſtens per partem, ſed ſolùm per aliquid indiviſibile ſui: Atqui tempus eſt ſucceſſivum, ut patet; ergò non eſt præſens, & exiſtens niſi per indiviſibile, ſeu per inſtans, Major probatur: Implicat ens ſucceſſivum habere plures partes ſimul: Sed ſi eſſet præſens, & exiſtens per partem, haberet plures partes ſimul: ergò non poteſt eſſe præſens, & exiſtens per partem. Major certa eſt: Ens enim ſucceſſivum eſſentialitèr conſiſtit in ſucceſſione partium, quarum una fluit poſt aliam, undè ſimultas partium capitalitèr illi repugnat: Minor verò probatur: Nàm quælibet pars entis ſucceſſivi, quantumvis minima, componi-

Digitized by Google

ponitur ex aliis partibus, & eſt diviſibilis in illas, ut infrà oſtendetur de omni continuo tam permanente, quàm ſucceſſivo: ergò ſi ens ſucceſſivum haberet aliquam partem præſentem ratione ſui, plures etiam ſimul haberet præſentes, ex quibus talis ſucceſſio componeretur.

Dicere autem, quod pars temporis eſt quidem præſens, non tamen ſecundùm ſe totam, ſed ſecundùm aliquid ſui minimum, & minimum in infinitum, eſt ſolùm diferre in verbis à concluſione. Si enim illud minimum, & minimum non ſit pars, ſolum poteſt eſſe aliquid indiviſibile paitis: ſi autem ſit pars, reſurgit adhuc ratio: cum enim omnis pars ſit diviſibilis in alias; neceſſe eſt illam partem quantumvis minimam componi ex aliis, quæ proindè ſimul exiſtent, ſi illa pars, in qua ſunt, ſit exiſtens ratione ſui.

Probatur tertiò ex definitione temporis: Tempus enim eſt menſura prioris, & poſterioris, ſeu ſucceſſionis partium motus: Sed in præſenti non eſt prius, & poſterius; ergò in præſenti non eſt tempus, ſaltem ratione ſui, ſed ſolùm ratione inſtantis, quo pars prior copulatur cum ſequenti.

Et ſi dicas hanc rationem nimis probare, ſcilicèt partes temporis nunquam exiſtere, quia non poſſunt eſſe in præſenti, utpotè indiviſibili.

Reſpondeo partem præteritam, & ſequentem non poſſe quidem eſſe in præſenti tanquàm contentas in illo, benè tamen tanquam copulatas per illud: inquantùm inſtans præſens terminando partes præteritas, & incipiendo partes futuras conjungit utraſque, & facit eſſe continuas, non quidem continuitate permanenti, ſed continuitate ſucceſſiva; quæ in hoc conſiſtit, non quidem ut unum ſit cum alio, ſed ut unum immediatè ſuccedat alteri.

Digitized by Google

Probatur quartò ratione facillima. Nihil eſt per ſe præſens niſi *nunc*: ſed *nunc* non eſt pars temporis, ſed aliquid ſolùm indiviſibile ipſius: ergò tempus non eſt præſens ratione alicujus partis, ſed ſolùm ratione indiviſibilis. Major eſt Ariſtotelis, & per ſe patet; Nàm *ante*, & *poſt* non ſunt præſentia; ergò ſolùm *nunc* eſt præſens per ſe. Minor verò evidenter probatur. Siquidem *nunc* non eſt diviſibile in priùs & poſterius, ut de ſe patet, ergò in genere ſucceſſivorum eſt aliquid indiviſibile. Probatur conſequentia; quia diviſio ſucceſſivorum eſt in prius, & poſterius. Hæ rationes efficaciſſimæ planè convincunt nihil tempori eſſe per ſe præſens, & exiſtens, niſi *nunc* indiviſibile.

Dices, quomodo fieri poteſt, ut *nunc* reddat tempus exiſtens, & præſens, niſi ſit pars temporis?

Reſpondeo, quia tempus conſiſtit influxu prioris, & poſterioris, ut patet ex ejus definitione: undè quia *nunc* copulat partem priorem cum poſteriori, terminando priorem, & inchoando ſequentem, ideò facit exiſtere tempus, ſicuti unio quia conjungit annulum cum annulo, facit exiſtere catenam. Aliam profundiorem explicationem ſæpè inſinuat D. Thom. dicendo, quod *nunc* duplicitèr poteſt ſumi, ſcilicèt ut ſtans invariabilitèr, & ut fluens variabilitèr: *nunc* ſtans invariabilitèr conſtituit æternitatem, quid eſt enim æternitas, niſi *nunc* ſeu præſens ſtans invariabiliter; *nunc* verò fluens variabilitèr conſtituit tempus; Undè ait D. Thomas, quod in toto tempore eſt unicum *nunc*, ſecundùm entitatem, varium verò ſecundùm modum, inquantùm eſt hic, & ibi: undè ſicuti in motu locali eſt unicum mobile, quod dum variatur conſtituit mo-

motum; ita pariter, dum variatur *nunc*, conſtituit ſucceſſionem, & tempus.

PARAGRAPHUS UNICUS.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò; Tempus habet partes præteritas, & futuras; ergò, & præſentes. Probatur conſequentia; Nàm præteritum eſt, quod fuit præſens: ergò ſi pars temporis eſt præterita, aliquando fuit præſens.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: ergò tempus habet partes præſentes vel ratione ſui, vel ratione alicujus indiviſibilis, concedo; ratione ſui, nego Non enim diffitemur tempus habere partes præſentes, ſed dicimus hanc præſentiam ipſi ſolùm competere ratione alicujus indiviſibilis, quo invicem copulantur; itaut illa pars temporis dicatur præſens, quæ immediatè terminatur, vel incipit per inſtans præſens.

Inſtabis: Partes temporis ſunt etiam præteritæ ratione ſui; ergò etiam fuerunt præſentes ratione ſui. Probatur conſequentia. Nam eo modo dicitur aliquid præteritùm, quo fuit præſens.

Reſpondeo negando conſequentiam; & paritatem. Diſparitas eſt, quia in præterito datur ſucceſſiva latitudo; ut dum recogito annum præteritum, recogito etiam quamdam ſucceſſivam latitudinem, quæ effluxit, & in qua diſtinguo plures, ut plures dies, & horas ſibi ſuccedentes, ſed in præſenti nulla datur latitudo ſucceſſiva; Undè in preſenti ſolùm poteſt eſſe aliquid indiviſibile temporis, quamvis in præterito, & futuro ſint parte indiviſibiles.

Urgebis; Nihil tranſit ab extremo ad extremum niſi per medium, ac proindè niſi fuerit in medio: Sed præſens mediat inter præteritum, & futurum; ergò partes temporis ut tranſeant de futuro in præteritum, debent fuiſſe in præſenti, & proindè tempus eſt præſens ratione partium.

Reſpondeo diſtinguendo majorem; Nihil tranſit ab extremo ad extremum niſi per medium ſi medium ſit capax continendi illud, quod tranſit, concedo: ſi ſit incapax, nego. Et ad minorem: Præſens mediat inter præteritum & futurum, & eſt capax continendi partes temporis, nego: & eſt incapax illas continendi, concedo. Ratio diſtinctionis eſt, quia omnis pars temporis eſt tempus, ac proindè diviſibilis in prius, & poſterius: præſens autem eſt aliquid indiviſibile in prius, & poſterius: undè pars temporis non poteſt eſſe in præſentia, ut exiſtens per ſe in illo; ſed ſolùm ut terminata, vel inchoata per illud. Undè in præſenti nihil eſt temporis niſi terminus partium, qui vocatur inſtans.

Illuſtrantur magis hæc omnia. Nàm eodem modo proportionalitèr loquendum eſt de quantitate ſucceſſiva, qualis eſt tempus, ſicut loquimur de quantitate permanentis: undè ſicuti impoſſibile eſt quantitatem permanentem exiſtere ſecundùm ullam ſui partem in indiviſibili v. g. in puncto, ita impoſſibile eſt tempus exiſtere ſecundùm ſuas partes in aliquo indiviſibili, præſens autem eſt aliquid indiviſibile in genere ſucceſſivorum; undè impoſſibile eſt ullam temporis partem ratione ſui eſſe in præſenti: Attamen ſicut quantitas poteſt tranſire ab uno extremo ad aliud, abſque eò quod fuerit in punctis mediis ſecundùm ullam ſui partem; quia puncta ſunt incapacia continendi partes; ita tempus poteſt tranſire à

ſire à futuro in præteritum abſque eo, quod fuerit in præſenti ſecundum ullam ſui partem, ut contentam in illo.

Objicies ſecundò & ſimul inſtabis contra præcedentia; Poſt inſtans præſens vel immediatè ſequetur pars, vel aliud inſtans: Si ſequatur aliud inſtans: ergò duo inſtantia ſibi immediatè ſuccedent, ſicque tempus componetur ex ſolis inſtantibus: ſi verò ſequatur pars; ergò tranſacto inſtanti immediatè præſens erit pars.

Reſpondeo primò poſt inſtans ſequi partem, non quidem permanenter exiſtentem, ſed fluenter tranſeuntem, cum & ipſa ſit tempus, de cujus ratione eſt, quod fluat; & cui capitalitèr opponitur, quod ſtet. Undè in illa parte etiam immediatè ſequenti, poſt inſtans nihil poteſt eſſe ut præſens, & exiſtens, niſi aliquid indiviſibile.

Reſpondent ſecundò Complutenſes, ſequi poſt inſtans partem non quidem in ratione præſentis, ſed in ratione præteritæ; quia cum non detur medium ſucceſſivum inter præteritum, & futurum, neceſſe eſt, ut ubi primò pars deſinit eſſe futura, fiat præterita. Sicut ſi linea flueret ſub puncto, partes poſteriores iſti puncto fierent immediatè illi priores, abſque eo quod unquam poſſit deſignari aliqua pars, quæ neque ſit prior, neque poſterior puncto, ſed immediatè ipſi correſpondeat.

Reſpondent tertiò alii ſequi partem indeterminatam, minorem, & minorem in infinitum: Sed illa ſolutio magis fugere videtur difficultatem, quam explicare.

Objicies 3. Si tempus exiſteret per inſtans, ſequeretur quòd pars prior, & poſterior exiſterent ſimul: Hoc eſt impoſſibile; ergò. Probatur

major: Nam exiſterent in eodem *nunc*, quod continuat partem immediatè præteritam cum futura.

Reſpondeo negando majorem: Ad probationem diſtinguo: Pars prior, & poſterior exiſterent in eodem *nnnc*, æqualiter afficiente utramque, nego: diverſimodè afficiente utramque, concedo. Licèt enim ſit idem *nunc*, conjungens priorem partem cum poſteriori, attamen diverſimodè illas afficit; Nàm priorem terminat, & poſteriorem inchoat: inchoari autem, & terminari ab eodem *nunc*, non eſt ſimul exiſtere, ſed ſibi ſuccedere.

Objicies quartò: Tempus non poteſt exiſtere per exiſtentiam indiviſibilem: Sed exiſtentia inſtantis eſt indiviſibilis; ergò non poteſt exiſtere per inſtans.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Exiſtentia inſtantis eſt indiviſibilis, formalitèr, & in ſe, concedo; virtualiter, & in ratione termini, nego: Quamvis enim inſtans ſit indiviſibile, eſt tamen terminus, & copula entis diviſibilis, cujus conjungendo partes facit ſucceſſionem diviſibilem, quæ vocatur tempus.

Inſtabis: Atqui etiam tempus nullo modo exiſtere poteſt per illud inſtans, ergò Probatur ſubſumptum. Nihil exiſtit per ſuum non eſſe; Sed inſtans eſt non eſſe temporis: ergò tempus non poteſt exiſtere per inſtans. Major videtur certa. Minor verò probatur; Nàm ideò dicetur infra tempus incipere per ſui non eſſe, quia incipit per inſtans: ergò inſtans eſt non eſſe temporis.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Inſtans eſt non eſſe temporis quantùm ad ipſam eſſentiam, concedo; quantùm ad exiſtentiam, nego; Licèt

Licèt enim eſſentia temporis non ſalvetur in inſtanti ut conſtituta in illo, ideòque inſtans dicatur non eſſe temporis: attamen nullam poteſt habere exiſtentiam in præſenti, niſi per illud inſtans, inquantùm ab illo terminatur, & inchoatur. Ideſt, de illa eſſentia nihil poſſimus habere ſtans, & præſens, niſi *nunc* indiviſibile. Undè meritò Euſebius l. 11. de præp. Eva. c. 8. Probat Platonis ſententiam, dicentis, *duo eſſe quorum aliud ſemper eſt, & nunquam fit, ſcilicèt Deus; alterum nunquam eſt, & ſemper fit, ſcilicet tempus.* Eſſe enim propriè non convenit niſi præſentibus; undè quia nihil eſt per ſe ſtans de eſſentia temporis; ideò dicitur, quod nunquam eſt; Sed quia continuò fluit, & cauſatur ex ſucceſſione partium motus, perpetua ſerie labentium, ideò dicitur ſemper fieri.

ARTICULUS TERTIUS.

De modo incipiendi, & deſinendi rerum tùm ſucceſſivarum, tùm permanentium.

POſtquàm egimus de duratione, nunc paucis explicandi ſunt ipſi termini durationis, qui ſolent vocari initium, & finis rerum; Et quia res quarum duratio incipit, & deſinit, vel ſunt ſucceſſivæ, ideſt, quarum eſſentia in ſucceſſione conſiſtit, ut motus, & tempus, vel permanentes, ideſt, quarum eſſentia eſt tota ſimul, ut homo, & lapis, ideò de utriſque procedit difficultas: pro qua.

Notandum eſt primò, terminos durationis debere eſſe indiviſibiles; Cum enim omne, quod eſt diviſibiliter extenſum, habeat initium, & finem, ſi termini eſſent diviſibiles egerent

etiam aliis terminis, & ſic in infinitum; donec perveniretur ad aliquid indiviſibile terminans: Undè neceſſe eſt terminos durationis rerum eſſe inſtantia indiviſibilia: ſicuti termini, qui incipiunt, & finiunt lineam, ſunt puncta indiviſibilia.

Notandum ſecundò: Inſtantia illa terminativa dupliciter ſe habere poſſe ad rem incipientem, & deſinentem, ſcilicèt intrinſecè, & extrinſecè. Si enim illa res, quæ incipit, aut deſinit, ſalvetur ſecundùm ſuam eſſentiam in inſtantibus illis terminativis, talia inſtantia dicuntur intrinſeca, eò quod res ſit intrà *ipſa*; Si verò talis res non ſit ſecundùm eſſentiam ſuam in inſtanti terminante ejus inceptionem, aut deſitionem; ſed ſolùm fuerit toto tempore præcedenti illud inſtans, vel futura ſit toto tempore ſequenti, tunc tale inſtans ſivè inceptionis, ſive deſitionis, vocatur extrinſecum, eò quod ita incipiat, vel finiat rem, ut tamen res non ſit in illo, ſed ſolùm in toto tempore, vel ſequenti, ſi res incipiat: vel præcedenti, ſi res deſinat.

Notandum tertiò, Philoſophos quatuor vocabulis deſignaſſe illa inſtantia tàm intrinſeca, quàm extrinſeca inceptionis, & deſitionis rerum; Nàm inſtans inceptionis intrinſecum, id eſt, in quo jam res primò eſt, vocant *primum eſſe rei*, eò quod res ſit in illo primò, cum non eſſet toto tempore præcedenti; Inſtans inceptionis extrinſecum vocant *ultimum non eſſe rei*, eò quod res in illo quidem nondùm ſit, ſed toto tempore ſequenti poſt illud inſtans futura ſit: ideòque meritò illud inſtans vocetur ultimum non eſſe rei; Inſtans verò deſitionis intrinſecum vocant *ultimum eſſe rei*, quia in illo quidem res

adhuc

Digitized by Google

adhuc ſalvatur, ſed ultimò, itaut toto tempore ſequenti ampliùs non exiſtat: Inſtans verò deſitionis extrinſecum vocant *primum non eſſe rei*, quia res in illo quidem ampliùs non eſt, ſed primò, quia toto tempore præcedenti illud inſtans exiſtebat, ſed in illo inſtanti includit primò non exiſtere. Undè illa dicuntur incipere per primum eſſe ſui; quæ jam ſunt in inſtanti ſuæ inceptionis; illà dicuntur incipere per ultimum ſui non eſſe, quæ quidem non ſunt in iſtanti inceptionis, ſed tota duratione ſequenti erunt: illa dicuntur deſinere per ultimum ſui eſſe, quæ ſunt in inſtanti finienti ſuam durationem, ſed poſt illud ampliùs non exiſtent: illa demùm dicuntur deſinere per primum ſui non eſſe, quæ non ſunt ampliùs in inſtanti finiente ſuam durationem, cum toto ſpatio præcedenti fuerint. His ita explicatis, in quibus tota difficultas conſiſtit, facillimè intelligetur quidquid dici ſolet de modo incipiendi, & deſinendi rerum.

Inprimis enim entia ſucceſſiva, qualia ſunt motus, & tempus neceſſe eſt incipere, & deſinere per inſtans extrinſecum, ideſt, incipere per ultimum ſui non eſſe, & deſinere per primum ſui non eſſe. Ratio aperta eſt nàm in inſtanti ſuæ inceptionis, & deſitionis eorum eſſentia ſalvari nequit: ſiquidem eſſentialitèr conſiſtunt in ſucceſſione; ſucceſſio autem non poteſt ſalvari in aliquo inſtanti, ut de ſe patet, quia in inſtanti non eſt priùs, & poſterius: ergò neceſſe eſt, ut incipiant, & deſinant per inſtans extrinſecum: Undè tempus, & motus dicuntur incipere in eo inſtanti, in quo nondùm ſunt ſed toto ſpatio ſequenti erunt, ideſt, per ultimum ſui non eſſe: deſinunt autem in iſtanti, in quo amplius non ſunt, cum tamen tota duratione præcedenti

fuerint, ideſt, per primum ſui non eſſe.

Subſtantiæ verò, & alia entia permanentia incipiunt per inſtans intrinſecum, ideſt per primum ſui eſſe: quia cum habeant eſſentiam indiviſibilem, tota ſalvatur in primo inſtanti ſuæ productionis, ideòque dicuntur incipere per primum ſui eſſe, ideſt, per illud inſtans, in quo primò ſunt, cum anteà non fuerint; attamen corrumpuntur per primum ſui non eſſe, ſive per inſtans extrinſecum; quia una ſubſtantia non corrumpitur per ſe, ſed per accidens ad inchoationem alterius, juxta illud; *corruptio unius eſt generatio alterius*. Undè cum ſubſtantia genita incipiat per primum ſui eſſe, ſeu per inſtans ſibi intrinſecum, ideſt, in quo primò eſt; tale inſtans, quod etiam finit ſubſtantiam præcedentem, non poteſt eſſe illi intrinſecum, id eſt, ſubſtantia, quæ corrumpitur non poteſt eſſe in illo eodem inſtanti, in quo primò eſt ſubſtantia genita, alias duæ formæ ſubſtantiales eſſent ſimul in eadem materia; ergò neceſſe eſt, ut ſubſtantia corrumpenda deſinat in tempore præcedenti illud inſtans finiens ejus durationem, & inchoans durationem alterius de novo genitæ. Et ſi dicas: Vetus forma ſubſtantialis deſinere potuit in inſtanti immediatè præcedenti illud inſtans, in quo nova gignitur. Contrà eſt. Nàm duo inſtantia non ſunt ſibi immediata; alias tempus componeretur ex ſolis inſtantibus: ergò neceſſe eſt, ut forma corrupta deſinat in tempore præcedenti inſtans generationis novæ formæ, proindèque terminetur per aliquod inſtans, in quo primò non ſit: Attamen ſi forma ſubſtantialis per ſe deſineret, & non ad generationem novæ, nihil prohiberet, eam deſinere in inſtanti ſibi intrinſeco, ſeu per ultimum ſui eſſe, quia cum con-

Digitized by Google

conſiſtat in indiviſibili, poſſet tota ejus eſſentia perſiſtere in inſtanti terminativo, & poſt illud ampliùs non eſſe.

Quæ diximus de modo incipiendi, & deſinendi rerum permanentium naturalium, ſolent applicari proportionalitèr à Theologis inceptioni, & deſitioni rerum ſupernaturalium, ut gratiæ, & Corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

QUÆSTIO QUARTA.

De Loco, & Vacuo.

CUm omnis motus naturalis fiat in aliquo loco ideò poſtquàm egimus de tempore, quod eſt menſura motus, conſequenter agendum eſt de loco, in quo exercetur motus. Quia verò vacuum videtur eſſe locus non repletus aliquo corpore, ideò agendo de loco, agemus etiam de vacuo. Circa locum autem, & vacuum tria quæruntur. Primò quid ſit locus: Secundò utrùm duo corpora poſſint ſimul eſſe in uno loco, & unum corpus in duobus locis: Tertiò utrùm dari poſſit vacuum in rebus naturalibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Locus.

COmmunis animi notio eſt dari locum, & ipſi duo munera competere; Primum eſt continere locatum, ſecundum eſt repleri à locato Locus autem naturalis addit tertium munus, ſcilicèt conſervare locatum. Quidam ergò attendeu-

dentes ad ſecundùm munus dicebant locum nihil aliud eſſe quàm ſpatium ipſum, quod repletur à locato; Ejuſmodi autem ſpatium putabant eſſe aliquid reale, ſcilicèt aliquam ſubſtantiam: Undè Epicurus, & Democritus dicebant omnia componi ex pleno, & vacuo, addentes vacuum eſſe aliquam ſubſtantiam capacem repleri à pleno; ſicut proportionalitèr Peripatetici dicunt materiam eſſe potentiam ſubſtantialem capacem actuari à forma. Ratio autem, propter quam putabant ſpatium illud eſſe aliquid reale, erat, quia omne quod menſuratur ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem, debet eſſe aliquid reale: Sed ſpatium illud etiam vacuum menſuratur ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ergò eſt aliquid reale. Renatus Deſcartes eadem ratione perſuaſus addit ejuſmodi ſpatium, quantumvis fingatur vacuum, eſſe non ſolùm ſubſtantiam, ſed etiam verum corpus: quia cum extenſio ſit conſtitutivum ſubſtantiæ corporeæ, ubi apprehenditur extenſio, apprehenditur, & corpus.

Hæc tamen ratio nulla eſt; Nàm ſicut oculus non ſolùm videt lumen, ſed etiam umbras obſervat, quamvis umbra non ſit niſi privatio lucis ita quoque non ſolùm quantitatem poſitivam, ſed etiam privationem quantitatis menſuramus, quamvis illa privatio non ſit aliquid reale: Undè recogitamus etiam aliquod tempus fluxiſſe ante creationem mundi, dum dicimus mundum potuiſſe creari mille annis antequam creatus fuerit & tamen conſtat ſpatium illud temporis imaginati ante creationem mundi non eſſe aliquid reale, ſed meram carentiam temporis poſſibilis. Undè quamvis menſuremus ſpatia illa vacua, v. g. quæ ſunt extra cœlum, & aliquam extenſionem

nem apprehendamus ultra fines totius univerſi: non ſequitur hanc extenſionem, & illa ſpatia eſſe quid reale, ſed ſolùm quamdam carentiam quantitatis corporeæ, quàm Deus creare poſſet ultra fines illius: quàm creavit, quæ carentia quantitatis nullam relationem habet niſi in imaginatione, quæ aliquando apprehendit negationes entis per modum entis, ut mortem, umbras, noctem, &c. Undè ſpatia illa dicuntur imaginaria. Rejecta ergò illa opinione, ut explicetur natura loci.

Dico; Locus eſt ſuperficies concava corporis ambientis. Ita definit Ariſtoteles addens ejuſmodi ſuperficiem debere eſſe immobilem, immobilitas tamen non videtur eſſe de eſſentia loci, ſed quædam veluti proprietas ipſius.

Explicatur hæc definitio: Nam *ſuperficies* gerit vices generis, cæteræ verò particulæ ſunt quaſi differentia; Non enim omnis ſuperficies eſt locus, ſed ſolùm illa, quæ in ſuæ concavitatis capacitate continet aliud corpus, ut ſuperficies aeris, quæ circumſcribit, & immediatè continet corpus meum, dicitur locus meus. Concluſio ſic explicata.

Probatur; Nàm ſuperficiei ambienti conveniunt omnia munera loci; ergò verè eſt locus. Probatur antecedens. Munera enim loci ſunt, continere corpus, repleri ab illo, & illud conſervare, ſi ſit locus naturalis Sed omnia iſta munera competunt ſuperficiei corporis ambientis; ergò. Probatur minor: In primis enim ſuperficies ambiens continet locatum, ut ſuperficies concava dolii continet vinum, deindè repletur à locato; nam intrà latera ſuperficiei ambientis eſt quædam capacitas, ſeu intervallum privativum, quod repletur per corpus locatum, ut per vinum repletur

tur capacitas laterum dolii, & tandem talis ſuperficies, ſi ſit ſuperficies corporis amici conſervat ipſum locatum: undè omnia corpora naturalitèr quærunt contineri intrà ſuperficiem corporis amici, ut foveantur, & conſerventur. Sic aquæ ſuperficies concava conſervat piſces, quia eſt amica piſcibus, qui ſi ponantur in ſuperficie concava aeris, langueſcunt, & tandem moriuntur: Similitèr vena eſt locus naturalis ſanguinis, è cujus concavitate ſi erumpat, ſtatim corrumpitur, & generat morbos.

Ex his colligitur: locum naturalem eſſe idem cum loco in communi, & ſolùm ſuperaddere, quod conſervet locatum, Omnis enim ſuperficies corporis ambientis eſt locus; ſi tamen ſit corporis inimici, dicitur locus violentus, præter naturalis, ut ſuperficies flammæ reſpectu animalium: Si verò ſit ſuperficies corporis amici dicitur locus naturalis, ut ſuperficies aeris reſpectu animalium terreſtrium, & ſuperficies flammæ reſpectu Salamandræ: ſi tamen verum ſit, quod connaturalitèr vivat in flammis, veroſimiliùs enim eſt nullum animal poſſe vivere in igne propter nimiam ejus activitatem, attamen Salamandra durat inter ignes per aliquod tempus, quia ingenti ſua frigiditate enervat primos flammarum impetus: ſicque illæſa per aliquod tempus perſeverat.

Objicies primò; locus eſt immobilis, ſed ſuperficies corporis ambientis non eſt immobilis: ergò non eſt locus. Probatur minor; Nàm illa ſuperficies millies mutari poteſt; ut ſuperficies aeris turrim ambientis, flante vento, perpetuò mutatur; ergò talis ſuperficies non eſt immobilis.

Reſpondeo conceſſa majori, negando minorem:

norem: Ad probationem, diſtinguo antecedens; Superficies ambiens mutatur, materialitèr, & in ratione entis, concedo; formalitèr, & in ratione continentis, nego; explicatur: Superficies ambiens poteſt duplicitèr ſumi: primò materialitèr, inquantùm eſt ſuperficies talis corporis, ut aquæ, vel aeris: ſic autem ſumpta ſine dubio non eſt immobilis. Secundò poteſt ſumi formalitèr, & in ratione continentis, inquantùm ſcilicèt dicit talem ſitum in orbe: talem diſtantiam a polis, centro, & ſuperficie mundi, talem capacitatem intra ſua latera, &c. Dicimus ergò ſuperficiem ſic ſumptam eſſe immobilem: nàm dum flante vento ſuperficies aeris, mutatur, illa, quæ de novò advenit, tranſit in vices præcedentis, inquantùm dicit eandem diſtantiam à centro, polis, & ſuperficie mundi, eandemque habet capacitatem intra ſua latera, quam habebat præcedens: undè ſemper in ratione locantis eſt eadem ſuperficies, quamvis mutetur in ratione entis: Sicut ſemper manet idem fons idem fluvius, idem mare, idem vortex, quamvis aquæ, ex quibus conſtat, continuò varientur: quia variantur ſolùm materialitèr, & manent idem formalitèr, inquantùm id, quod ſuccedit, tranſit in vices præexiſtentis.

Objicies ſecundò; Omne corpus eſt in loco: ſed non omne corpus eſt intra ſuperficiem corporis ambientis, ut patet de cœlo empyreo, quod non ambitur ab alio ſuperiori corpore: ergò locus non eſt ſuperficies corporis ambientis.

Reſpondent primò aliqui negando majorem: Sicut enim primum alterans non alteratur, ita primum locans non locatur: Empyreum autem eſt primum locans: Sed miſſa iſta ſolutione.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo majorem: Om-

Omne corpus eſt in loco, extrinſeco & propriè dicto, nego, intrinſeco, concedo; locus extrinſecus, & propriè dictus eſt ſuperficies corporis continentis, cui omnia loci munera competunt, ut ſupra oſtenſum eſt: At verò ubi nullum eſt corpus continens, ipſa ſuperficies ultima corporis locati gerit vicem loci inquantum intrà latera ſua relinquit aliquod intervallum à quantitate corporis, cujus eſt ſuperficies repletum: Undè talis ſuperficies ipſius corporis locati poteſt dici locus intrinſecus. Et hoc modo Empyreum dici poteſt in loco intrinſeco, inquantùm continetur intra capacitatem ſuæ extimæ, ſeu convexæ ſuperficiei.

Objicies 3. Dum corpus movetur in ſpatiis, quæ imaginamur ſupra cœlos v. gr. dum Corpus Chriſti ambulat ſupra ſuperficiem ultimi cœli, per motum ſuum localem debet acquirere novum locum; nàm omnis motus localis terminatur ad novum locum: ſed non poteſt acquirere niſi purè novum ſpatium imaginarium; ergò ipſum ſpatium imaginarium eſt verus locus.

Probatur minor: Nàm tale corpus non acquirit novam ſuperficiem continentem, neque propriam, neque alienam, ergò ſolum ſpatium imaginarium acquirit.

Reſpondeo hoc argumentum tangere gravem difficultatem, quid ſcilicèt acquirat corpus, dum movetur in ſpatiis imaginariis. Undè pro ejus ſolutione, & illius difficultatis explicatione conceſſa majori, nego abſolutè minorem, Ad probationem diſtinguo; Tale corpus dum movetur, non acquirit novam ſuperficiem propriam, materialitèr, & in ratione entis, concedo: formalitèr, & in ratione locantis, negò: Nàm dum tale corpus movetur, ejus ſuperficies, quàm vocamus

camus

eamus locum intrinſecum, licèt entitativè maneat eadem, variatur tamen formalitèr, & in ratione locantis. Pro cujus intelligentia notandum eſt quod ſuperficies ſive propria, ſive aliena non eſt locus, niſi quatenùs dicit talem diſtantiam à polis, centro, & ſuperficie mundi: Undè ſi variet talem diſtantiam, formalitèr variatur in ratione loci, fitque novus locus; Patet autem, quod corpus v. g. Chriſti dum ambulat in ſpatiis imaginariis demutat diſtantiam à centro poli, & ſuperficie mundi; undè variatur locus ejus formalitèr in ratione loci per talem ambulationem.

Inſtabis: Si ſolùm daretur unicum corpus, v. gr. Corpus Chriſti, & deſtrueretur totus orbis, tale corpus poſſet moveri, & acquirere novum locum: ſed tunc non acquireret novam diſtantiam à centro; polis, & ſuperficie mundi, qui nullus exiſteret; ergo talis diſtantia nihil facit ad locum, ſed relinquitur purum ſpatium imaginarium eſſe propriè locum.

Reſpondeo, in pręfato caſu non mutari diſtantiam ad polos, ſuperficiem, & centrum mundi actualitèr exiſtentis, ſed ſolùm poſſibilis in tali ſitu, in quo nunc eſt: & hoc ſufficit, ut locus talis corporis variaretur: Cujus ratio eſt, quia locus conſtituitur formaliter in ratione loci per relationem diſtantiæ ad alia loca, & polos, centrum, ac ſuperficiem alicujus corporis, per relationem, inquam, non quidem prædicamentalem, ſed tranſcendentalem. Relatio autem tranſcendentalis ſalvatur, & ſpecificatur à termino etiam poſſibili. Undè ut ſuperficies Corporis Chriſti diceretur mutari in ratione loci per motum localem, ſufficeret ipſam per talem motum ita modificari, ut diceret novam diſtantiam ad mun-

mundum, polos, ſuperficiem, & centrum, ſi mundus, de novo produceretur cum ſitu, & diſpoſitione, in qua nunc eſt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm duo corpora poſſint eſſe in eodem loco, & idem corpus in duobus locis.

UTraque quæſtio procedit de corpore localitèr extenſo; ſi enim auferatur extenſio localis vel corpus habeat quamdam præſentiam localitèr inextenſam, ex Miſterio Euchariſtiæ patet, quod tunc idem corpus poterit eſſe in diverſis locis, & duæ quantitates in eodem loco; Corpus enim Chriſti eſt in pluribus hoſtiis per præſentiam Sacramentalem, quæ eſt indiviſibilis, & localitèr inextenſa, ejuſque quantitas eſt in eodem loco cum quantitate panis. Undè ſolùm difficultas eſt de corpore localitèr extenſo, an ſcilicet duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco ſimul, vel unum corpus eſſe in duobus locis præſentia illa quantitativa, & localitèr extenſa, qualem, v. g. habet corpus meum in hoc aere.

Quantùm ad primam partem triplex eſt ſententia: Prima tenet duo corpora poſſe naturaliter eſſe in eodem loco, ſeque mutuò penetrare: penetratio enim eſt poſitio duorum corporum in eodem loco. Secunda ſententia è contrà tenet, duo corpora etiam divinitùs non poſſe eſſe in eodem loco, ſeque penetrare: Ita tenet Durandus: Pro tertia explicatione.

Dico primò, Duo corpora non poſſunt naturalitèr ſe penetrare, & eſſe in eodem loco; poſſunt tamen divinitùs. Ita tenent communitèr omnes contra Durandum, qui negat ſecundam partem.

Pro-

Digitized by Google

Probatur prima pars: Tùm quia corpus expellit aliud à loco, ut experientia patet; ergò naturalitèr non poteſt eſſe cum illo in eodem loco. Probatur conſequentia: Nàm ea, quæ ſe mutuò expellunt, ſeſe compati non poſſent; Tùm etiam quia locus plenus eſt naturalitér incapax alterius corporis; ſiquidem, quod eſt ſufficienter repletum, non eſt ampliùs replebile; ſed locus, in quo exiſtit aliquod corpus, eſt plenus; ergò eſt incapax alterius corporis: proindèque duo corpora non poſſunt replere eundem locum.

Dices: Vas plenum cineribus adhuc poteſt repleri aqua. Similitèr ignis penetrat ferrum, ut patet in ferro infinito; ergò duo corpora poſſunt ſeſe penetrare.

Reſpondeo ad primum, quod in vaſe cineribus pleno multùm eſt aeris intra ſpatiola quæ relinquuntur à cineribus exactè non ſe contigentibus: quod patet ex ſigno; ſi enim ejuſmodi cineres fortiter comprimantur, redigentur ad minus ſpatium, quia aer imbibitus in ſpatiolis expellitur per fortem compreſſionem, ſicut aqua ſpongiæ exprimitur dum ſpongia conſtringitur; Undè dum aqua infunditur vaſi cineribus pleno expellit aerem, & loco ipſius ſubintrat ſpatiola, quæ erant intra cineres: ideòque non fit penetratio, ſed unius corporis inſinuatio intra ſpatiola, quæ reperiuntur in alio. Addi etiam debet, quod ſiccitas cinerum multum conſumit aquæ, & in vaporem vertit; ex quo fit, ut vas cineribus plenum ferè tantùm capiat aquæ, quantùm caperet, ſi eſſet vacuum.

Reſpondeo ad ſecundùm, in ferro eſſe poros, quos ſub intrat ſubtiliſſimus ignis; Deindè ſunt quædam partes pinguiuſculæ ferri, quæ convertuntur in ignem; unde ferrum candens, dum percuti-

cutitur, vibrat ſcintillas, dum extinguitur, emittit quoſdam veluti cineres. Et demùm partes ferri, quæ non ſunt capaces formæ ignis, tantò calore occupantur, ut videantur ignitæ. Undè in tali caſu non datur penetratio, ſed ſolùm inſinuatio intra poros, converſio quarumdam particularum in ignem, & intenſiſſima aliarum calefactio.

Probatur verò ſecunda pars, tùm ratione, tùm experientia: Ratione quidem: quam inſinuat D. Th. in 4. diſt. 44. qu. 2. art. 2. Nàm divinitùs impediri poteſt id, quod eſt ſolùm ſecundarium in quantitate: Sed alterius expulſio à loco ſeu diſtinctio unius quantitatis ab alia ſecundùm locum, eſt ſolùm aliquid ſecundarium in quantitate; ergò divinitùs impediri poteſt. Major patet: Nàm iſta ſecundaria ſunt ſolùm appendices eſſentiarum, quæ proinde non implicat tollere ab eſſentiis. Minor etiam videtur certa: Nàm eſſentia quantitatis eſt ut ſit extenſa in partem, ad quam ſequitur occupatio proprii loci; & ne confunderentur quantitates; addita eſt expulſio alterius quantitatis: Experientia quoque idem probatur: Nàm Sancti Doctores tenent corpus Chriſti exiſſe de utero Matris, & de Sepulchro clauſo, pervadendo, & penetrando corpora obſtantia, & ſimiliter januis clauſis ingreſſus eſt JESUS ad Diſcipulos, & dicitur Joann. 22. penetrando ſcilicèt ipſas januas; & tandem inter dotes corporis beati reponitor ſubtilitas, qua poterit obvia quæque corpora penetrare. Dicere autem cum Durando, Corpus Chriſti, & corpora glorioſa dici ſubtilia, inquantùm in breviſſimum compendium ita ſeſe colligere poſſunt, ut ſe inſinuent per tenuiſſima foramina; omninò rediculum eſt; quia talis conſtrictio fieri non

poſſet

poſſet ſine gravi alteratione, & deſtructione propriæ figuræ, ac organizationis; quæ omnia repugnant impaſſibilitati, quæ eſt altera dos corporis beati. Undè ſic ſumpta ſubtilitas non eſſet dos, ſed quædam indecentia reſpectu corporis beati.

Objicies: Impenetrabilitas non poteſt tolli à quantitate, ergò corpora nequeunt ſe penetrare. Probatur antecedens: Nàm effectus formalis non poteſt tolli ſtante forma. Sed impenetrabilitas eſt effectus formalis quantitatis; ergò non poteſt tolli ab illa.

Reſpondeo negando antecedens: Ad probationem diſtinguo: Effectus formalis formæ non poteſt ab illa tolli primarius, concedo; ſecundarius, nego. Solutio patet ex dictis in probatione.

Si autem dicas cum Durando Deum non poſſe impedire effectus ſecundarios privativos, ut v. g. irrationalitatem à forma equi: ergò nec impenetrabilitatem poteſt tollere, quæ eſt effectus ſecundarius quidem, ſed privativus.

Reſpondeo expulſionem illam quantitatum, in qua fundatur impenetrabilitas, & exigentia loci non occupati diſtinctioniſque localis, non eſſe quid purè privativum, ſed dotem poſitivam, & ſecundariam quantitatis, quæ data eſt à Deo, ne una quantitas confunderetur cum alia, & ut ordo ſitualis quantitatum ſervaretur: Sicuti ad ſervandam diſtinctionem qualitatum oppoſitarum voluit Deus, ut una alteri reſiſteret. Undè ſicut poteſt auferre iſtam contrarietatem à qualitatibus, & eas in uno ſubjecto conciliare ita quoque poteſt auferre hanc expulſionem quantitatibus, & eas in uno loco conjungere.

Inſtabis: Duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt

eſſe

eſſe in eadem materia; ergò nec duæ quantitates in eodem loco.

Reſpondeo negando paritatem; Nam forma ſubſtantialis dat eſſe ſimplicitèr materiæ: Repugnat autem materiam habentem eſſe ſimplicitèr, poſſe aliud eſſe ſimplicitèr recipere, ut oſtendetur infrà in 4. parte; At verò locatum non dat eſſe loco; undè quantùm eſt de ſe, non repugnat loco repleri duplici corpore, modò auferatur ab illis mutua expulſio.

Urgebis; Ergò fieri poteſt, ut totum capiatur in parte, v. g. corpus in digito.

Reſpondeo negando conſequentiam: Nàm illud propriè cenſetur capi in alio, quod extrà illud diffundi non poteſt, ſed eſt in eo tanquam in loco ſibi naturaliter adæquato; Quamvis autem ita partes corporis invicem complicarentur, & penetrarentur, ut tandem non occuparent niſi ſpatium digiti, attamen ſi ſibi relinquerentur, exigerent ulteriùs diffundi, nec ille eſſet locus ſibi naturaliter adæquatus, & proportionatus. Undè non cenſerentur intra illum partem ſuam capi, ſaltem propriè.

Quantùm ad ſecundam difficultatem, plures affirmant divinitùs poſſe idem corpus implere duo loca totalia, v. g. eſſe hic, & Romæ etiam præſentia illa quantitativa, qualem nunc habet corpus noſtrum in loco naturali; ita Scotus, quem plures alii ſequuntur. D. verò Thomas, D. Bonaventura, Ægidius, Abulenſis, & alii quamvis admittant idem corpus poſſe eſſe quantitativè in uno loco, & ſacramentalitèr in pluribus locis, ut fides docet de Corpore Chriſti attamen negant poſſe eſſe in pluribus locis modo quantitativo, & circumſcriptivo. Undè

Dico ſecundò, Etiam per miraculum fieri non

poteſt, ut idem corpus ſit in pluribus locis præſentia circumſcriptiva, & quantitativa: Ita D. Th. iiſdem ferè terminis tùm quodl. 3. ar. 2. tùm in 4. diſt. 44. q. 2. ar. 2. quæſt. 4.

Probatur primò ratione Div. Thomæ. Nàm de ratione eſſentiali unius quantitatis eſt, ut ſit indiviſa in ſe, & à ſe; Atqui ſi poneretur in duobus locis, eſſet diviſa à ſe: ergò una quantitas non poteſt eſſe in duobus locis. Major patet: Cum enim diviſio tollat formalitèr unitatem, impoſſibile eſt ut quantitas à ſe diviſa ſit una, alias eſſet una, & non una; diviſa, & non diviſa; Minor verò probatur; Nàm quantitas cenſetur diviſa, cujus ſuperficies diſtant, & inter quas mediat aliquod intervallum id enim videtur eſſe quaſi communis animi notio: Atqui ſi una quantitas in duobus locis exiſteret ut v. grat. hic, & Romæ, inter ſuperficies, quæ hic eſſet, & quæ Romæ exiſteret, mediaret ingens diſtantia; ergò quantitas illa eſſet diviſa.

Probatur ſecundò: Nàm una quantitas non poteſt implere duo loca totalia; ergò nec unum corpus eſſe quantitativè in duobus locis. Conſequentia patet; Nàm unum corpus non habet niſi unam totalem quantitatem, & ſi duas haberet, altera non eſſet ſua, ſed adventitia: undè per illam propriè non locaretur. Antecedens verò, quod negant Adverſarii, probatur; Nàm una forma nequit habere duos effectus formales adæquatos: Sed impletio loci eſt quaſi effectus quidam formalis quantitatis: ergò una quantitas non poteſt implere duo loca totalia. Minor certa eſt; Nàm quantitas occupat locum dando ſe ipſam loco, & proindè ad modum cauſæ formalis, ideſt, communicandò propriam quantitatem. Major verò probatur; Nàm effectus formalis eſt

ipſa

Digitized by Google

ipſa entitas formæ ut communicata: ergò ſicut una forma nequit habere duas: entitates totales; ita nec duos effectus formales totales.

Reſpondebis occupationem loci eſſe effectum ſecundarium quantitatis: ideòque poſſe multiplicari ſine multiplicatione eſſentiæ quantitatis, ſicut impediri poteſt ſine ejus deſtructione.

Sed contrà; Nàm effectus formalis etiam ſecundarius non eſt niſi ipſa forma ſecundariò communicata: ergò non magis multiplicari poteſt, quàm primarius; Poteſt tamen impediri; quia ipſa entitas formæ poteſt eſſe abſque ulla ſecundaria communicatione. Deindè effectus ſecundarius eſſentialiter ſupponit primum: ergò etiam duplex effectus ſecundarius adæquatus ſupponit duplicem primarium.

Dices, occupationem unius loci eſſe quidem effectum adęquatum quantitatis naturaliter ſumptæ: attamen ſupernaturalitèr poſſe ſe extendere ad alia loca; Nàm quantitas, ut ſubeſt divinæ virtuti, plura poteſt, quam poſſit naturaliter.

Sed contrà: Nàm in cauſis formalibus, & materialibus non habet locum diſtinctio potentiæ naturalis, & ſupernaturalis: ergò ſi naturalitèr effectus formalis adæquatus unius quantitatis ſit occupatio unius loci totalis, nec ſupernaturalitèr poterit plura implere. Conſequentia patet: Antecedens verò probatur tùm authoritate Theologorum, apud quos eſt veluti axioma: Tùm ratione; nàm cauſæ formalis, & materialis cauſant per propriam entitatem: ergò ſicut ſupernaturalitèr non poſſunt recipere etiam entitatem, (alias eſſet eadem, & non eadem) ita nec alium cauſandi modum: Tùm etiam exemplo: ſic enim, quia anima cauſat hominem formaliter, una anima etiam divinitùs non poteſt ſimul cauſare plures

homines; Et quia tres unitates cauſant per modum cauſæ formalis, & materialis numerum ternarium, impoſſibile eſt ut etiam divinitùs cauſent ſenarium.

Probatur tertiò; Non poteſt multiplicari occupatio loci, niſi multiplicetur ratio formalis occupandi locum: Sed quantitas eſt ratio formalis occupandi locum: ergò non poteſt multiplicari occupatio loci, niſi multiplicetur quantitas. Minor videtur certa: Nàm ratio implendi locum non eſt alia, niſi ipſa quantitas, cui per ſe convenit, ut ſit repletiva loci. Major autem probatur: Nàm quælibet res conſtituitur per ſuam rationem formalem: ergò impoſſibile eſt plures res conſtitui, & multiplicari non multiplicata ratione formali. Quis enim concipere poſſet plures homines abſque pluralitate principiorum conſtituentium hominem?

Addi poſſent plura abſurda, quæ ſequuntur ex appoſita ſententia, ut corpus illud fore circumſcriptivè in utroque loco, & non fore circumſcriptivè: eſſet enim circumſcriptivè: quia hoc dicunt Adverſarii: non eſſet circumſcriptivè: quia locus circumſcriptivus rei eſt intra quem ita capitur, ut nihil ejus ſit extra; atqui totum corpus eſſet extra quemlibet iſtorum locorum: ergò &c. Hæc ratio eſt Div. Th. quodlibet 3. art. 2. Deindè ſequeretur unum hominem poſſe formare duos exercitus, qui contra ſe pugnarent, ſeque mutuò interficerent: ſicque in uno loco ille homo viveret, & in alio moreretur; ſibi ipſi occurreret, & à ſe ipſo ſepararetur: in uno loco frigeret, in alio caloribus uteretur; immò, ut inſinuat D. Th. 3. parte qu. 75. art. 1. ille homo immenſus eſſet: quia poſſet eſſe in infinitis locis syncategorematicè, non enim major ratio eſt de duobus,

bus; quàm de centum, & de centum, quàm de mille &c.

Objicies primò: Idem corpus poteſt eſſe in pluribus locis ſacramentalitèr, ergò, & quantitativè: Probatur conſequentia; Non enim major eſt ratio de præſentia ſacramentali, quàm de quantitativa.

Reſpondeo negando paritatem: Diſparitas eſt, quia ratio eſſendi in loco ſacramentalitèr, eſt converſio unius ſubſtantiæ in aliam: Undè poſſunt multiplicari præſentiæ ſacramentales, quia poſſunt multiplicari tales converſiones: At verò ratio eſſendi in loco quantitativè, eſt ipſa quantitas: undè manente una quantitate, impoſſibile eſt multiplicari talem præſentiam.

Inſtabis: Poteſt Deus convertere plures quantitates in quantitatem Corporis Chriſti; ergò tunc quantitas ipſius Corporis Chriſti impleret plura loca, quæ antea implebant quantitates in eam converſæ.

Reſpondeo cum Divo Thoma quodlib. 3. artic. 1. quod ſicut omnes iſtæ converſiones terminarentur ad unicam quantitatem, ita quoque non darent Corpori Chriſti niſi unicum quantitativum.

Objicies ſecundò; Præſentia ſubſtantialis multiplicatur non multiplicata ſubſtantia; ergò etiam præſentia quantitativa poterit multiplicari, non multiplicata quantitate. Probatur conſequentia; Nàm ſic ſe habet præſentia ſubſtantialis ad ſubſtantiam, ſicut quantitativa ad quantitatem.

Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem: Nàm ſubſtantia non eſt ratio eſſendi in loco ſed hoc habet per aliud, ut in Angelis per operationem, in corporibus per quantitatem,

in Sacramento Euchariſtiæ per converſionem panis in Corpus Chriſti. Et ideò eadem ſubſtantia poteſt eſſe in variis locis, modo multiplicetur ratio ſuæ præſentiæ; Ut idem Angelus eſſet in variis locis, ſi poſſet habere in illis plures adæquatas operationes; & idem Corpus Chriſti poteſt eſſe in pluribus Hoſtis ſacramentalitèr, quia plures panes poſſunt converti in Corpus Chriſti. At verò quantitas eſt ipſa ratio non implendi locum: Undè impoſſibile eſt unum corpus implere duo loca, ſi habeat unam tantùm quantitatem.

Inſtabis: Ratio immediata occupandi locum non eſt quantitas, ſed ubicatio: ergò poterit multiplicari occupatio loci per ſolam multiplicationem ubicationum.

Reſpondeo negando antecedens: Nàm ubicatio eſt ſolùm accidens reſultans in corpore, ex eo quod impleat locum, & ab illo circumſcribatur; Undè ratio implendi locum eſt ſola quantitas.

Objicies 3. varia exempla; Nàm Chriſtus non deſerendo cœlum apparuit Paulo, dum iret Damaſcum; & pluries viſus eſt ab aliis Sanctis; immò apparuit ſæpè in Euchariſtia ſub forma pueri: ergò ſimul fuit in cœlo, & in locis, in quibus apparebat.

Reſpondeo, hæc non urgere; Nàm facilè explicantur: quamvis enim Chriſtus in proprio corpore apparuerit Paulo: ut eſſet teſtis Reſurrectionis, ex hoc non infertur fuiſſe in duobus locis quia vel potuit apparere, & loqui de cœlis ipſis, ſicut legitur apparuiſſe Divo Stephano. vel ſi deſeruit cœlum, ut indicare videtur Div. Thomas 3. part. q. 57. art. 6. ad 3. non eſt inconveniens, neque contra id, quod dicitur, Chriſtum

ſtum ſedere ad dextram Patris & eſſe in cęlo, donec veniat ad judicandum: Nàm parùm pro nihilo reputatur: Undè ſicut civis dicitur manere in civitate, licèt aliquando extra deambulet; ita Chriſtus dicitur eſſe in cœlo, quamvis ad breve momentum ipſum deſerat. Ad alia exempla, dico Chriſtum apparuiſſe Sanctis illis non in corpore proprio, ſed in quadam ſimilitudine, ſicuti quando Angeli apparent.

Dices: ergò tunc Chriſtus decipiebat eos, quibus apparebat: putabant enim verè eſſe Chriſtum, & non inane ſimulacrum.

Reſpondeo negando conſequentiam: quia ut notat D. Thomas, illæ miraculoſæ apparitiones non erant ſigna falſitatis, ſed veritatis, inquantùm miraculosè fiebant, vel in ſignum familiaritatis, quam Chriſtus habebat cum illis Sanctis, vel in ſignum veritatis ſuæ præſentiæ in Euchariſtia.

ARTICULUS TERTIUS.

De Vacuo.

VAcuum definitur, locus non repletus corpore. Circa illud quæruntur; Primò, utrum dari poſſit in rerum natura locus purè vacuus, id eſt, nullo prorsùs corpore repletus, quæ enim vulgariter dicuntur vacua, non ſunt purè vacua, ſed inſenſibili corpore plena, ut dolium exhauſto vino, & crumena remota pecunia, licèt dicantur vacua, ſunt tamen aere plena, ut patet. Secundò, utrùm detur aliquod vacuum minimum intra poros corporum. Tertiò, utrùm virtute Angelica, vel Divina cauſari poſſit vacuum in natura; Quartò utrùm in vacuo fieri poſſit motus.

Digitized by Google

Dico primò: Naturalitèr dari non poteſt vacuum. Ita Peripatatici omnes contra quoſdam, qui inanibus experientiis confidentes conantur ipſum aſſerere.

Probatur concluſio tùm ratione, tùm experientia: ratione quidem: Nàm naturalitèr dari non poteſt id, quod abhorrent omnia prorsùs agentia naturalia; ſed agentia naturalia abhorrent à vacuo tanquàm à pernicioſo ſchiſmate mutuam unionem, colligationem, & communicationem rerum impediente; in qua ſitum eſt bonum univerſi: ergò agentia naturalia ipſum cauſare non poſſunt, ſed potiùs totis viribus impediunt. Accedit experientia; Videmus enim omnia corpora propriæ inclinationi renuntiare, ut impediant vacuum: ſic aqua ſursùm aſcendit in fiſtulis, quando ex altera parte attrahitur aer; ſic caro tumeſcit & contra propriam naturam turget in cucurbitulis· Sic vaſa franguntur, ut aerem admittant, ne detur vacuum; ergò ſignum eſt omnem naturam abominari vacuum, & proindè naturaliter, dari non poſſe.

Quidam Recentiores hos effectus attribuunt non quidem vacui fugæ, ſed gravitationis aeris? dicentes, quod in fiſtulis aqua aſcendit violentèr propter aeris gravitatem, qui aquæ incumbens, eamque ſuo pondere urgens cogit aſcendere, ubi occurrerit aliqua via aperta, & vacua.

Sed contrà eſt evidenter; Dato enim gratis, quod tota aeris maſſa gravitaret, attamen partes aeris non urgerent; aut ponderarent ſupra partes aquæ: quia mutuò ſeſe ſuſtentant: ſicut patet, quòd aqua quantumvis gravis, non gravitat tamen ſupra urinatores in fundo maris natantes; licèt enim aliquando infinitam aquæ molem habeant ſuprà humeros, nihil tamen pon-

ponderis ſentiunt, nec ex hoc gravantur. Adde præterea gravitatem aeris non poſſe ſaltem cauſare tangentiam carnis in cucurbitulis intumeſcentis, unde id ſolum adſcribi poteſt horrori vacui.

Objicies primò ex experientia; Si enim fiſtula mercurio plena ex una parte impervia, ex alia verò aperta, qua parte patet, inſeratur alicui liquori, labitur mercurius, nec videtur novum corpus poſſe ſubintrare, ut locus mercurii occupetur; ergò remanet vacuus. Idem fit in aliis experientiis.

Reſpondeo negando ſpatia illa, quæ videntur in ejuſmodi experientiis eſſe vacua; ſunt enim plena. Quomodo autem repleri poſſint, facilè patebit, ſi obſervemus naturam habere plures vias ad impediendum vacuum: Primò enim utitur vi motrice, quia vicina corpora confluunt, ut locum derelictum occupent: hæc facilior, & communior via eſt. Sed ſi corpora ſubtilia præſto non ſint, ut ſubintrare queant, utitur Secundò natura violenta fractione, ut patet, ſi quis vehementer attrahat aerem ex vaſculo vitreo fragibili; tunc enim fragiliores vaſi partes rumpuntur, ut alius aer loco ejus, qui attrahitur, poſſit ſubintrare. Tertiò demùm ſi vas frangi facilè non poſſit, utitur natura alteratione rarefaciendo corpora craſſiora, & ſubtiliores eorum particulas in vaporem diffundendò, qui poſſit derelictum locum implere. Ex his tribus viis ſolvuntur omnes prorsùs experientiæ, quæ ſolent adduci, præcipuè verò ex tertia.

Cæterùm hic obiter notandum eſt, quod quamvis quidam Authores referunt præfatam experientiam de tubulo mercurio pleno, attamen prorsùs inanis eſt ad probandum vacuum; non enim,

ut græca fide narrant, labitur ſubitò præceps mercurius in illa experientia, itaut nullum ſenſibile corpus ſubintret; ſed dum ex una parte præcipitatur in aquam particula mercurii, ex alia parte loco ejus ſubintrat aſcendens aqua, itaut nunquam locum deſerat ille, niſi ſtatim iſta illum occupet, ſicuti propriis oculis exploravimus. Ex quo infero, quàm parùm fidendum ſit aliis experientiis, quæ circumferri ſolent ad aſtruendas novas opiniones.

Objicies 2. Niſi detur vacuum, motus fieri nequit: ergò datur. Probatur antecedens ſi enim omnia ſunt plena, & conferta, quò ibit corpus, dum movetur?

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem reſpondeo cum Ariſtotele hic quædam corpora eſſe fluida, ut aer, & hæc corpora ſolidioribus cedunt locum, quando moventur, inquantùm partes anteriores ſuccedunt, & relinquunt ſpatium corpori ſolido, ut illud, quod relinquit, occupent.

Dico 2. Non datur vacuum intrà poros.

Probatur concluſio: Quia etiam minimæ particulæ amant unionem mutuam, & ſocietatem: ergò ſicut videmus majora corpora toto impetu confluere, ut vacuum impediant, ita quoque corpuſcula illa ſeſe comprimerent, ut vacuitatem pororum impedirent.

Et ſi dicas: Cujus ergò rei pleni ſunt pori corporum?

Reſpondeo repleri ſubſtantia ſubtiliori. Nàm præcipuè in mixtis, dantur partes craſſiores, & ſubtiliores: craſſiores faciunt poros, ſubtiliores verò illos implent: cujus ſignum eſt, quod ſi partes ſubtiliores exhalent, corpus contrahitur ad minus ſpatium, ut patet in floribus: qui exhalan-

halanti ſubtili humido marceſcentes ad minimum ſeſe colligunt.

Dico 3, Angelus non poteſt cauſare vacuum in rerum natura, benè tamen Deus. Ita communiter docent Philoſophi.

Probatur prima pars; Nàm fortior eſt inclinatio naturæ ad impediendum vacuum, quàm ad obediendum Angelo; ergo non poteſt Angelus cauſare vacuum. Conſequentia patet. Probatur antecedens: Nàm inclinatio ad impediendum vacuum fundatur in bono communi totius univerſi, cujus Angelus eſt ſolùm pars.

Confirmatur: Nàm virtus Angelica non datur ad ſubvertendum univerſi ordinem, ſed movendum corpora juxta ejuſmodi ordinem, ut enim D. Paulus, Deus non ſubjecit orbem terræ Angelis: Atqui vacuum deſtruit ordinem univerſi qui conſervatur per conſociationem corporum; ergò non poteſt cauſari ab Angelo.

Secunda verò pars, quamvis negetur à Renato Deſcartes in 2. parte princip. num. 18. de ſe patet Deus enim poteſt quidquid non implicat: neque tenetur legibus à ſe impoſitis: atqui dari vacuum non implicat, ſed ſolùm prohibetur per legem à Divina providentia ſtatutam propter bonum totius univerſi; ergò divinitùs dari poteſt vacuum. Probatur minor: quid enim implicat Deum annihilare totum aerem, & impedire ne alia corpora loco ejus ſubintrent?

Si autem dicas cum Renato, in hoc caſu latera corporum ambientium neceſſariò coitura ut abſorbeant illud vacuum, & eò quod impoſſibile ſit illa diſtare, inter quæ non mediat corpus aliquod. Contra eſt. Nam ſaltem poſſet Deus deſtruere totum univerſum, & unicum hominem conſervare. Quis hoc Dei potentiæ audeat denegare;

hoc vero dato caſu, manifeſtè dabitur diſtantia inter ambos pedes, aut ambas manus, quamvis nullum inter illa mediet corpus; ergò poteſt dari diſtantia inter extrema nullo modo corpore repleta.

Dico quartò: In vacuo fieri poteſt motus, non tamen in inſtanti.

Probatur prima pars: Licèt enim in vacuo non ſit propriè locus extrinſecus, attamen corpus etiam in vacuo exiſtens habet locum intrinſecum ideſt, intervallum illud quod eſt intra latera ſuperficiei propriæ, quod variatur in ratione loci juxta majorem, vel minorem appropinquationem ad alia corpora, ſicut dictum eſt in fine articuli primi, ſed in vacuo corpus poſſet fieri magis, vel minùs propinquum alteri corpori; ergò poſſet variare locum etiam in vacuo, ſicque localitèr moveri; undè corpus Chriſti moveri poteſt ſupra convexum Empyrei, licèt ibi ſit purum vacuum, immò ſpatium imaginarium.

Secunda verò pars probatur; Nàm variatio illius diſtantiæ fieret ſolùm ſucceſſivè; ergò etiam motus in vacuo eſſet ſucceſſivus, & non inſtantaneus.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA.

De Continuo.

CUM motus, mobile, & tempus ſint de genere continuorum, ideò in hac quæſtione agendum eſt de quantitate continua: quomodo autem quantitas continua differat à quantitate diſcreta, & quot ſint ejus ſpecies, ſivè propriè ſive impropriæ dictum eſt in logica agendo de prædicamento quantitatis. Undè ſolùm ſupereſt diſputandum de ejus compoſitione; circà quam duo quæruntur; Primò utrùm conſtet ſolis indiviſibilibus vel partibus ſemper diviſibilibus. Secundò utrùm in quantitate continua dentur vera indiviſibilia.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Continuum conſtet ſolis indiviſibilibus, vel partibus ſemper diviſibilibus.

MYſterium philoſophicum eſt hæc difficultas, in qua ratio plus probat, quàm poſſit intelligere, plus objicit, quàm poſſit ſolvere. Ut tamen aliqualiter explicetur, duplex in ea fuit opinio. Prima Zenonis, quem ſequuntur quidem recentiores, relicto Ariſtotele, dicentes quantitatem continuam conſtare ſolis indiviſibilibus coacervatis: Secunda verò eſt Ariſtotelis, omnium Peripateticorum, & communitèr Mathema-

thema-

thematicorum, qui dicunt quodlibet continuum conſtare partibus ſemper diviſibilibus itaut nunquàm deveniri poſſit ad partem ita minimam, in qua non poſſint diſtingui aliæ partes ipſam componentes. Undè Ariſtoteles definivit continuum, *quod eſt diviſibile in ſemper diviſibilia*: Pro hcc ſententia.

Dico Continuum non conſtat ſolis indiviſibilibus, ſed partibus ſemper diviſibilibus. Prima pars infert ſecundam: ſi enim continuum non conſtet indiviſibilibus, neceſſe, eſt nullam partem ita minimam dari poſſe, quæ non ſit ulterius diviſibilis in alias. Unde

Probatur primò concluſio: Nàm indiviſibile additum indiviſibili non facit majus, & extenſius; ergò non poteſt cauſare, & componere continuum. Conſequentia de ſe patet: Nàm continuum fit majus, & extenſius per additionem eorum, quibus conſtat ejus magnitudo Antecedens verò evidenter probatur: Nàm quod caret omni prorsùs magnitudine, & extenſione, non poteſt facere majus, & extenſius ſi ſuperaddatur, ſed indiviſibile caret omni prorsùs magnitudine, & extenſione; ergò ſuperadditum alteri non poteſt facere majus, & extenſius. Minor eſt certa; Nàm naturalis notio indiviſibilis eſt, quod caret extenſione; undè indiviſibile, & extenſum pro eodem accipiuntur. Major autem probatur; Nàm pars non affert toti, quod ipſa non habet, ergò ſi indiviſibile careat extenſione, non poteſt eam afferre toti cui conjungitur, ſicque facere majus; ſicut infiniti cæci, quia carent viſione, non poſſunt facere unum videntem, & infiniti Angeli, quia carent corporeitate, non poſſunt conſtituere unum totum corporeum.

Reſpondebis unitatem, quamvis careat numero,

mero, attamen additam facere majorem numerum: Quidni ergò etiam indiviſibile carens extenſione, poterit reddere majorem extenſionem, dum alteri additur?

Sed contrà eſt: Nàm maximum eſt diſcrimen; ſiquidem magnitudo, ſeu, ut potius loquar, multitudo numeri conſurgit ex diſtinctione unitatum. Undè quia quælibet unitas affert ſuam diſtinctionem, ideò auget numerum: & verò extenſionem ſuarum partium, Undè quod non affert partialem extenſionem non reddit majorem quantitatem continuam. Si ergò unum indiviſibile caret extenſione, additum alteri non ipſum extendet, & rurſus ſi aliud addatur, nulla fiet extenſio, & ſic addita in infinitum indiviſibilia, nullam molem continuò extenſam efficient.

Probatur ſecundò: Quod non poteſt continuari cum alio, non poteſt componere quantitate continuam cum illo; ſed indiviſibilia non poſſunt invicem continuari; ergò non poſſunt conſtituere quantitatem continuam. Major nota eſt ex terminis. Probatur minor: Nàm continua ſunt, quorum extrema ſunt ſimul, ſeu quæ uniuntur ſecundùm extremitates: ſed in puncto nullæ ſunt extremitates; ergò continuari non poſſunt. Minor patet: Nàm extremum ſupponit medium ab ipſo diſtinctum, ac proindè diviſibilitatem, & diſtinctionem: ergò indiviſibile caret medio, & extremis. Major autem probatur: Tùm quia eſt definitio continuorum: Tum quia ſi aliqua duo uniuntur non ſecundùm extrema, ſed ſecundùm ſe tota, itaut nihil unius ſit extra aliud, non erunt continua, ſed penetrata ſicque non facient aliquid extenſius: quia unum non extendetur extrà aliud: Tùm demùm experientia: ſic enim videmus quantitatem continuari, & au-

& augeri, inquantùm accedit aliqua pars, quæ ſecundùm extremitatem ſuam unitur præcedentibus, & ſecundùm ſuam extenſionem diffunditur ultra alias, ſicque facit majus, & extenſius; ergo continuatio, & extenſio quantitatis in eo conſiſtit, ut partes ejus uniantur ſecundùm ſuas extremitates.

Ex hoc patet radix noſtræ ſententię; Nàm impoſſibile eſt concipere quantitatem continuam extendi, & augeri, niſi inquantùm accedit ei aliqua pars, quæ ſecundùm ſuam extremitatem unitur aliis, & ſecundùm ſuam magnitudinem diffunditur extrà alias: Undè neceſſe eſt in eo omni, quod auget, & extendit quantitatem, eſſe extremitates, & medium ab illis diſtinctum: quod cum non ſit in indiviſibili, impoſſibile eſt indiviſibile augere quantitatem, & cum aliis continuari.

Confirmatur; Nàm indiviſibile penetrat aliud indiviſibile, ſaltem eo modo, quo indiviſibilia poſſunt ſe penetrare: ergò ipſum non extendit. Conſequentia patet. Probatur antecedens; Nàm ea, quæ ſe tangunt ſecundùm ſe tota, ſe penetrant, ſed indiviſibile non poteſt tangere aliud indiviſibile niſi ſecundùm ſe totum; ergò ipſum penetrat. Major eſt definitio eorum, quæ ſe penetrant. Minor verò conſtat; Nàm in indiviſibili non ſunt partes, per quarum unam tangere poſſit, & per aliam non tangere: ergò debet tangere aliud indiviſibile ſecundùm ſe totum, & rurſus ſi addatur aliud iſtis duobus tanget illa ſecundum ſe totum, ſicque infinitus acervus indiviſibilium ſe totum tanget ſecundum totum, nec proindè facit aliquid extenſum.

Dicere autem, quod indiviſibile ſunt partes virtuales, per quarum unam tangat, & per aliam

non

non tangat, non ſolvit argumentùm; Nàm iſtæ partes virtuales ita inter ſe identificantur, ut una non ſit realitèr extrà aliam: ergò hoc ipſo, quod indiviſibile ſecundùm unam partem virtualem eſt penetratum cum alio, nullam habet partem realem extrà ipſum; ac proindè non extendit illud extenſio enim realis, & quantitativa fit per poſitionem partium realium extrà alias partes; Unde ſi adderentur infinita indiviſibilia, ſecundum totam ſuam realitatem eſſent ſimul, ſicuti quando lineæ circuli confluunt, & junguntur in centro, omnia indiviſibilia iſtarum linearum ſunt ſimul in illo indiviſibili centro, & tamen non reddunt ipſum diviſibile, & extenſum.

Psobatur tertiò, Nam ſi corpus componeretur ex indiviſibilibus, & tempus ex inſtantibus, ut volunt Adverſarii, ſequeretur velociùs mobile non poſſe pertranſire unam leucam citiùs, quam mobile tardiſſimum; ſed hoc eſt falſum: ergò. Probatur evidentèr ſequela, ſupponendo equum, & teſtudinem moveri ſuprà ſpatium conſtans centum millionibus indiviſibilium. Quolibet inſtanti temporis equus non poteſt tranſire niſi unicum punctum: atqui etiam quolibet inſtanti teſtudo pertranſit unum punctum, non enim poteſt minus pertranſire, ergò equus, & teſtudo quolibet inſtanti percurrunt unum punctum, ſicque æqualiter moventur. Si dicas, equum in inſtanti pertranſire tria puncta, & teſtitudinem inſumere duo inſtantia in pertranſitione unius puncti. Contrà eſt; nàm inſtans eſt indiviſibile; ergò in illo non poteſt acquiri niſi aliquid indiviſibile. Et ſi reſpondeas, qnod teſtudo in uno inſtanti acquirit unum punctum, & poſteà quieſcit per tria inſtantia, ſicque dat copiam equo: ut

ut præcurrat. Contrà eſt, tùm quia ſequeretur omnem motum eſſe interruptum quiete: nam non poteſt dari motus adeò velox, quo velocior dari non poſſit: Tùm quia videmus in totas partes centro propinquiores ſemper moveri, quando res motiores moventur: ſicque nunquam quieſcere, & tamen motus partium remotiorum à centro velocior eſt motu partium propinquiorum: ergò non eſt neceſſe, ut mobile tardum quieſcat per aliquas morulas, ad hoc ut poſſit præcedi à mobili veloci.

Confirmari demùm poteſt ex ipſa eſſentia quantitatis, quæ eſt diviſibilis in partes ejuſdem rationis; ideſt quarum quælibet ſit etiam quantitas, ergò neceſſe eſt omnem partem quantitatis eſſe quantam, proindeque implicat quantitatem reſolvi in partes non quantas & indiviſibiles; ergò non componitur ex indiviſibilibus, ſed ex ſemper diviſibilibus.

Dices: In intelligibile videtur, & ſenſui communi repugnans, granum, v. g. farinæ eſſe diviſibile uſque ad diem judicii, immò per totam æternitatem in partes minores, & minores, abſque eò quod poſſit tandem deveniri ad ultimas indiviſibiles, in quibus ſiſtat diviſio.

Reſpondeo primò: Et ſi mirum nobis videatur, attamen, in ſe mirum non eſſe, cum exempla propè ſimilia nobis offerat tùm natura, tùm ars; tùm Mathematica. Natura quidem: quæ enim minor quantitas fingi à nobis poſſet quantitate corporis acari minutiſſimo farinæ granulo minoris; Et tamen in illo minimo corpuſculo innumerabiles diviſiones natura induxit, itaut illud diſtinxerit in integrum partium exercitum. Diſtinguuntur enim in illo cor; jecur, inteſtina, pedes, cutis, nervi, caput, dentes, guttur, &c.

& quod

Digitized by Google

& quod mirum magis eſt, per iſtas omnes partes curſitat magna copia ſpirituum tùm naturalium, tùm animalium ad ſenſationes, & vegetationes peragendas: immò quælibet ex iſtis particulis conſtat ex aliis, & quod demum fidem omnem vinceret, niſi oculi ſuaderent, deprehenſum eſt per microſcopium aliqua ex hujuſmodi animalculis etiam pilis eſſe hirſuta. Ex quo patet inquam in minores, & minores partes, etiam naturalitèr minima quantitas dividi poſſit. Exemplum quoque habetur in artificialibus: Nam granulum auri repetitis ictibus dilatat in varia folia auri malleator, quibus plures argenti laminæ poſſunt veſtiri, & hæ laminæ duci poſſunt ab artificibus in fila deaurata capillis ipſis tenujora ad quatuor propè leucarum longitudinem, in quibus filis ne particula quidem argenti erit, quam non tegat aurum. Ad quam ſtupendam igitur magnitudinem, & in quot particulas neceſſe eſt dilatari minimam iſtam auri portiunculam: Ex Mathematica quoque aliud exemplum iſtius infinitæ diviſibilitatis deſumi poteſt: Nàm lex trianguli perfecti eſt, ut latera ejus à baſi ad centrum anguli ducta nunquam niſi in centro coeant, & tamen quantò magis ad centrum accedunt tantò propinquius accedant Sumamus ergò triangulum rectilineum, cujus baſis ſit minima quædam lineola, à quà ducantur duæ lineæ ad punctum maximè diſtans, v. g. ab urbe Avenionenſi ad Tholoſanam: lineæ iſtæ quanto magis accedent ad centrum cuſpidis, tanto magis invicem accedent, & de breviſſimo baſis ſpatio detrahent; & tamen nunquam illud totalitèr, exhaurient, niſi cum pervenerint Tholoſam; quantula ergò particula, putas detrahetur ex illo ſpatio ſingulis leucis, ſed quàm minor ſingulis paſſibus, & quam mini-

minima ſingulis digitis? ergò breviſſima illa ſpatii particula dividetur in tot particulas; quot ſunt digiti in illa longitudine immenſa, quæ eſt ab urbe Avenionenſi ad Tholoſanam.

Reſpondeo ſecundo cum D. Th. 1. Phyſ. ſect. 9. Quando dicitur continuum eſſe diviſibile in partes in infinitum diviſibiles, hoc intelligendum eſſe mathematicè, non verò phyſicè; ideſt conſiderando quantitatem præcisè ſecundum ſe ut eam ſumit Mathematicus; non verò ut eſt proprietas formæ corporeæ, ſicut eam conſiderat Phyſicus; Nam perveniri tandem poſſet ad partem ita minimam, ut minorem nulla forma naturalis pati poſſet: Attamen mathematicè loquendo in illa minima parte adhuc eſſent duæ medietates, & in illis in duabus medietatibus aliæ medietates, & ſic in infinitum.

PARAGRAPHUS UNICUS.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò: Indiviſibilia non ſe penetrant: ergò poſſunt continuari, & ſic componere quantitatem continuam. Probatur antecedens. Nam indiviſibilia impediunt penetrationem: ergò ipſa non ſe penetrant. Conſequentia videtur certa; ſi enim ſe penetrarent, potius penetrationem partium adjuvarent, quam impedirent: Probatur antecedens: Ideò enim duæ manus ſe tangentes non ſe penetrant, quia tangunt ſe ſecundum ſuas extremitates indiviſibiles.

Reſpondeo negando antecedens; Ad probationem nego conſequentiam. Immò ideò indiviſibilia impediunt partium penetrationem, quia ipſa ſe penetrant, ideſt, ponunt in eodem loco:

Con-

Digitized by Google

Contactus enim partium fit inquantum extrema illarum indiviſibilia conveniunt ſimul in eodem loco : unde contigua definit Ariſtoteles, quorum extrema ſunt ſimul.

Inſtabis : Punctum tangit partem ſecundum ſe totum, & tamen ipſam non penetrat : ergò à pari licèt punctum tangat aliud ſecundum ſe totum, ipſum tamen non penetrat.

Reſpondeo negando paritatem ; Diſparitas, eſt quia licet punctum tangat partem (eò modo quo punctum poteſt tangere) ſecundum ſe totum, non tamen tangitur à parte ſecundùm ſe totam : & ideò pars non penetratur cum puncto, quia non eſt tota in illo.

Objicies ſecundo : Puncta in continuo ſunt ſibi immediata ; ergò in illo ſunt ſola ; ergò continuum conſtat ex illis ſolis. Conſequentia patet : Ubi enim eſſent partes, niſi medient inter puncta : Antecedens verò probatur : Nam globus non tangit planum niſi in puncto. Sed ſi talis globus rotetur ſuper planum, totam ejus extenſionem percurreret : ergò in plano non ſunt niſi puncta ſeriatim ſibi ſuccedentia. Minor patet experientia. Majorem vero probant Mathematici : Quia globus tangit planum in eo, in quo proportionatur ; Sed globus, & planum non proportionantur ſecundùm aliquam partem (omnis enim pars perfecti plani eſt plana, & omnis pars perfecti globi eſt curva, curvum autem, & planum non proportionantur ;) ergò talis contactus non fit in parte, ſed in indiviſibili.

Reſpondent aliqui globum percurrere planum per ſalticulos, ſaltando ab uno indiviſibili ad aliud, & relinquendo partes medias intactas; ſed remiſſa hujuſmodi ſolutione tanquam gratuita, & penè ridicula.

Reſ-

Reſpondeo cum aliis negando antecedens. Ad probationem diſtinguo majorem: Globus tangit planum duntaxat in indiviſibili, dum quieſcit, concedo: dum rotatur, nego. Et ſimilitèr ad probationem: Globus non proportionatur plano in parte, dum quieſcit, concedo; dum rotatur nego.

Inſtabis; Etiam dum rotatur, non fit proportionatus plane in aliqua parte: ergò nulla ſolutio. Probatur antecedens, Sive enim rotetur, ſive quieſcat, ſemper eſt globus, ſemper eſt curvus ſecundùm omnem arcum in ipſo deſignabilem; ergò ſemper eſt improportionatus.

Reſpondeo negando antecedens; Ad probationem, nego conſequentiam; Nam globus, & planum in contactu ſucceſſivo, & fluenti, per modum fluentis, & ſucceſſivè fiunt proportionata: Quia ſcilicèt motus ſupplet improportionem: contactus enim ſucceſſivus ſapit naturam entis ſuceſſivi; Et ideo ſicut tempus, licèt nihil habeat præſens, niſi inſtans indiviſibile, fluendo tamen habet extenſionem, & partes, ita contactus globi, licèt non fiat niſi in indiviſibilibus quieſcendo, fluendo tamen poteſt fieri in partibus; Sicut dicunt Mathematici, quod punctum, licèt quieſcens, ſit indiviſibile, attamen ſi moveretur, diſcriberet lineam diviſibilem.

Objicies 3. Deus poteſt dividere continuum, v. g. granum ſinapis, in omnes partes; ergò partes illæ non erunt amplius diviſibiles.

Reſpond. 1. diſt. anteced. Poteſt dividere in omnes partes Phyſicas, concedo; mathematicas: nego: Illa enim pars, quæ erit minima in eſſe phyſico, & indiviſibilis in duo entia phyſica, erit adhuc mathematicè compoſita ex duabus medietatibus, & quælibet ex illis ex aliis.

Reſp.

Reſp. 2. negando abſolutè antecedens: Quod enim repugnat eſſentiæ rei, etiam divinitus fieri nequit, ut quod homo ſit irrationalis; De eſſentia autem continui eſt, ut ſit indiviſibile in partes ejuſdem rationis, ideſt, rursùs diviſibiles.

Inſtabis; Deus poteſt deſtruere omnia puncta unientia partes v. gr. lineæ; ergò tunc linea dividetur in omnes ſuas partes.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens; poteſt Deus deſtruere omnia puncta lineæ, deſtruendo etiam partes, concedo: ſervando partes, nego: Hoc enim ipſo, quod partes ſunt, neceſſe habent continuari, & uniri: omnis enim pars continui eſt continua; undè implicat deſtrui omnia puncta lineæ, & ejus partes remanere.

Objicies quartò: Partes continui vel ſunt finitæ, vel infinitæ; ſi finitæ; ergò deveniri poteſt ad ultimam ulterius indiviſibilem, ſi ſint infinitæ; ergò datur infinitum actu.

Reſpondeo cum D. Thoma 9. Met. lect. 5. & pluribus aliis locis, partes continui eſſe infinitas ſecundùm quid, & in potentia: ideſt, diviſibilitatem.

Inſtabis: Illæ partes ſunt actu in continuo: ergò ſunt actu infinitæ.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens; ſunt actu in continuo, ſecundùm entitatem; concedo: ſecundùm infinitatem, nego ideſt, habent quidem entitatem in continuo, ſed illa entitas actualis non habet infinitatem niſi in potentia: Nàm omnis infinitas quantitativà vel eſt ſecundum extenſionem, vel ſecundùm numerum: Partes autem illæ in primis non habent actualem extenſionem infinitam, ut patet; nec etiam faciunt numerum actualem infinitum, quia numerus conſurgit ex diviſione quantitativa; Undè ſi-

dè ſicut impoſſibile eſt facere, ut omnes illæ partes ſint ab invicem diviſæ, ita impoſſibile eſt, ut ſint infinitæ ſecundùm numerum: Undè ſunt ſolum infinitæ ſecundùm diviſibilitatem, quæ eſt aliquid potentiale.

Urgebis; Partes illæ ſunt actu diſtinctæ ab invicem; ergò faciunt multitudinem infinitam.

Reſpondeo, tranſeat antecedens (cùm enim diſtinctio tollat unitatem, ſicut partes illæ non habent niſi unicam unitatem totius, ita negari poſſet, quod ſint actu diſtinctæ ab invicem;) Et nego conſequentiam. Nàm ut partes faciant multitudinem, non ſatis eſt eas diſtingui, ſed neceſſe eſt actu dividi. Numerus enim non reſultat ex diſtinctione, ſed ex actuali diviſione partium: Undè non faciunt numerum ante diviſionem niſi in potentia. Solutio eſt ex D. Th. in 3. diſt. 10. q. 1. art. 3. p. quæſt. 1.

Objicies quintò, ſi in quolibet continuo ſunt infinitæ partes in potentia, tot erunt partes in grano tritici, quot ſunt in globo terræ: conſequens eſt abſurdum; ergò, & antecedens. Probatur ſequela; Unum infinitum non eſt majus alio: Sed utrobique ſunt infinitæ partes, ergò tot ſunt in uno, quot in alio.

Reſpondent quidam diſtinguendo ſequelam, tot ſunt partes in grano tritici, quot ſunt in globo terræ: partes aliquotæ negant partes proportionales concedunt. Vocantur autem partes aliquotæ, quæ habent certam, & invicem diſtinctam magnitudinem in toto, quæque pluries repetitæ exhauriunt totum, ut ulna, vel cubitus, vel etiam digitus eſt pars aliquota panni: Partes verò proportionales ſunt medietates medietatum, & harum medietatum aliæ medietates. Hæc ſolutio ſuſtineri poteſt: non enim æſtimatur

magni-

magnitudo rei ſecundùm partes proportionales, ſed hoc commune eſt omni quantitati, ut ſit diviſibilis in medietates medietatum in infinitum: Undè tam in grano tritici, quam in globo terræ datur diviſibilitas in partes proportionales in infinitum. Attamen prætereà.

Reſpondeo ſecundò, negando abſolutè ſequelam: Ad probationem diſtinguo: Unum infinitum non eſt majus alio, infinitum actu, concedo: infinitum in potentia, nego; Ratio diſtinctionis eſt, quia infinitum actu ſi daretur, deberet comprehendere totam plenitudinem ſui generis, & ideò non poſſet creſcere, immò non eſſet niſi unicum in quolibet genere, ſicque non poſſet dari majus ipſo. At verò infinitum in potentia poteſt eſſe multplex in quolibet genere; immò unum poteſt eſſe pars alterius, ſicut contingit in propoſito, nàm quantitas grani tritici, licèt in infinitum diviſibilis, non eſt niſi particula globi terrę: Et ideò, quia totum pluries continet partes ſuas, ut terra plures partes æquales grano tritici, abſolutè dicendum eſt, unum infinitum in potentia poſſe eſſe majus alio, & partes globi terræ eſſe plures, quam grani tritici.

Objicies ſextò: Si partes continui ſint in finitæ in potentia, continuum erit impertranſibile: Conſequens eſt falſum, ergò, & antecedens. Probatur ſequela; Nàm infinitum eſt impertrāſibile.

Reſpondeò ex Ariſtotele hic negando antecedens; Ad probationem, diſtinguo; Infinitum eſt impertranſibile, ſecundum id, quod eſt infinitum, concedo: ſecundum id, quod eſt finitum, negò: Continuum autem eſt quidem infinitum in potentia ſecundùm diviſibilitatem, & ideò nunquam pertranſire poteſt ejus diviſibilitas, itaut dividatur actu in omnes partes: eſt tamen finitum

ſecundùm extenſionem, & ideò ejus extenſio pertranſiri poteſt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Vtrum in Continuo dentur vera indiviſibilia.

TRia præcipuè ſunt continuorum genera, ſcilicèt quantitas permanens, tempus, & motus: indiviſibilia motus dicuntur *momenta, ſeu muta eſſe*, indiviſibilia temporis vocantur *inſtantia*, indiviſibilia verò quantitatis permanentis ſunt in triplici differentia cum enim indiviſibile ſit, quod caret diviſione, & extenſione, juxtà triplex genus extenſionis, ſcilicèt in longum, latum, & profundum, triplex eſt indiviſibile; Primum ergò indiviſibile dicitur *punctum*: quod caret omni prorſus extenſione, Secundum verò indiviſibile vocatur *linea*, quæ licèt ſit extenſa in longum eſt tamen indiviſibilis in latum: Tertium indiviſibile eſt *ſuperficies*, quæ licèt ſit diviſibilis in longum, & latum, eſt tamen indiviſibilis in profundum. Quæritur ergò, utrum dentur verè, & realiter ejuſmodi indiviſibilia, v. g. puncta in linea, lineæ in ſuperficie, ſuperficies in corporibus.

Dico primo: Dantur realitèr in continuo indiviſibilia tum terminata, tùm continuata Concluſio iſta communis eſt, & ſupponit indiviſibilia eſſe neceſſaria ad duplex munus, ſcilicèt ad uniendum, & terminandum partes: Quæ uniunt dicuntur *indiviſibilia copulativa*, quæ verò terminant, dicuntur *indiviſibilia terminativa*.

Probatur prima pars, ſcilicèt dari indiviſibilia terminativa: Nàm datur contactus; ergò, & indiviſibile terminans, in quo ſit talis contactus: Antecedens patet; Probatur conſequentia: Nàm duo corpora non poſſunt ſe tangere ſecundùm par-

tes

tes ipſas: ſed ſolùm ſecundùm indiviſibilia terminantia partes; ergò debent dari talia indiviſibilia, ſi detur contactus. Probatur antecedens; Nàm ea, quæ ſe tangunt, debent eſſe ſimul ſecundum id, in quo ſe tangunt; Sed duæ partes non poſſunt eſſe ſimul ſecundùm ſe ipſas, alias penetrarentur, ergò contactus non fit ſecundùm partes, ſed ſolùm ſecundùm extrema indiviſibilia partium.

Confirmatur experientia; Nàm globus perfectè rotundus tangit planum in puncto indiviſibili; cylindrus impoſitus plano tangit ipſum in linea indiviſibili in latum; lux afficit corpus opacum ſecundùm ſuperficiem indiviſibilem in profundum: ergò dantur realiter puncta, ſuperficies, & lineæ; ac proindè indiviſibilia terminativa.

Probatur ſecunda pars, ſcilicèt dari indiviſibilia continuativa: Nàm continuum eſt, cujus partes ſunt unum ſecundùm extremitatem, ſeu uniuntur, termino communi; Atqui extremitas illa, ſeu ille terminus communis eſt aliquid indiviſibile, ergò dantur indiviſibilia unientia partes. Probatur minor: Tùm quia impoſſibile eſt, ut aliqua pars ſit communis duabus partibus: Tùm quia illa, inter quæ datur pars media, non ſunt ſibi invicem continua, nec ſe tangunt; ergò à fortiori non ſunt continua. Tùm demum, quia illa pars, quæ uniret alias duas, adhuc indigeret uniri, cum ipſa conſtaret aliis partibus, ergò partium unio, & continuitas, non poteſt fieri ſecundùm partes, ſed ſolùm ſecundùm aliquid indiviſibile partium, ac proindè dantur indiviſibilia continuantia, & unientia partes. Hæc tamen unio non eſt ita intelligenda, quaſi illud indiviſibile ſit aliquod gluten uniens partes inter ſe, ſed diviſibilia dicuntur uniri, inquantum ipſæ partes uni-

untur ſecundum ſuas extremitates indiviſibiles.

Objicies; Partes uniri, & tangi poſſunt ſecundùm aliquid ſui minus, & minus in infinitum; ergò non ſunt neceſſaria indiviſibilia, ut uniantur partes, & ſe tangant.

Reſpondeo illud minus, & minus infinitum poſſe dupliciter ſumi, vel ſecundùm ſuam extenſionem, vel ſecundùm ſuam extremitatem indiviſibilem: ſi ſumatur ſecundùm aliquam extenſionem, quantulacunque ſit, impoſſibile eſt, ut uniat immediatè ipſas partes propter rationes jam dictas; Si verò ſumatur ſecundùm ſuam extremitatem indiviſibilem, ſic poteſt quidem unire, ſed illa extremitas eſt aliquid indiviſibile: Undè neceſſe eſt dari indiviſibilia in continuo.

Dico 2. Indiviſibilia non ſunt res diſtinctæ à partibus, ſed ad ſummum quidam modi partium, qui rectè appellari poſſunt *extremitates*, *in quibus deſinunt partes*, ut v.g. punctum eſt extremitas lineæ, & linea extremitas ſuperficiei, & ſuperficies extremitas corporis.

Concluſio ſic explicata probatur, tùm ex minima entitate, quam concipimus in iſtis indiviſibilibus, quæ proindè non poteſt eſſe niſi aliquid modale; Tùm ex eo quod nova indiviſibilia fiant per diviſionem, quæ nihil producere poteſt in quantitate niſi novas extremitates: Tùm demum quia extremitates in quibus deſinunt partes, debent eſſe aliquid indiviſibile; ſi enim haberent extenſionem, haberent etiam extremitates, & ſic darentur extremitates extremitatum: ergò non ſunt quærenda alia indiviſibilia. Ex quo infertur, quod quia implicat dari partes finitas ſine extremitatibus, ita quoque implicat omnia indiviſibilia tolli à partibus.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SEXTA.

De conditionibus Motus.

DUÆ principales ſunt conditiones motus, ſcilicèt diſtinctio moventis à mobili, & approximatio utriuſque; Non enim videtur aliquid poſſe moveri niſi ab aliquo diſtincto, & approximato. De iis duabus conditionibus agemus duplici articulo: in quorum primo quæritur, an omne, quod movetur, ab alio moveatur: In ſecundò, an dari poſſit actio indiſtans.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm omne quod movetur, ab alio moveatur.

CElebre eſt axioma, *Quidquid movetur, ab alio moveri*, ex quo infert Ariſtoteles neceſſariò deveniendum eſſe ad unum primum motorem immobilem, qui cætera omnia moveat: Et hic eſt Deus Optimus Maximus: qui cum ſit actus purus, non eſt in potentia, ut ad aliquid moveatur, ſed totus in actu ut cæteris motum, & actualitatem inſpiret; ex quo principio probari etiam ſolet neceſſitas præmotionis: Undè qui negant præmotionem, negare ſolent hoc axioma, ſicque expeditiſſimam ſcalam ſubruunt, qua Philoſophi antiqui, & præcipuè Ariſtoteles, ad cogni-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tionem unius Dei aſcendebat. Ut tamen confirmetur hoc axioma.

Dico; Omne quod movetur, ab alio movetur. Ita Div. Thom. & Ariſtoteles, immò tota antiquitas, ſi Epicuræos excipias, dicentes ſuas atomos moveri à ſe ipſis.

Probatur primò concluſio ratione Divi Thomæ, & Ariſtotelis: Nàm intantùm aliquid movetur, inquantùm eſt in potentia ad terminum motus, & intantùm movet, inquantùm eſt in actu; ſed impoſſibile eſt idem ſecundùm idem eſſe ſimul in potentia, & in actu: ergò impoſſibile eſt idem ſecundùm idem ſe ipſum movere: Ac proindè omne quod movetur, ab alio movetur. Major certa eſt; motus enim eſt exiſtentia in potentia, & moveri eſt aliquid recipere: ac proindè eſſe in potentia; Movere autem eſt dare, & agere, ac proindè, quod movet debet eſſe in actu; Undè communitèr dicitur; intantùm aliquid movet, & agit, in quantùm eſt in actu; & ab eo, quod eſt in potentia, nunquàm ſequitur motus: ut lignum frigidum, quia eſt in potentia ad calorem, nunquàm incipiet calefacere, & ad calorem movere. Minor verò declaratur. Nàm eſſe in actu eſt habere actum, eſſe autem in potentia eſt non habere quidem actum, ſed ſolùm capacitatem ad illum; Atqui implicat idem habere, & non habere actum; ergò implicat idem ſecundum idem eſſe ſimul in potentia, & in actu.

Reſpondebis. Idem poſſe eſſe in potentia formali, & in actu virtuali, ut piper, & uva ſunt formalitèr frigida, & virtualitèr calida; undè piper in ore, & uva in dolio ſeipſa formalitèr calefaciunt, ſicque moventur à ſe ipſis.

Contrà eſt Nàm omne quod eſt in actu virtuali,

li, vel illum habet virtualitèr perfectè, inquantum ſcilicèt habet actum nobiliorem, in cujus virtute continetur alius ignobilior: Vel eſt ſolùm in actu virtuali imperfectò, inquantùm habet aliquam virtutem elicitivam talis actus, ſed quæ eſt ulteriùs imperfectibilis, & complebilis ab illo, ut à ſua ultima actualitate, ſicut virtus intellectiva perficitur ab intellectione, & oculus à viſione, & generalitèr omnis facultas immanens à ſuo actu. Si res primo modo ſit in actu virtuali non eſt in potentia ad illum formalitèr habendum; ſi verò ſecundo modo ſit in actu virtuali, eget ab alio moveri, & reduci ad actum formalem; ergo omne quod eſt in actu, etiam virtuali, non movet ſe ipſum, ſed quidquid movetur ab alio movetur. Major eſt diviſio eorum, quæ ſunt in actu virtuali: Minor verò probatur, & quidem quantùm ad primam partem: Tùm quia perfectius non eſt in potentia ad imperfectius, ut enim dicit Divus Thomas: *In omnibus, quæ dividuntur ſecundùm actum, & potentiam, potentia debet eſſe imperfectior actu*; Sed perfectius eſt habere actum aliquem virtualitèr perfectè, quàm formalitèr; ergò quod eſt in actu virtuali perfecto, non eſt potentia ad actum formalem. Tùm quia ubi eſt forma nobilior continens perfectè ignobiliorem, ſuperfluit ignobilior: ſed actus virtualis perfectus continet formalem utpotè ignobiliorem: ergò non eſt in potentia ad ipſum: tùm qua actus nobilior magis excludit potentiam, quàm ignobilior; ergò idem quod priùs. Tùm demum idem ſuadetur inductione. Sic enim quia Sol eſt virtualitèr perfectè calidus, inquantùm habet formam eminentiorem igne, & calore, non habet potentiam ad calorem formalem: Sic quia Angelus eſt virtualitèr perfectè diſcurſivus,

Digitized by Google

inquantùm habet intellectum eminentiorem humano, quique continet virtualitèr diſcurſum, ideò non eſt in potentia ad diſcurſum formalem. Secunda etiam pars minoris ſuadetur tum ex illa generali ratione, qua demonſtrari ſolet, virtutes activas, ut eliciant ſuos actus, egere applicari, & moveri à Deo, quia non ſunt activæ niſi habitualitèr, & in actu primo: Tùm ſpecialiter, quia nihil poteſt perficere ſe ipſum, & ſibi dare ultimam actualitatem; ſed actio immanens eſt perfectio ſuæ potentiæ, ut dicit D. Th. 1. 2. qu. 31. art. 5. ergò potentia immanens non poteſt ſibi dare ſuum actum, & ſe ipſam movere, niſi moveatur, ab aliquo ſuperiore exiſtenti in actu. Id luculentèr expreſſit D. Thomas, dum dixit actiones facultatum aliis ſubordinatarum eſſe ſimul paſſiones illatas à ſuperioribus, & quædam ſuperiorum operata 3. part. quæſt. 19. art. 1. & qu. de unione Verbi, art. 5.

Quantùm verò ad exempla piperis, uvæ calcis, & aliorum hujuſmodi, nego talia ſe ipſa movere ſecundùm eandem partem: ſed in uvis ſunt quædam partes ſpirituoſiores, quæ calcatis uvis conantur erumpere ex maſſa vindemiæ, ſuoque impetu illam calefaciunt, & ebullitionem cauſant: Conſtat enim ſpitituoſam ſubſtantiam ſuo motu cauſare calorem, & dum ex humido erumpit, cauſare ejus ebullitionem. Quòd autem hæc ſit ratio caloris, & ebullitionis uvarum, ex eo patet, quod vinum recentius expreſſum ſubtilius eſt & ſpiritu magis abundans, quàm ſi diutiùs in vindemia fuerit concoctum; quia ſcilicèt partes iſtæ ſpirituoſiores non ita exhalaverunt. De calce, quæ in aqua accenditur, eadem pæne ratio eſt: ſunt enim in ea partes ſubtiles: & calidæ, quæ diſſoluta maſſa, dum per frigiditatem

aquæ

Digitized by Google

aquæ irritantur, & obſidentur, cum impetu erumpunt, & calorem vehementem cauſant, adjuvantur etiam antiperiſtaſi. De pipere, & aliis ejuſmodi videtur dicendum, ea ſolùm occaſionalitèr calefacere, vel inquantum mordicando irritant ſpiritus vitales, quibus calor augetur (ubi enim abundant ſpiritus, ibi abundat calor, præcipuè ſi ſpiritus irritentur, ut patet in febre, & vulneribus; & vel etiam inquantùm ſunt fomenta caloris naturalis quem augent, ſicuti oleum auget ignem.

Probatur ſecundò concluſio inductione, qua videmus in motibus ſemper deveniri ad primum fontem motus à quo cætera moventur. Sic in vita ſpirituali omnes voluntatis effectus à prima volitione, ut à fonte ſuo naſcuntur, quæ prima volitio ſpecialiter eſt à Deo movente, ut probant Theologi 1. 2. quæſt. 9. Et in intellectu omnes cognitiones oriuntur à primis principiis, quæ naturalitèr nobis inſunt, & ab applicatione voluntatis, quæ movet intellectum: ſic in vita vegetabili ſpiritus ſeminales in grano incluſi, & à generante derivati, dum cœleſti calore excitantur, humorem trahunt, quò germen nutritur, & paulatim in radices, truncum, & ramos explicatur, eumque vigorem in arbore relinquunt, quo vegetat quandiu vivit: Sic in vita animalis, dum formatur fœtus, primo apparet in illo pulſus cordis à generante cauſatus per ſpiritus ſeminales, ut ſit omnium ſpirituum officina, & ab eo diffundatur vita, motuſque vitalis in alia membra: Sic in naturalibus corpora inferiora moventur à ſuperioribus, ſuperiora ab intelligentiis, intelligentiæ à Deo, qui eſt immotus; ergò quidquid movetur, ab alio movetur.

Digitized by Google

Objicies: Animata movent ſe ipſa; in hoc enim differunt ab inanimatis: ergò idem poteſt movere ſe ipſum.

Reſpondeo cum D. Thoma, & Ariſtotele animata movere ſe ipſa, non quidem ſecundùm eandem partem, ſed ſecundùm diverſas: in animalibus enim una pars movet alias, ut cor cætera membra movet motu vitali, & pedes moventur à facultate loco motrice, facultas motrix ab appetitu appetitus ab imaginatione, imaginatio ab objectis, quæ movent immota.

Inſtabis: Ergò ſaltem cor movetur à ſe ipſo, à quo enim alio moveretur?

Reſpondeo motum cordis eſſe à generante, ut à cauſis: Nàm ex D. Thoma Op. 35. motus cordis, cùm ſit proprietas ejus, ſequitur formam cordis: undè ab eo datur à quo cor producitur: nàm qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe.

Urgebis: Saltem gravia moventur à ſe ipſis, dum cadunt, & ſimilitèr levia, dum aſcendunt.

Reſpondeo cum Div. Thoma, & Ariſtotele idem proportionalitèr dicendum de motu gravium, & levium, ac de motu cordis; ſcilicèt dari à generante; eſt enim proprietas conſequens eorum eſſentiam, ſicut calor ſequitur ad ignem: Undè ſicut ignis non facit ſe ipſum calidum, ſed habet à generante, ita lapis non movet ſe ipſum, dum cadit, ſed hoc habet à generante, quòd dedit talem proprietatem lapidi, veluti naturæ ejus appendicem.

Dices: Saltem aqua calida, quando ſpontè frigeſcit, hoc non habet à generante, cùm aliquando non extet: ergò frigefacit ſe ipſam

Reſpondetur communiter talem motum frigefactionis refundi ad generans, quòd licèt non ſit præſens in ſe ipſo, manet tamen in virtute,

idest,

ideſt, in illa inclinatione ad frigiditatem, quam relinquit in aqua: Sed meliùs dici poteſt, agentia generalia, quæ conſervant aquam producere hanc frigiditatem; ſicut enim conſervant naturam aquæ ita etiam ipſi reſtituere debent qualitates eam conſervantes ſi fortè fuerint per violentiam extruſæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Vtrùm ad motum requiratur præſentia motoris, ſeu utrùm dari poſſit actio indiſtans.

NOta quod agens dupliciter poteſt eſſe præſens paſſo; Primò præſentia ſuppoſiti: Secundò præſentia virtutis; Præſentia ſuppoſiti eſt conjunctio ſubſtantiæ agentis cum ſubſtantia patientis: Sic ignis eſt præſens loco, cor præcordiis, & Sol ſpheræ ſuæ: Præſentia verò virtutis eſt dum agens licèt ſit abſens, attamen diffundit virtutem ſuam per medium, donec perveniat ad patiens; Sic Sol eſt præſens viſceribus terræ per calorem, lucem, & influxum à ſe diffuſum; Alterutra præſentia ſufficit, ne detur actio in diſtans. Hoc prænotato.

Dico; Non datur actio indiſtans, ſed neceſſe eſt, ut movens conjungatur mobili, vel per ſe, vel per ſuam virtutem in ſpatio medio diffuſam. Concluſio eſt contra quoſdam & aliquomodò contra Scotum, & Scotiſtas, quam tamen tenet D. Th. expreſsè cum Ariſtotele lib. 7. cap. 2.

Probatur variis rationibus. Primò nam operari ſequitur ad eſſe: ergò operari in hoc loco ſequitur ad eſſe in hoc loco; Sicque neceſſe eſt, ut vel agens, vel ſaltem virtus agentis ſit in loco, ubi operatur. Secundò, res non minùs dependet

à loco, quàm à tempore: Sed nulla res poteſt operari in tempore, in quo non exiſtit, vel in ſe, vel in ſua virtute: ergò etiam non poteſt operari in loco, in quo non eſt, vel in ſe, vel in ſua virtute: Probatur major, & paritas: Sicut enim duratio rerum menſuratur à tempore, proindèque finitur cum ſua virtute activa in ipſo: ita quoque extenſio rei, & virtutis ejus menſuratur à loco, proindeque terminatur, & limitatur ab eo. Tertiò virtus activa proportionatur eſſentię, cujus eſt virtus; ergò ſicuti quælibet ſubſtantia corporea determinatur ad certum locum, extra quem non exiſtit, ita ejus virtus activa terminatur ad certum locum, extra quem non operatur. Quartò agens non agit niſi in materiam ſibi ſubjectam; Sed non eſt alius modus ſubjiciendi materiam agenti, niſi conjunctio, & propinquitas: ergò requiritur talis conjunctio, & propinquitas.

Confirmatur concluſio inductione, Sic enim primum agens, ſcilicèt Deus, ſicuti intimè operatur in omnibus, ita eciam intimè eſt præſens omnibus, ut probat D Thomas 1. p. qu. 8. undè D. Paulus demonſtrat præſentiam Dei ex ejus actione, dum in foro Athenienſi ſic arguit: *Non enim longè eſt ab uno quoque noſtrum in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus;* Quæ ratio nulla eſt, ſi actio præſentiam agentis non exigeret; Sic etiam Angeli ſunt præſentes loco in quo operantur; itaut in illis idem ſit operari in loco, & eſſe in loco, ut probant Theologi. Sic demùm omnium agentium corporalium virtus quantò longius diffunditur, tantò languidior eſt donec tandem per nimiam elongationem totalitèr deſinat; ut patet in calore ignis, in luce candelæ, in odoribus, coloribus, ſonis &c. Undè natura utitur motu locali, ut agentia conjungat paſſis; & abhor-

abhorret vacuum, quia impediret hujuſmodi contactum.

Objicies quaſdam experientias, in quibus agens videtur agere indiſtans, etiam ſine diffuſione virtutis per medium. Sic torpedo ſtupefacit manum piſcatoris, quàm non tangit; Sol producit aurum in fodinis, in quibus nec lux ejus, nec calor pertingere videtur: magnes attrahit ferrum etiam interpoſita tabula: oculi faſcinantes lædunt pueros diſtantes, & non viros propinquiores; Quod etiam magis mirum videtur, nervus unius lyræ dum percutitur, movet nervum alterius lyræ etiam diſtantis ad plures paſſus, modò ſit ad ſimilem tonum aptatus: laborans gravi tuſſi provocat alios longè diſtantes ad tuſſiendum, & oſcitans ad oſcitandum.

Reſpondeo: Nihil horum omnium probare actionem indiſtans, fiunt enim per diffuſionem virtutis, quæ tranſeundo per medium, pertingit ad locum, ubi fit operatio; Aliquando tamen non operatur eoſdem effectus in medio, quos producit in extremo quia medium non eſt diſpoſitum: Sicut ignis comburit ſtupam remotiorem, & non ferrum propinquius, quia ferrum non eſt capax combuſtionis Undè reſpondendo ad ſingula dicendum, torpedinem ſtupefacere manum piſcatoris per venenum diffuſum ab hamo per arundinem uſque ad manum. Oculi verò faſcinantes malignam diffundunt qualitatem, quæ tenera infantium corpora lædit, non verò virorum magis reſiſtentia, ſicut aer peſtiferus æqualitèr inſpiratus à duobus, unum lædit non verò alium minus diſpoſitum. Quantùm ad Solem; nego ejus virtutem, & calorem non pertingere ad fodinas quamvis profundas: Cùm enim ſit efficaciſſimus, etiam ultimas terræ regiones pene-

Digitized by Google

penetrat; immò Pythagoras putabat calorem ſyderum in centro terræ eſſe vehementiorem, quia ibi concurrunt, & concentrantur omnes radii. De magnete, conſtat attrahere ferrum per diffuſionem alicujus virtutis, cujus ſignum eſt; quod ſi mediet tabula, non mover ferrum ità prompè, ſed poſt ſufficientem motam poſtquàm ſcilicèt virtus illa ſubtiliſſima ſeſe inſinuaverit inter poros tabulæ per alterationem, quæ indiget tempore. De nervis lyræ, dicimus hunc motum fieri inquantùm ſonus nihil aliud eſt quàm tremor per aerem diffuſus; qui ſi ſit fortis, etiam ſolidoria corpora concutit: undè ad ſtrepitum tonitrui, tormentorum bellicorum, & grandium tympanorum ſentimus terram concuti, & ſub pedibus contremiſcere; Si vero tremor ille ſit mollior, ſolam iis corporibus ſe communicat, quæ ſunt facilè mobilia tali tremore; Undè cum unus lyræ nervus ſit facilè mobilis eo genere motus, quo alter ad ſimilem tonum tenſus movetur, tremor unius per aerem diffuſus ad alium, ipſum contremiſcere facit. Quantùm ad illam provocationem tuſſiendi, & oſcitandi, ad ruſſium, & oſcitationem alterius, dicendum eſt hoc fieri per ſpecies intentionales, quas emittit tuſſis, & obſcitatio, undè niſi videatur, qui oſcitat, nec audiatur, qui tuſſit, nulla ſit provocatio. Certum eſt autem ſpecies intentionales habere vim commovendi effectus: undè ad aſpectum plorantis commovemur ad fletus, ad ſpeciem ridentis excitamus ad riſum, &c.

Dices; Saltem negari non poteſt pulverem, ut vocant, ſympaticum agere indiſtans, cum experientia conſtet hominis abſentis curati vulnera, ſi pannus ejus ſanguine tinctus tali pulvere inſpergatur (qui ſit ex vitriolo contuſo vel ſimplici,

plici, vel ad vehementiſſimos caniculæ æſtus calcinato) modo tali; pannus ſervetur in loco temperato; ſi enim ſit in loco calidiori, vulnus inflammatur, ſi ſit in loco frigidiori vulnus frigeſcit.

Reſpondeo circà ejuſmodi pulverem, primò non ſatis conſtare de experientiis in magna diſtantia factis, & ſi conſtaret de aliqua, dubium eſſet quomodo naturalitèr fieret. Secundò, dum fit in locis vicinis curatio, non tamen propterea fit in diſtans, ſed per diffuſionem virtutis: quæ diffuſio ſic explicari poteſt, ut partes ſubtiliores vitrioli cum ſpiritibus ſanguinis effuſi permixtæ, trahantur ab illis ad hominem vulneratum, ſicque vulneri proſint; Operatio enim naturæ adjuvatur per tales ſpiritus, in quibus præcipuè reſidet virtus medicaminum; Undè remedia, ut plurimum, non agunt ratione craſſioris ſubſtantiæ, ſed ratione ſpirituum? qui poſtquàm ex remediis exhalaverint, vel per artem chymicam, vel per naturalem reſolutionem, remedium eſt effectum, & inefficax.

Si quis autem roget; qua virtute ſpiritus ſanguinis, & vitrioli poſſunt redire ad vulneratum.

Reſpondeo duplici via id fieri poſſe: Primò per diffuſionem ſubtilis ſubſtantiæ ex illa ſanguinis, & vitrioli mixtura exhalantis, & per aerem ſparſæ etiam ad ſatis magnam diſtantiam, donec pertingat ad vulnus hominis remoti, à quo trahitur, tùm ob connaturalitatem, tùm ob indigentiam: ob connaturalitatem quidem, quia ſanguis effuſus fuit quondam portio hominis vulnerati, unde ipſi connaturalior eſt, quam aliis hominibus, ideòque libentiùs; ei adjungitur non verò aliis, Ob indigentiam quoque, nam unaquæque res arripit ea, quæ ſibi proſunt, ut ignis trahit

bit oleum lucernæ, & radices arborum humorem terræ: immò ut illum ſugant, porrigunt radices ſuas ad rivos maximè remotos. Cum igitur exhalatio vitrioli ſit balſamica ut notat Digibus in Opuſculo de pulvere ſympatico: pars vulnerata libentiùs, & fortiùs trahit ſpiritus illos ſanguineos vitriolo medicatos in ſubſidium ſui mali. Neque mirum eſt tantam copia exhaltationis effundi poſſe ex illa vitrioli & ſanguinis mixtura; aut huic imperceptibili ſubſtantiæ tantam virtutem ineſſe: Nàm odor, qui per ſimilem diffuſionem, ſaltem magna ex parte defertur, ad loca remotiſſima pertingit. Undè narrat Ludovicus Granatenſis thecam dulciariorum in ſua camera repoſitam à vicinis hortis integros formicarum exercitus traxiſſe, odore ſcilicèt ſuo: Et D. Th. ſecundò de anima, lectione vigeſimaſecanda, refert odorem cadaverum etiam ad quingentia milliaria percipi à vulturibus. Quòd etiam huic ſubtili exhalationi magna vis ineſſe poſſit, patet; tum quia eſt potiſſima, & efficaciſſima vitrioli portio: Tùm quia experimur modicam exalationem peſtiferam tantæ efficacitatis eſſe; ut hominem in brevi perimat; ergò ſi illa tam efficax eſt ad nocendum, cur alia efficax eſſe non poterit ad curandum?

Secundò ille reditus poteſt per naturalem inclinationem, qua res quælibet tendit ad locum ſuæ conſervationis, ut lapis deorſum, & aer ſurſum calida ad locum calidum, & frigida ad frigidum; undè videmus vapores in aere volitantes, naturalitèr quidem frigidos, ſed violente calefactos per æſtatem conſurgere ad res frigidas, ut ad marmora, & vitreos ſcyphos aqua frigida plenos, undè marmota, & ſcyphi hujuſmodi per æſtatem ſudare videntur: Cum igitur ſpiritus, ſeu

ſeu ſubtilior ſubſtantia ſanguinis effuſi, fuerit in firmamentum animæ, & genita fuerit, ac conſervata in corpore, veriſimile videtur illam retinere quamdam inclinationem ad proprium corpus, veluti ad centrum ſuæ conſervationis, ut cives exules ad patriam: Undè diſſoluta ſanguinis effuſi maſſa liberior, trahit ſecum puriores vitrioli partes, & circumquaque volitans inquirit proprium, & vetus hoſpitium, cui ubi concurrerit, ſeſe inſinuat, cumque medicata ſit mixtura vitrioli, maximè confert ad curam vulneris. Et hæc etiam forte ratio eſt, cur corpus hominis occiſi ad præſentiam homicidæ ſanguinem fundat, inquantùm ſpiritus hominis occiſi, qui adherere poſſunt veſtibus homicidæ, ſicut odores ferarum adherent locis per quæ tranſeunt, geſtiunt redire ad corpus, à quo emanaverunt, & ejus præſentia excitati, conatum facientes irrumpendo per vulnera, & reſiduo ſanguini ſeſe immiſcentes ipſum commovent, & effluere faciunt.

Hæc tamen omnia dicta velim, non ut ejuſmodi pulverem omninò efficacem aſtruam: ſed ut, ſi verum ſit naturalem efficaciam habere, illum propterea non operari in diſtans oſtendam: Fortè enim ejuſmodi laudatus pulvis nullius roboris eſt, & vulgariſſima illius efficaciæ fama, partim fictis experientiis innititur, cujuſmodi frequentiſſimæ circumferuntur; partim effectibus, falsò illi adſcriptis, roboratur.

Finis Primæ partis Phyſicæ.

Digitized by Google

INDEX TITULORUM TOMI SECUNDI.

PRIMA PARS PHYSICÆ

De ente mobili in communi.

DISPUTATIO PRIMA,

De Principiis Entis mobilis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Principiis in communi.

ART. I. *Quid ſit Principium Entis mobilis.* 11

ART. II. *Quomodo Principia rerum naturalium ſint inter ſe contraria.* 14

ART. III. *Quot, & quæ ſint Principia Entis naturalis.* 16

§. I. *Referuntur, & refutantur veterum opiniones circa principia.* 17

§. II. *Impugnatur ſententia Renati Deſcartes circa principia rerum naturalium.* 25

§. III. *Statuitur vera ſententia circa principia rerum naturalium.* 41

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia prima rerum naturalium.

ART. I. QUid ſit Materia. 48
ART. II. Utrùm Materia prima ita ſit pura potentia ut nullum includat actum entitativum. 53
ART. III. Vtrùm Materia prima habeat propriam exiſtentiam. 63
ART. IV. Vtrùm de abſoluta Dei potentia materia exiſtere poſſit ſine forma. 83
ART. V. De unitate, appetitu, & ingenerabilitate Materiæ. 88

QUÆSTIO TERTIA.

De forma ſubſtantiali.

ART. I. AN, & quid ſit forma ſubſtantialis. 95
ART. II. Quæ, & quomodo formæ rerum genitarum educantur de potentia materiæ. 104
ART. III. Vtrùm formæ rerum creaturarum ſint eductæ de potentia materiæ. 112

QUÆSTIO QUARTA.

De Compoſito naturali.

ART. I. UTrùm materia, & forma ſint partes eſſentiales compoſiti naturalis. 122

Vtrùm

Digitized by Google

ART. II. *Vtrùm forma, & materia immediatè uniantur.* 128
ART. III. *Vtrùm totum naturale diſtinguatur à partibus ſimul ſumptis.* 138

DISPUTATIO SECUNDA,

De Natura, & cauſis Entis mobilis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura, Violentia, & Arte.

ART. I. *Quid, & quotuplex ſit Natura.* 147
ART. II. *De violentia, & cauſis violentiam inferentibus.* 153
ART. III. *De Arte, & operibus artificialibus.* 161

QUÆSTIO SECUNDA.

De Cauſis in communi.

ART. I. *Quid, & quotuplex ſit cauſa.* 172
ART. II. *De Prioritate, & nobilitate cauſarum tùm ad effectum, tùm ad ſe invicem comparatarum.* 176

QUÆSTIO TERTIA.

De Cauſis materiali, & formali.

ART. I. *Quomodo Materia, & forma cauſent.* 185

ART.

Digitized by Google

ART. II. *De Cauſa formali extrinſeca ſcilicèt Idea.* 188

QUÆSTIO QUARTA.

De Cauſa Efficiente.

ART. I. QVid, & quotuplex ſit cauſa efficiens. 195

ART. II. *De principio, quo cauſa efficiens agit.* 199

ART. III. *Vtrùm forma ſubſtantialis ad operandum egeat accidentalibus tanquam principiis immediatis agendi.* 204

ART. IV. *Quæ ſit cauſalitas Cauſæ efficientis, & quid ſit dimanatio.* 220

ART. V. *De inſtrumentis Cauſæ Efficientis.* 223

QVÆSTIO QVINTA.

De Cauſa finali.

ART. I. Q*uid, & quotuplex ſit finis.* 236

ART. II. *Quid ſit principium finalizandi, ſeu utrùm ſolùm bonum finalizet?* 239

ART. III. *Quænam ſit cauſalitas finis.* 247

ART. IV. *Quænam agant propter finem.* 251

QVÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SEXTA.

De Comparationem Cauſarum ad effectus.

ART. I. *Utrùm plures cauſæ totales ejuſdem ordinis poſſint producere ſimul eundem numero effectum?* 262

ART. II. *Vtrùm effectus, qui productus eſt ab una cauſa, potuerit idem numero ab ab alia produci?* 267

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Fortuna, Caſu, & Fato.

ART. I. *De Fortuna, & Caſu.* 271

ART. II. *De Fato.* 275

DISPUTATIO TERTIA.

De proprietate Entis mobilis, ſcilicèt de Motu; Circa ſex ultimos Libros Ariſtotelis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Motu, & Actione, ac Paſſione.

ART. I. *Quid ſit Motus, & quo modo ab actione, & Paſſione diſtinguatur.* 279

ART. II. *De ſubjecto motus, & præcipuè actionis cum motu identificatæ.* 284

ART. III. *De Termino motus.* 293

ART. IV. *De unitate, & diſtinctionem tùm gene-*

generica, tùm ſpecifica tùm numerica motus. 299
ART. V. *De contrarietate motus.* 304

QUÆSTIO SECUNDA.

De Infinito.

ART. I. *Utrùm & quomodo naturalitèr darì poſſit Infinitum.* 308
ART. II. *Vtrùm divinitus ſit poſſibilis creatura ſecundùm eſſentiam infinita.* 311
ART. III. *Vtrùm divinitus ſit poſſibilis magnitudo infinita.* 316
ART. IV. *Vtrùm ſit poſſibilis multitudo infinita actu.* 324
ART. V. *Vtrùm poſſibilis ſit qualitas infinitè intenſa: ubi etiam agitur de terminis magnitudinis rerum.* 328

QUÆSTIO TERTIA.

De Tempore.

ART. I. *De Duratione in communi.* 332
ART. II. *Quid, & quotuplex ſit tempus, & quomodo ſit præſens.* 334
ART. III. *De modo incipiendi, & deſinendi rerum tùm ſucceſſivarum, tùm permanentium.* 345

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

De Loco, & Vacuo.

ART. I. *QVid ſit Locus.* 350
ART. II. *Vtrùm duo corpora poſſint eſſe in in eodem loco, & idem corpus in duobus locis.* 357
ART. III. *De Vacuo.* 367

QUÆSTIO QUINTA.

De Continuo.

ART. I. *UTrùm continuum conſtet ſolis indiviſibilibus, vel partibus ſemper diviſibilibus.* 373
ART. II. *Utrùm in continuo dentur vera indiviſibilia.* 386

QUÆSTIO SEXTA.

De Conditionibus motus.

ART. I. *UTrùm omne quod movetur, ab alio moveatur.* 389
ART. II. *Vtrùm ad motum requiratur præſentia motoris: ſeu utrùm dari poſſit actio indiſtans.* 395

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

60

Digitized by Google

Digitized by Google